

G. M.

NAZIONALE
8
38 I
4
ROMA
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA

Manuale de'...
V. M. D. ...

Col. XV. Tav. 2. N. 11.

Ad usum f. Consueverunt de Vrbe
ord. Senus. B. M. V.

SVMMAE PHILOSOPHICAE

Ad mentem
HENRICI GANDAVENSIS
DOCT. SOLEM. ORD. SER. B. V. M.

Authore
F. MICHAELE ANGELO GOSIO
ROMANO
Eiusdem Ordinis Prouinciæ Romanæ
Prouinciali
Pars Prima Logicalis.

8. 38. 7. 4

*Pertinet ad
S. Bonaven-*



*Contertum
huj de verbo*

BIBLIOTICA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Hæredum Francisci Corbelletri.
M. DC. XXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

**Imprimatur, si videbitur Reuerendif-
simo Patri Magistro Sacri Palatij
Apostolici.**

Io. B. Episc. Camerin. Vicefg.

Imprimatur,

**Fr. Io. Vincentius Morenus Socius Re-
uerendissimi P. Fr. Vincentij à Flo-
rentiola Magistri S. P. Ap.**

EMINENTISS.^{MO} ET REV.^{MO} D.

IVLIO SACCHETTO

S.R.E. CARD. AMPLISSIMO,

Et Ordinis Seru. B. M. V. Protectori
Vigilantissimo.

F. MICHAEL ANGELVS GOSIVS SAL:



ALEXANDRINAM Aegypti
Vrbem ingressus Romanus Impe-
rator Iulius Caesar, nihil fertur
habuisse antiquius, quam vt
Magni Alexandri multo iam
tempore vita functi cadauer illud
inuiseret, quod spirans adhuc imperiosus minas,
conuenientium Aduenarum animos ad sui venerationem
pertraheret. In hac rerum vniuersitate
tamquam publico humanorum actuum theatro,
suis fulserat doctrinis Gandauensis Noster Henricus
comparato sibi ad miraculum nomine Doctōris
Solemnis. At peracta mortalis huius vitæ cata-
strophe in silentij factō veluti tumulo inglorius
† 2 vsque.

usquequaque delituit. Tuae fuerant partes, Iulii
Eminentissime, post susceptum Ordinis Seruorum
protegendum munus, illud unum sollicitè tubere, ut
in sedulam erigendi Romæ collegij curam tota in-
cumberet Seruorum Religio ad Henrici doctrinas
ex obliuionis sepulchro educendas. Nihil interim
uisum est mihi ad percipiendas grauiores Henrici
sententias utilius, quàm si ex eiusdem, qui super-
stites sunt, libris, Philosophica placita breuem in-
summam congererem, quæ Theologicis facem stu-
dijs præferret, lucemque præmitteret. Primam
hanc logicalem pariem tuo nomine insignitam, An-
gelo Maria Berardio Generali suadente, in lucem
mitto, ut studia nostra tuo sub munimine floreat,
quæ tuæ Protectionis manu sunt sata. Coronis
impositis Iulius ille decorauit Alexandrum. At
feliciorem Alexandro posteritas ventura sub te
Iulio fauente reputabit Henricum. Vale.

IULIVS

Eminentissimæ
 Eminentissimus
 Inter Purpuratos

SACCHETTUS

Dignitatis
 Pater
 Patres

Aureo quibus eloquio nunquam satis prædicandus.

Verè Aureus
 Hyblæ Flos Ausoniæ

Florum parenti, florum pompæ

Pompatica floruit, & Generis, & virtutis laude.

Inter Magnetes Magnus;

Inter Optimates Optimus .

Alter Romana in Luce Iulius;

Maior Romana ex Luce Iulio,

.. Iulianos æmulatus triumphos

Capitolino sedet Partæ Gloriæ Olympo

Olympicam pariturus Gloriam

Vrbi, & Orbi

Famæ Volucris

Qua

Gesti summis pro fascibus fasces

Vrbem impleverunt, & Orbem

Summo Accedente Diademate

Tergemina Cydari

Sacerdotum Maximo

Maximorum Principi, Principum Regi,

Regum Apici,

Imponenda

Ex Augustali dato Imperio

Augusta Augustinus se se tollet Roma

Apibus mutuo bombo gratantibus

Tantum

Suo è fauo suavitatis

† 3

Sua

Sua è Regia maiestatis
Suo è Cælo Felicitatis
Merum mel, merum decus, merum sydus,

Re Seruitica
Cui Auspiciatissimus contigit Patronus.
Ape Auspice Barbarinia
Aeterno tripudiante gaudio
Ab æternitate nominis

Quòd
Florea Vrbs quæ Ciuem
Sacchetta stirps quæ Germen,
Augusta Minerua quæ Candidatura.
Romana Pallas quæ Sophum,
~~Res sanctiss quæ Episcopum,~~
Aula Hispanica quæ Nuncium,
Ferraria, & Felina quæ Legatum,
Suspexit ultra fidem, ultra fidem coluit
Conciliabit sibi feliciter felicissime victurum.

Victuri manes iam viuentes Henrici
Luci Litterarig à Litterato Principe

Ad veræ Litteraturæ Lumen

Tandem redditi

Votis millies repetitis

Debita iamdiu Sacchettiæ sophiæ fastigia

Publico cum Voto

Vouent

(Quid ni à superis apud superos impetrantem)

Gosiumque, veluti Mercurium

Caduceali suo Ingenio

E longissima nocte vindicantem

Industrium vindicem

Ioue suo Iubente

Louis

Michael Angelus Gofius Studij Peru-
fini Regens, Henrici Gandauen-
fis Seruitæ Interpres Difer-
tissimus.

ELOGIVM ACROSTICON.

Magne Iucundi Custos Hippocrenes Adfis
Effer Laudibus Arcana Nubilosa GANDAVENSIS Emittēs
Lucidum Virtutum Speculum
Gestiens Ouet Seruorum Inclutis Vestiundum Spolijs
Sodalitium.

Tradit Validam Doctrinæ Iuuenibus Intellectionem
Præceptoris Eminentis Rimatur Veraciora Scientiæ Iudicia
Naturam Istius Ritè Explanans Gnare Eiuscemodi Nobilitatē
Sudoribus Honorificis Eminentem Nouis Rationibus
Indicens

Capit Ingenia Grauiorum Aduersariorum,
Nitidiores Doctōrum Animos Vertit

Et

Neruosioribus SORBONENSIS Iungit Speculationibus
Suscipe Ergo Romulæ Urbis Iubar Tantę Aestimationis
Illucubrationem Nobilitandam Tuæ Excellentię Radijs.
Perlege

Reperies Egregiam Subtilitatem
Decebat Ingenij Seruorum Exumij Recondita Tradi
IVLIO SACCHETTO

Seruitani instituti MECAENATI Vigilātissimo, Sapiētissimo

*F. Paulus Saluionus Fauent. Mag. Soc. Prou. Rom. Ser.
Sanct. Off. Consult. Acad. Philop. Auc̄. Famil.*

IN-

INDEX

ARTICULORVM

ET QVAESTIONVM LOGICALIVM.

ARTICVLVS I.

- 1 **V**trum Logica sit necessaria.
- 2 Vtrum Logica artificialis sit à natura.
- 3 Vtrum Logica sit scientia.
- 4 Vtrum obiectum Logicae sit secunda intentio.

ARTICVLVS II.

- 1 Vtrum Vniuersalia dentur.
- 2 Vtrum separata sint à singularibus.
- 3 Vtrum separata possint esse per Diuinam Potentiam.
- 4 Vtrum egeant opere intellectus.
- 5 Vtrum fiant ab intellectu agente.
- 6 Vtrum fiant per omnes operationes intellectus.
- 7 Vtrum differant realiter à predicabilibus.

ARTICVLVS III.

- 1 Vtrum vniuersale sit subiectum libri Porphyrij.
- 2 Vtrum sit vniucum ad quinque predicabilia.
- 3 Vtrum numerus predicabilium sit bene assignatus.

ARTICVLVS IV.

- 1 Vtrum genus sit bene definitum.
- 2 Vtrum possit in unica specie conseruari.

AR-

Index Articulorum,

ARTICVLVS V.

- 1 *Vtrum definitio speciei sit bona.*
- 2 *Vtrum in unico individuo conseruetur.*
- 3 *Vtrum definitio individui sit bona.*

ARTICVLVS VI.

- 1 *Vtrum definitio differentia sit bona.*
- 2 *Vtrum differentia propriissima intendatur, & remittatur.*

ARTICVLVS VII.

- 1 *Vtrum definitio proprij sit bona.*
- 2 *Vtrum repugnet à parte rei proprietatem separari.*
- 3 *Vtrum definitio accidentis sit bona.*

ARTICVLVS VIII.

- 1 *Vtrum Logicus debeat agere de predicamentis.*
- 2 *Vtrum æquiuoca, & uniuoca bene definiantur.*
- 3 *Vtrum predicamenta sint decem.*
- 4 *Vtrum ens sit Analogum ad predicamenta.*

ARTICVLVS IX.

- 1 *Vtrum substantia bene definita sit.*
- 2 *Vtrum Perseitas sit essentia substantia.*
- 3 *Vtrum Deus sit in predicamento.*
- 4 *Vtrum saltem reductiue sit in substantia.*
- 5 *Vtrum Angeli sint in predicamento substantia.*
- 6 *Vtrum proprietates substantia sint bene assignata.*

ARTICVLVS X.

- 1 *Vtrum definitio quantitatis sit bona.*
- 2 *Vtrum extensio partium sit de eius essentia.*
- 3 *Vtrum extensio in ordine ad locum sit de eius essentia.*

4 *Vtrum*

Et Quæstionum Logicalium.

- 4 *Vtrum quantitas distinguatur realiter à substantia .*
- 5 *Vtrum sit uniuoca ad continuam, & discretam .*
- 6 *Vtrum species quantitatis continue sint bene assignatae .*
- 7 *Vtrum species quantitatis discretæ sint bene assignatae .*
- 8 *Vtrum bene assignentur proprietates quantitatis .*

ARTICVLVS XI.

- 1 *Vtrum detur relatio realis .*
- 2 *Vtrum relatio bene designetur .*
- 3 *Vtrum fundamenta relationis communis sint tria .*
- 4 *Vtrum Relatio differat realiter à suo fundamento .*
- 5 *Vtrum relatio differat intentione à fundamento .*
- 6 *Vtrum relatio sit fundamentum relationis .*
- 7 *Vtrum Termini Relationis realiter differant à fundamento .*
- 8 *Vtrum relatio possit esse ad plures terminos .*
- 9 *Vtrum relatio communis differat ab alijs realiter .*
- 10 *Vtrum proprietates relationis bene assignentur .*

ARTICVLVS XII.

- 1 *Vtrum definitio, & proprietates qualitatis bene assignentur .*
- 2 *Vtrum sex alia predicamenta bene ponantur .*

ARTICVLVS XIII.

- 1 *Vtrum modi oppositionis bene ponantur .*
- 2 *Vtrum modi Prioris, Stimul, Motus, & Habere bene ponantur .*

ARTICVLVS XIV.

- 1 *Vtrum veritas, & falsitas sit in secunda operatione .*
- 2 *Vtrum voces significant conceptus .*
- 3 *Vtrum*

Index Articulorum,

- 3 *Verum definitiones nominum, & verbi sine homonymia.*
- 4 *Verum de futuris contingentibus sit veritas.*
- ARTICULVS XXV.**
- 1 *Verum omnis cognitio fiat ex praesistenti.*
- 2 *Verum cognitio principiorum sit naturalis.*
- 3 *Verum detur in nobis notitia certa.*
- 4 *Verum homo discat ab homine.*
- 5 *Verum assensus praemissarum effectivè concurrat ad conclusionem.*
- 6 *Verum propositio per se nota sit bona.*



ARTICULVS XXVI.

ARTICULVS XXVII.

LO-

1

LOGICAE

AD MENTEM HENRICI GANDAVEN. ORD. SERVORVM.

ARTICVLVS I.

Circa Logicam facultatem erant propositi Articuli XV. In quorum primo Quatuor quærebantur scilicet Logicæ Necessitas, Principium, Qualitas, & Obiectum, erat autem Articuli primi

QVAESTIO I.

Virum Logica sit necessaria.



RO parte negatiua arguitur primo. Si Logica esset necessaria, præcipua ratio esset, vt Conclusiones ex principijs scientificè deduci possint: sed illæ naturaliter sunt à principijs deducibiles sine Logica, ergo Logica non est necessaria. Maior est certa propter vim syllogizandi ex Henrico Art. 1. Quæst. 5. *Cognitio conclusio- num voluntario studio, & mentis indagatione acquiritur. Minor verò est eiusdem Hen. ibidem. Aliquis aliquando inuenitur ex solertia naturali ita subtilis, & industrius; vt solo adiuto- rio interiori luminis intellectus agentis possit ex primis princi-*

A

pys

pijs naturaliter intellectis elicere ductu naturalis rationis conclusiones proximas, & ex illis alias ulteriores.

Secundo arguitur. Modus sciendi non est necessarius, sed Logica est sciendi modus, ergo non est necessaria: Maior patet, nam modus est quid extrinsecum rei, cuius est modus; ut ait Hen. Quodlib. 4. Quæst. 5. *Ex quo patet quomodo quicquid est, secundum utrumque modum idipsum est.* Minor etiam probatur: Logica enim appellatur modus sciendi, quatenus conducit ad syllogisticè discurrendum, & ideo sine Logica inquit. Hen. Art. 1. Quæst. 4. ad octauum Homines. *Syllogismo, licet non syllogisticè procedunt in omnibus actionibus suis.*

Tertio arguitur. Homini sunt omnia naturaliter cognoscibilia, ergo sine alterius artis adminiculo poterit illa cognoscere: sed Logica ad hoc ponitur, ut per ipsam illa cognoscantur: ergo frustra eius necessitas adstruitur. Minor ex dicendis certa est. Maioris verò sequela probatur, non enim debent fieri per plura, quæ per pauciora æquè bene possunt fieri ex Hen. Quodl. 11. Quæst. 15. *Semper enim melius est cum possibile fuerit, pauciora ponere quam plura, & quod possibile est fieri per unum, potius fieri per illud, quam per pauciora.* Quod verò Homini naturaliter cognoscibilia sint omnia est Hen. Art. 3. Quæst. 4. ubi distinguens de cognoscibilibus naturalibus, & per illustrationem diuinam ait ad secundum. *Aliqua sunt Homini cognoscibilia naturaliter, quia ex principijs ei naturaliter inditis potest in illorum cognitionem deuenire.* Ista verò dici possunt omnia naturaliter cognoscibilia.

Notandum primo Logicam aliam naturalem dici, aliam verò per studium acquisibilem, siue artificialem. Naturalis illa dicitur, quæ est à natura hominibus data, secundum quam ensetur quæ uisque circa ea, quæ ad victum sibi comparandum, & ad reliqua vitæ negotia (nisi fortè sit demens) peragendaidoneus. Vnusquisque enim videtur circa rerum emenda-

rum,

rum, vel vendendarum pretia optimè discurrere, & verbis in propriam vtilitatem concludentibus, se ab aduersarijstueri. Et hanc respiciens dicebat Hen. Art. 1. Quæst. 4. ad octauum. *Nec solum homo industria naturali ex primis principijs syllogismi sine arte sic potest facere, quæ sunt artis, quin per hæc possit quodam modo & brutum, secundum quod recitat Ambrosius exortem rationis canem nemo esse dubitat, tamen si sensus eius vigorem consideras, censet eum sentiendi sagacitate vim rationis asciscere.* Artificialis autem est habitus nostræ mentis operationum intellectiuarum directiuus, secundum quem quis cognoscit se non solum syllogismum facere; sed etiam syllogisticè, vt hæbet idem Hen. loco citato. *Syllogisticè facit homo aliquid, quando attendendo ordinem medijs ad extrema, operatur procedendo ad intentum.* Hic non est sermo de Logica naturali, sed duntaxat artificiali, & de hac quæritur, an sit nobis necessaria.

Notandum secundo aliquid esse necessarium dupliciter scilicet simpliciter, & absolutè, quatenus aliquid ita ad aliud exigitur, vt sine illo omnino nequeat esse, siue conseruari, quemadmodum dici solet cibus ad vitæ nutrimentum necessarius, quia scilicet sine cibo non potest animalium vita sustentari. Aliud verò dicitur necessarium secundum quid, siue (vt vocant) ex suppositione, quatenus scilicet ad aliquid obtinendum, licet alia habeamus media, aliquod tamen est ad illud vtilius siuè commodius; ita dicitur equus ad iter faciendum necessarius, quia confert maximè ad commodiorem itinerantis vsum, qui tamen sine equo iter facere posset. Hoc duplex necessarium tangit Hen. Art. 30. Quæst. 2. dicens. *Descriptio enim necessarij, illa scilicet, quod impossibile est, quod sit alio modo, duobus modis est intelligenda, quorum primus est quod impossibile est, quod sit alio modo per se, & hoc est necessarium simpliciter: quem quidem modum quidam appellant inexcusabilem in esse. Secundus est, quod est sit propter aliud,*

quem quidam dicunt debitum, & necessarium propter aliud; Quæ enim necessaria sunt propter alia, & propter causas suas, sunt necessaria quodvmodo, non simpliciter &c. In præfenti, cum de Logicæ necessitate fit sermo, illud pro certo astruendum est, quod scilicet non sit homini Logica absolutè, & simpliciter necessaria, cum optimè possit sine illa (de artificiali loquor) consistere. Sed solum quæritur. An ex hypothesi, si quis velit ad vltiores proficisci scientias, an sit necessarium, prius in Logicæ studio profecisse: & loquendo de necessitate huiusmodi, potest iterum subdistingui, & quæri, an scientiæ Logicam præsupponant ita, vt sine illa haberi nequeant, vel è contra.

Conclusio. Logica est necessaria.

Explicatur. Logica artificialis ad scientias alias acquirendas in statu perfecto debet dici omnino necessaria necessitate tamen suppositionis.

Est Hen. Art. I. Quæst. 4. *Syllogisticè solum potest facere, habens artem acquisitam.*

Probatum sic. Ad alias scientias perfectè acquirendas, necessarium est, vt syllogisticè procedamus, sed sine logica impossibile est syllogisticè operari, ergo Logica est ad alias scientias necessaria.

Ad primam Ob. cum dicitur. *Conclusiones esse naturaliter deducibiles ex principijs.*

Dicendum posse quidem deduci conclusiones etiam naturaliter, non tamen modo scientifico, qualis in præfenti requiritur, qui modus in eo consistit, vt operans, se taliter operari cognoscat, qua propter optimè Hen. art. I. q. 4. ad 8. loquens de Hippocrate Medico; qui propter excellentiam sui ingenii Logicam naturaliter sciuisse dictus est, ait. *Secundum hunc modum per viam syllogismi processit ars illius pueri, non tamen syllogisticè, ipse enim ex sensu cognoscens terminos in primis eligi-*

eligibilibus naturali industria perceptis, quia omne, pulchrius, & delectabilius, in quantum huiusmodi, magis esset eligendum, quod est maior in syllogismo, minorem indicauit ei sensus de duobus pomis, quod esset pulchrius; ex quibus cognitis sine artis perscrutatione quasi cōcludendo syllogismo pratico pulchrius accepit, in tali enim syllogismo maiorem uniuersalem determinat ratio, minorem verò particularem sensus & phantasia; Conclusionem verò facit voluntas. Quod vero non syllogisticè hoc fiat subiungit Hen. Puer autem prædictus sine arte, ex primis tamen principijs artis ab ipso perceptis hoc facit. Ad formam itaque Argumenti. Respondetur distinguendo maiorē, vel de deducibilitate scientifica, vel de naturali, & distinguitur minor, concedendo illam de secunda, non autem de prima.

Ad secundam Ob. cum dicitur. *Logicam esse modum sciendī, modus autem, cum sit extrinsecus, non est necessarius.*

Dicendum inter modos alios esse magis, alios minus ad rei modificatæ essentiam spectantes, quemadmodum solet modus diuidi in substantialem, & in accidentalem, Accidentalis quoque habet quod sit magis, vel minus rei intimus. vnde dantur modi, qui dicuntur proprii, & alij, qui dicuntur omnino extrinseci, quales sunt diuersi conceptus ipsius intellectus, qui habet res considerare secundum diuersos modos, & habet ponere distinctionem inter ea, quæ realiter distincta non sunt, vt docet Hen. quodlib. 5. q. 12. vbi ponens distinctionem intentionis ait. *Diuersa intensione sunt, quæ fundata in simplicitate eiusdem rei, diuersos de se formant conceptus, &c.* Logica dicitur modus sciendi, siue scientiarum instrumentum, sed est modus siue instrumentum simpliciter necessarium supposito sine talis operis obtinendo, quemadmodum supposito, quod quis velis tabulam simpliciter dolatam, simpliciter necessaria est dolabra, cuius effectus est dolatas tabulas reddere: & supposito quod velimus cibos in ore molere, necessarij sunt dentes, qui sunt talis actionis instrumenta. Ita ad scientias capessendas alia sunt

in-

Instrumenta, quæ solum dici possunt vniuersalia, vt Grammatica, & Rethorica: quædam verò sunt omnino necessaria, vt Logica, quæ ad hoc requiritur, vt quis dicatur scientias modo scientifico possidere. In quo sensu vocauit Logicâ Augustinus artem artiû, & scientiam scientiarû, & ita loco citato ar. 1. q. 4. Hen. *Sicut contingit quid Grammaticum Grammaticè facere, & non grammaticè: Simpliciter etiam syllogisticum quid continet facere syllogisticè, & non syllogisticè.* Ad syllogisticè autem operandum logica dicitur simpliciter omnino necessaria. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad tertiam Ob. cum dicitur. *Omnia esse homini cognoscibilia naturaliter vnde supersua est logica.*

Dicendum illa omnia quæ dicuntur ab intellectu naturaliter cognoscibilia, non debent actualiter intelligi, & cognosci nisi per modum ipsius intellectui. Connaturaliter habet intellectus noster coniunctus, quod abstrahat cognitionem suam à phantasmatis, vnde cognitio dicitur haberi per sensum initiatiuè, & ideo sine sensuum adminiculo nequit haberi intelligendi operatio, & modo quo Hen. hoc ipsum explicat att. 3. q. 4. ad primum. *In naturalibus illud, quod procedit ex radice semper tenet, & sapit naturam radicis, nec potest naturam radicis excedere: sic prima principia naturalis cognitionis cum à sensibus, & sensibilibus velut à radice trabantur, vim, & naturam sensibilibus excedere non possunt.* Pari ratione dicendum est naturaliter cognoscibilia eo modo debere ab intellectu percipi, quo intellectus est natus illa percipere. Logica est medium, siue modus, quo ad alias capeffendas facultates vtitur intellectus, vt syllogisticè procedat, illasque modo scientifico possideat. Quapropter quicquid scientificè ab intellectu percipitur, dicitur naturaliter percipi, quia logica est secundum naturam ipsius intellectus, nec officit cognoscibilitati rei. Ita Hen. loco citato in responsione ad secundum. *Homini in statu buius vite solum sunt naturaliter cognoscibilia quæ sensuum admi-*

adminiculo capere potest, & quia de natura sua natus est illa intelligere. Immo si sermo sit de illis quæ per supernam reuelationem homini manifestantur, licet sint supernaturali lumine intelligenda, concurrat tamen intellectus ad ea percipienda, quatenus, ut subiungit Hen. *Homo ordinatur ad hoc, ut per gratiam eleuetur ad suscipiendum maius bonum, quam sit illud, quod potest attingere per naturam.* Necessitas logicæ ex eo desumitur, quia adest naturalis connexio inter facultates speculatiuas, quæ ipsam præexigunt, ut in perfecto statu aquirantur. Ad formam itaque argumenti distinguitur sequela maioris, si adest connexio illa, de qua hæctenus dictum est, negatur: secus, si è contra.

ARTICVLVS I.

QVÆST. II.

Virum Logica Artificialis possit esse à natura.



RO parte affirmatiua arguitur primo. Quod non est à natura dicitur esse contra, vel præter, vel super naturam, sed logica neque est contra, neque præter, neque super naturam hominis: ergo dicenda erit à natura ipsius. Maior est certa; nam illud dicitur verè naturale, quod est alicui naturæ debitum, ut ben. Hen. quodlib. 1. q. 10. ubi in materia prima distinguit potentiam obedientiæ à potentia naturali. *Si materia ætèrnum suum quem potest habere actione diuina supernaturali obedientia, nata esse habere ex sua natura, &c.* Minor verò patet cum logicâ, & cæteræ facultates dicantur esse naturales ex Hen. art. 1. q. 4. ad secundum. *Natura dicitur illa dare, quia licet non det illa immediatè, dat tamen illa*

illa per quæ acquirere potest ea. Quod de logica præcipuè affirmari potest.

Secundo, Natura non deficit in necessarijs, sed habere logicam est homini necessarium ad alias scientias acquirendas ergo est à natura. Minor patet ex præcedenti, in qua conclusum est, non posse scientias speculativas in statu perfectio haberi sine logica artificiali. Maior verò est commune proloquium philosophorum, & Hen. art. 1. q. 4. ad secundum. *Dicendum quod natura non dicitur deficere in necessarijs, &c.*

Tertio, Arguitur Homo non debet esse brutus animantibus inferior, sed alia Animantia habent cognitionem necessariam à natura secundum suum statum: ergo etiam homo omnem cognitionem logicalem, & scientificam habebit à natura. Maior est certa, cum homo sit inter sublunares Creaturas dignissimus, & superior omnibus alijs ratione carentibus, vt ait Hen. ar. 4. q. 8. *Homo autem quamquam infima creatura sit inter intellectualia, superior tamen est omni creatura carente intellectu.* Minor vero probatur ex Hen. ar. 1. q. 4. ad sextum. *Natura dedit animantibus. Vt hirundini ex qua materia, & quomodo debeat nidificare: & formica, qualia grana, & quomodo debeat ea sibi thesaurizare, & ceteris huiusmodi consimilia.*

Notandum primo naturam posse dupliciter accipi, vel quatenus respicit solam potentiam, quæ dicitur naturalis ad operandum, ita vt dicatur naturale quicquid à tali potentia proficiscitur, & ita naturales possent dici quæcumque sciētici, siue facultates lumine naturali ab homine acquiübiles, quia, Scilicet ad ipsarum acquisitionem potentiam naturalem habet insitam, vt ait Hen. ar. 3. q. 4. *Nunc autem ita est, quod ratio naturalis in cognitione, quæ sibi ex puris naturalibus competit: utitur vt instrumento lumine naturali sibi veritates rerum illustrante, & eas intellectui manifestante, & art. 1. q. 4. ad primum. Potentia cognitiua naturalis est, maxime autem respectu sui subiecti. Subiecti enim sui potentia naturalis est: quia natura-*

naturaliter animæ indita, & non ab extrinseco acquisita. Vel quatenus natura respicit actum ipsum acquisibilem per talem potentiam, & sic non potest dici vere naturalis ille effectus, qui ita procedit, ut non naturaliter, sed potius rationaliter habeat esse, & in hoc sensu, quia scientiæ sunt ab hominæ acquisibiles non bene dicuntur naturales, sed potius rationales, quia sunt humanæ rationis effectus dicente Hen. ibidem. Respectu vero sui actus maxime illius, qui est scire ea, quæ post principia, non est proprie potentia naturalis: sed rationalis, quia scire conclusiones non contingit homini, nisi via rationalis inquisitionis, & investigationis, quæ valet ad opposita, quia in ea potest errare, & dirigere. Unde Philosophus in 2. Phys. Diuidit principium operatiuum, quod est natura, eo quod rationalis potestas valet ad opposita, natura vero ad unum tantum.

Notandum secundo. Difficultatem hanc. An logica sit à natura, tunc negotium facessere, quando inquiritur de ipsius logicæ primis auctoribus, quem ad modum, & de alijs scientijs hoc idem queri potest. Sciendum igitur posse ex sua naturali industria hominem logicam facultatem sibi acquirere, quemadmodum asserit Hen. art. 1. q. 5. Sciendum quod sicuti in naturalibus aliquando principium agens intra, ita potens est, ut sine omni adminiculo exterioris agentis potentiam potest in actum deducere, aliquando vero ita est debile quod sibi non sufficit ad illud sine adminiculo agentis exterioris, v. g. in agrotante aliquando vis naturalis intra curatiua morbi, tam potens est ut sine omni adminiculo exteriori, & adiutorio medici, & medicinæ de potentia sano, faciat actu sanum. Similiter contingit in proposito, quod aliquis homo aliquando inuenitur ex solertia naturali, ita subtilis, & industrius, ut solo adiutorio interiori luminis intellectus agentis, possit ex primis principijs naturaliter intellectus elicere ductu naturalis rationis conclusiones proximas, & deinde paucis interpositis concludit. Credo igitur, quod per se homo, sine omni Doctore exteriori, ex puris

naturalibus potest scientiam sibi acquirere. Sic enim ab initio artes repertæ sunt. Immo probabile est primos artium inuatores aequaliter diuina reuelatione non caruisse, vt ait Hen. art. 9. q. 2. ad secundum. Sic & Philosophis ostensum est exemplar creaturæ factæ, secundum artem Diuinæ Legis, in qua animaduertent rationes, & regulas artium Philosophicarum. Et asserit Deum hoc fecisse. Illis naturalem industriam inuestigandi tribuendo, etiam fortè cum hoc, & eos radiolucis increate illustrando. Et tamen Philosophi huiusmodi dicuntur suarum scientiarum inuatores, quia (vt subiungit Hen.) Propriè tamen dicuntur Authores suarum scientiarum, quia rationes suarum scientiarum eis explicite sine propria indagacionis industria non reuelauit.

Conclusio. Logica non habetur à Natura.

Explico. Logica acquisibilis per studium non in homine à natura, neque quantum ad primos ipsius inuatores, si consideretur secundum vsum, & possessionem: bene tamen est à natura, si consideretur quo ad aptitudinem, & potentiam ad illam habendam, & acquirendam.

Est Hen. art. 1. q. 4. *Scire in potentia nobis contingit à natura, in actu autem, & perfectione à studio nostro, & perfectione, &c.*

Probatur ratione sic. Quod est à natura solet esse æquale in omnibus: sed logica secundum actum non est æqualis in omnibus: ergo logica secundum actum non est à natura.

Ad primam Ob. cum dicitur, *Si non est à natura, vel est contra, vel præter, vel supra naturam.*

Dicendum hic naturam non accipi secundum quod distinguitur à contra, præter & supra naturam, sed secundum quod potentia naturalis ab ipsa natura distinguitur. Vnde quod habetur in actu per talem potentiam, licet aliquo pacto dici possit

fit

sit naturale, non tamen propriè naturale est, quomobrem dicit Hen. art. 1. q. 4. ad tertium. *Illà notitia quodammodo est naturalis, & quodammodo est acquisita, solum tamen in potentia inest naturaliter, in quantum non est in actu, nisi per hoc quod est acquisita, & loquens de potentia cognitiua in ordine ad actum in responsione ad primum ait. Respectu verò sui actus, maximè illius, qui est scire ea, quæ post principia non est propriè potentia naturalis, sed rationalis.* Vt in primo notabili dictum est. Ad formam itaque argumenti distinguenda est maior, quod enim non est à natura, vel è contra, præter, aut supra naturam, potest esse actus potentia rationalis.

Ad secundum cum dicitur, *Natura non deficit in necessarijs, logica autem est necessaria, &c.*

Dicendum tunc posse de tali deficientia naturæ dubitari, quando ab ipsa rei necessitate non daretur actus, neque potentia. Sed non debet dici natura deficiens quando subministrat potentiam, & instrumenta ad rem necessariam acquirendam ordinata, ita ad secundum. Respondet Hen. art. 1. q. 4. *Dicendum quod natura non dicitur deficere in necessarijs, quando dat illa, per quæ omnia necessaria possunt acquiri: licet ipsa immediatè non conferat. Sicut non deficit homini in necessarijs non dando ei armaturam naturalem, & vestitum sicut alijs animalibus dedit ista; cum dederit homini rationem, & manus, per quæ illa sibi potest acquirere quæ non dedit brutis, & ideo eis illa dedit, ne eis in necessarijs deficiat, quia sibi ea acquirere non possunt. Et est maximè notatu dignum, quod aliquid necessarium ad esse à natura nulli denegatur. Sed necessarium ad bene esse solum habet potentiam ut acquiratur, & ita docet Hen. ibidem. *Quædam sunt necessaria ad esse, quædam ad bene esse. In necessarijs primo modo nunquam natura deficit alicui speciei, quin omnia sibi necessaria immediatè conferat ei. In necessarijs autem secundo modo similiter non deficit ei, quia illi, quæ illa sibi acquirere non potest, dat immediatè ea, per quæ il-**

la sibi acquirere possit, &c. Non deficit omninò natura in necessarijs, cum det homini rationem, per quam potest logicam sibi acquirere, cum logica ad esse ipsius hominis non sit necessaria, sed tantum ad bene esse. Ad formam itaque argumenti distinguitur Maior. Natura enim non dicitur deficere in necessarijs, vel dando immediatè quæ necessaria sunt, vel dando potentiam ad illorum acquisitionem.

Ad tertiam cum dicitur. *Alia animantia habent cognitionem sibi necessariam: ergo multo magis homo.*

Dicendum non idcirco hominem esse alijs animantibus inferiore, cum non habeat scire sibi necessarium, nisi in potentia secundum quam est aptus natus ad acquirendam sibi huiusmodi perfectionem, quin potius eo ipso dicendus est ipsis perfectior, cum sit suorum actuum Dominus, & possit in scientijs proficere, illasque possidere. Ita respondet Hen. cit. art. 1. q. 4. ad 6. *Dicendum quod reuera natura in homine perfectior est, quam in brutis, & maximè ratione intellectus, quo excellit: & est de perfectione eius quod nullam habet scientiam naturalem, & de brutorum imperfectione, quod habent naturales industrias, quia enim natura est determinata ad unum, & industria brutorum est naturalis: ideo solum habeat uno, & eodem modo operari in omnibus, in quibus est: Ut omnis hirundo eodem modo facit nidum, aranea telam, & apis fauam. Quia verò potest ad diuersa, & opposita, ideo diuersimodè potest homo per rationem operari, idem ut domum, vel vestem, & huiusmodi, &c.* Logica ponitur in homine secundum potentiam, secundum actum vero ductu naturalis rationis est obtinenda. Ad formam itaque argumenti. Ad maiorem dicitur, non solum hominem non esse inferiore, immo esse excellentiorem reliquis animantibus, ex eo quia habet in potentia perfectionem suam.

ARTICVLVS I.

QVAESTIO III.

Vtrum Logica sit scientia.

PRO parte negatiua arguitur primo. Illa dicenda est scientia, quæ habet materiam determinatam, sed logica non habet materiam determinatam: ergo logica non est scientia. Maior patet, nam per determinationem sui obiecti vna scientia ab alia distinguitur. Est Hen. art. 7. q. 1. *Mathematicus considerat corpus in quantum est quoddam ens, naturalis verò in quantum mobile est.* Minor vero probatur, Nam omnibus scientiis logica est applicabilis, quando scientiæ syllogisticè debent procedere, vt ex Hen. art. 1. q. 4. ad octauum dictum est. *Syllogisticè facit homo aliquid quando attendendo ordinem medijs ad extrema operatur procedendo ad intentum.* Quod omnibus scientiis est commune.

Secundo Arguitur. Quod ad aliud ordinatur, non est id, ad quod ordinatur, sed logica ordinatur ad alias scientias: ergo logica non est scientia. Minor patet ex dictis. Maior verò est certa ex ipsis scientiis quæ ordinatæ inter se habent quod vna non sit alia, vt ait Hen. art. 7. q. 8. *Vnde & Philosophi scientiam illam, in qua ponebant Dei cognitionem, & inuisibilem, ultimam ordinabant adipiscendam, & ad illam omnem aliam dirigebant.*

Tertio. Omnis scientia vel est practica, vel speculatiua, sed logica, neque practica est, neque speculatiua: ergo nullo modo est scientia. Maior est euidentis ex Hen. art. 8. quæst. 3. *Est aliqua scientia purè practica; Vt illa, qua docet operanda, &*
est

est propter opus principaliter: sicut est moralis scientia: de qua Philosophus dicit, quod non est ut sciamus, sed ut boni fiamus. Alia verò est purè speculatiua, ut quæ docet speculanda nullo modo ordinata ad opus, ut Mathematica, &c. Minor veiò probatur, Nam logica non est speculatiua, cum in veritatis alicuius contemplatione non consistat: neq. practica, cum non habeat opus ab aliis scientiis distinctum, quibus ipsa est applicabilis.

Notandum primo. Scientiam sumi posse, vel in latiori scientiæ significatione, vel secundum rigorem veræ scientiæ. Primo modo omnis notitia veritatis, quæcumque illa sit, appellari solet scientia, quatenus scilicet, neque opinio est, neque dubitatio, aut suspicio, sed quatenus habet in se certitudinem eius, quod cognoscitur. Secundario autem sumitur secundum rei cognitæ euidentiã, quando intellectus certus est in eo, quod per discursum assequitur. Tangit hanc duplicem scientiam Hen. art. 6. q. 1. *Dicendum, quod notitia aliqua appellatur scientia dupliciter, vno modo stricte, alio modo largè. Largè appellatur scientia qualibet notitia certa veritatis: Et scientia sic dicta distinguitur contra opinionem, dubitationem, & suspicionem, quæ sunt operationes intellectus, & notitia, sine vlla certitudine. Stricte verò appellatur scientia solummodo eorum, quorum veritas intellectui, ex rei euidentiã apparet, ut intellectus in ea sibi ipsi sit testis, & certitudinem ex eo, quod videt, habeat.* De logica non queritur in presenti, an sit scientia primo modo, quia sic omnis notitia, dici potest scientia, sed secundo modo, & est in suo genere perfecta scientia, si sumatur perfectum, quatenus dicit aliquid, cui ad suum finem nihil deest ut perfectum definit Hen. art. 6. q. 4. *Dicitur perfectum, cui nihil deest de fine, ad quem est, sed perfecte ipsum attingit.* Est enim logica secundum suum esse, operationum intellectus directiua, & sic attingens perfecte finem, ad quem est ordinata.

No-

Notandum secundo. Solere logicam distingui in docentem, & vtentem. Docens quidem dicitur logica, quatenus regulas bene syllogizandi docet, & deducendi ex præmissis cognitis legitimas consequentias. Vtens autem quatenus aliis scientiis est applicabilis, & ordinat media aliarum scientiarum, vt modo scientifico de suis subiectis, & materijs differant, & agant. Vtra istarum rationum sit attendenda, vt logica inter scientias numeretur, solet non leuis esse controuersia Hen. art. 7. quæst. 12. Duplex logicæ facultatis munus affert hæc verba. *Primo declarat communes propositiones, quibus vtitur qualibet scientia; secundo docet modos arguendi, quibus declarat, verè inuentum esse id, quod alia scientia ex proprijs principijs adinueniunt secundum quod dicit Philosophus loquens, vt logicus in lib. Post. Aliarum scientiarum est medium inuenire, nostrum autem est ordinare, &c.* Neque ponit inter logicam docentem, & vtentem differentiam aliquam in genere scientiæ, sed abstrahendo ab vtraque ratione inquit. *Aliarum scientiarum, &c.* Admittens scilicet logicam esse scientiam ordinantem huiusmodi media, secundum quod vtens est, & esse scientiam vt tradentem regulas arguendi, quatenus docens est.

Conclusio. Logica est scientia.

Explicatur. Logica abstrahendo à docente, & vteute est verè, & perfectè in suo genere scientia, quatenus scilicet. Scientia non solum est generica quædam notitia, sed etiam in rigorosè sumitur scientia.

Est Hen. art. 7. q. 12. *Philosophia in tres partes secatur, prima est logica sub qua comprahendit omnes scientias sermocinales, quæ non docent cognoscere res, sed modos sciendi alia; de quibus dicit Philosophus: Quædam non volumus scire propter se; sed, vt per hæc alia cognoscamus.*

Probatur ratione sic. Illa est verè scientia, per quam homo
non

non solum cognoscit, sed scit seipsum cognoscere procedendo per causas ad effectus: sed per logicam homo scit se syllogisticè per causas procedere: ergo logica est verè scientia.

Ad primam Ob. *Cum dicitur logicam non habere materiam determinatam, omnis autem scientia ita supponit illam, &c.*

Dicendum duplicem materiam esse logicè assignabilem proximam scilicet, & remotam. Proxima quidem illa dicitur, circa quam ipsa immediatè versatur, & est secunda intentio, siue operationes intellectus vt dirigibiles, quod in idem redit. Agendo enim de modo syllogisticè procedendi, omnia de quibus ipsa agit, vnam rationem formalem induunt, secundum quam logica dicitur verè esse scientia ab aliis omnino diuersa, quemadmodum de quacumque alia scientia astruit Hen. art. 6. q. 3. *Plura in nullo reali conueniunt, & tamen omnium illorum est scientia vna, quia habet subiectum vnum vnius rationis; in qua quidem ratione aliquo modo communicant omnia, quae scientia illa considerat.* Logica habet suam proximam materiam, & proximum subiectum, de quo in sequenti quæstione videbimus. Remota autem materia dicitur aliarum scientiarum subiectum, quatenus logica illis applicatur; & habet ordinare media, quibus syllogisticè ad indagacionem veritatis ipsarum procedatur, vt ex Philosopho dicebat Hen. cit. art. 7. q. 12. *Quadam non volumus scire propter se, sed vt per hæc alia cognoscamus, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur Maior: debet enim quælibet scientia habere materiam proximam determinatam, sibi propriam, & sic dicitur ad minorem, quod scilicet logica hanc habet, licet deinde tanquam materiam remotam respiciat etiam materiam aliarum facultatum.

Ad secundam cum dicitur. *Logicam ordinari ad scientias, & ideo scientiam esse non posse, cum nullum ordinabile ad aliud sit illud ad quod ordinatur.*

Di.

Dicendum ordinabile ad alterum posse dupliciter intelligi, vel scilicet quod ordinabile ab eo ad quod ordinatur recipit suum esse simpliciter, vel secundum, quod accipit tantum esse secundum quid, siue potius secundum tale genus. Materia prima, quia ordinatur ad compositum, essentialiter ipsa non potest dici compositum, sed scientiæ quæ dicuntur ad alias scientias subordinari, non dicuntur priuari nomine scientiæ, quia talis ordo supponit illas in suo esse simpliciter iam constitutas. Ordinantur ad Metaphysicam omnes aliæ scientiæ Philosophicæ, ut habet Hen. art. 7. q. 8. *Ordo disciplina nostra requirit, ut ab imperfecto ad perfectius, & à nobis magis noto ad minus notum ascendamus, & ideo cum intentione ultima in scientia philosophica est cognitio Dei altissimi, ut dicit Auicenna 1. Metaphysica: Habent enim scientiæ inuicem ordinari, quatenus id, quod vna imperfectè attingit, altera perfectè possidet, ut ibidem innuit Hen. Ex parte rei illa scientia ordinatur ad aliam, quæ attingit imperfectè, quod altera consequitur perfectè, &c.* Et concludit omnes scientias esse Theologiæ subordinatas quatenus Theologia est omnino principalis. *Scientiæ speculatiua ordinantur ad istam, eo quod principalis est ad illas, quia scilicet considerat prima principia altissima, sub quibus omnia alia continentur, quæ considerantur in alijs scientijs, quæ perfectam notitiam non habent in sua veritate, nisi in quantum ordinantur in principia prima simpliciter, &c.* Ordo huiusmodi non potest scientiæ ordinabili officere, quia est quid fundatum iam in esse ipsarum scientiarum, quæ ordinantur. Logica ad scientias alias ordinabilis habet iam in se quod sit scientia, ut eodem loco astruit Hen. *Philosophia tres partes continet Logicam, Ethicam, Theoricam, &c.* Nec ideo est scientia, quia ad alias ordinatur, sed potius cum scientia sit habens suas proprias demonstrationes, potest alijs scientijs applicata deferuire, quod est logicæ munus secundarium. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, concedendo ipsam de ordinabi-

li secundum potentiam passiuam essentialem , negando autem secundum potentiam actiuam , siue passiuam accidentalem , quæ habet fundari in ipsa re ordinabili , quæ antecedenter ad talem ordinabilitatem habet suum esse , & sic distinguenda est minor , vt patet .

Ad tertiam cum dicitur . *Logicam neque practicam esse , neque speculatiuam .*

Dicendum optimè concludere , quod in argumento adducitur ex Hen. art. 8. quæst. 3. de distinctione scientiæ practicæ , à scientia speculatiua . *Illam docet operanda , hanc verò speculanda .* Logica non ita ad praxim restringendam puto , quin aliquid speculatiui in se admittat , licet enim sit in alterius gratiam , hoc tamen non facit , quod ipsa suas demonstrationes non habeat , probando suos concludendi modos , & causas talium deductionum inquirendo . Quod si non habet realem materiam , secundum cuius speculationem procedat , hoc solum arguit in logica imperfectionem , siue esse diminutum speculatiuum . Certum autem est perfectum , & imperfectum speciem non variare , vt docet Hen. art. 64 q. 4. ad secundum , licet ad aliud propositum . *Ens habet quod sit diminutum ex solo defectu Agentis , vt contingit in minus calido respectu magis calidi , &c .* Ita scientiæ sunt inter se magis , & minus perfectæ , siue in speculando , siue in operando , vt idem Hen. affirmat art. 7. quæst. 8. *Ad finem vltimum ad quem realiter ordinantur proprii fines omnium scientiarum practicarum , qui sunt imperfecti in se , & non perficiuntur nisi reductione ad finem vltimum . In practicis autem scientijs est ordo secundum ordinem finium , vt sicut scientia est sub scientia , cuius finis est sub fine alterius , sic illa scientia ordinatur ad aliam , cuius finis ordinatur ad finem alterius , &c .* Est logica scientia speculatiua aliquo modo , & est practica , quia est in aliarum scientiarum gratiam ordinabilis , & consequenter magis practica , quam speculatiua . Nisi quis dicat illam verè neque dicendam speculatiuam , neque pra-

practicam si attendatur, dictum Hugonis ab Hen. allatum, & approbatum. *Philosophia tres partes continet Logicam, Ethicam, & Theoricam.* Vbi videtur logicam ab Ethica, siue practica, & à Theorica siue speculatiua condistingueri cum sit scientia media inter scientias reales, & sermociniales ut supra tactum est, sumendo tamen speculatiuum, & practicum, in latiori significatione, bene potest concedi aliquo modo esse logicam speculatiuam, sed magis practicam, quia est in aliarum scientiarum ministerio occupata. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

ARTICVLVS I.

QVÆST. IV.

Virum obiectum Logicæ sit secunda intentio.



RO parte negatiua arguitur primo. Obiectum scientiæ debet præcedere omne opus intellectus, sed secunda intentio non præcedit, immo consequitur ad illud: ergo secunda intentio non est obiectum Logicæ. Maior certa est, nam subiectum debet mouere intellectum, ut bene

notat Hen. art. 19. q. 1. *Subiectum sic se habet ad scientiam in cognitione intellectiua, sicut se habet obiectum per se alicuius actus ad actum sentiendi in cognitione, quoniam sicut obiectum est primum per se mouens sensum ad actum sentiendi in cognitione sensitiua, ut color visum ad actum videndi, sic subiectum scientiæ cuiuscumque est primum per se mouens intellectum ad actum sciendi in cognitione intellectiua, &c.* Minor verò patet nam intellectus secundarum intentionum est artifex, ut ait Hen. art. 43. quæst. 2. *Vniuersalitas enim non accidit alicui*

Natura, nisi cum ceciderit in formatione intelligibili, &c.

Secundo arguitur. Obiectum formale alicuius scientiæ debet vniuocè conuenire omnibus, quæ in illa scientia pertractantur, sed secunda intentio non conuenit vniuocè omnibus, de quibus agitur in logica: ergo non est obiectum formale ipsius. Maior est indubitata, nam omnia debent sub vno obiecti formalitate contineri, vt habet Hen. art. 19. quæst. 1. *Medicina est scientia vna de omnibus attributis sanitati corporis, siue sit indicatiuum sanitatis, vt vrina, siue affectiuum, vt syropus, siue conseruatiuum, vt ordinata diæta. Quæ sunt secundum vnum genus aliquod, &c.* Minor verò probatur præcipuè de prædicamentis, ad quæ non se habet vniuocè. Secunda Intentio entis, vt affirmat Hen. a rt. 75. q. 6. ad tertium. *Propter analogiam esse, quæ est inter substantiam, & accidens, &c.*

Tertio arguitur. Scientiæ obiectum debet esse tale, qualis est scientia ipsa, & è conuerso, sed ens rationis, siue secunda intentio non est quid medium inter ens reale, & sermones, & scientia, quæ est logica talem modum obtinet: ergo secunda intentio non est logicæ obiectum. Maior est euidentis, quia scientiæ specificantur ab obiectis, à quibus etiam desumunt vnitatem, vt affirmat Hen. art. 6. q. 1. *Dicitur scientia vna, quia habet subiectum vnum vnius rationis, &c.* Minor verò quo, ad primam partem certa est, nam secunda intentio est omnino ab ente reali diuersa. Quod verò de logica dicitur, quod sit media inter scientias reales, & sermocinales; Hen. ar. 53. q. 5. *Logica est quasi media inter scientias reales, & sermocinales, &c.*

Notandum primo. Obiectum alicuius scientiæ solere distinguï in obiectum formale, & obiectum materiale. Formale obiectum dicitur, cui annexa est ratio formalis, secundum quam in tali scientia consideratur. Materiale autem dicitur omne id, quod per aliquam attributionem ad illam formalitatem

ratem

tatem spectat, & pertractatur. Distinctionem huiusmodi obferuat Hen. art. 19. quæst. 3. dicens. *Differunt materia, & subiectum, quod subiectum est illud, quod primo cadit in notitia scientia, tanquam eius per se obiectum, & cuius notitia principaliter intenditur. Materia verò generaliter est omne illud præter subiectum, quod in scientia consideratur propter aliquam attributionem ad ipsum subiectum, sub ratione qua subiectum est, &c.* (& paucis interpositis addit) *Per hoc reducuntur ad illam scientiam, ut ratio illa sit quasi forma substantialis per quam aliquid cadit sub scientia, per quam considerantur omnes aliæ rationes tanquam forme accidentales, secundum quas cognitio inuestigatur in scientia, &c.* De multis agit logica, ut videre est in eius partibus, quatenus diuersos continet tractatus, sed illa omnia, licet videantur inter se omninò differentia, habent tamen, quod in vnica ratione conueniant, ratione scilicet obiecti formalis, in cuius gratiam omnia pertractantur. Et à tali ratione formalitatis obiecti vnitas scientiæ solet argui, ut vult Hen. art. 6. q. 3. *Quia habes subiectum vnum, vnius rationis, in qua quidem ratione aliquo modo communicant omnia, qua scientia illa considerat, quod de logica maxime verificatur.*

Notandum secundo. Opera intellectus nostri posse dupliciter accipi, scilicet subiectiuè, & obiectiuè. Dicuntur subiectiuè considerata esse realia, & sub tali ratione ipsorum pertractatio dicitur pertinere ad Animalicos, quorum est considerare ea, quæ possunt à potentijs intellectiua, & vofitiua procedere; si verò considerantur opera nostri intellectus obiectiuè, tunc dicuntur esse puræ intentiones, quæ rationales potius, quam reales sunt appellandæ. Hinc orta est vulgata illa distinctio intentionum, quarum aliæ dicuntur primæ, & sunt ipsæmet res, aliæ verò secundæ, quæ sunt mentis nostræ conceptus circa intentiones primas, ita Hen. art. 53. quæst. 5. *Intentionum quadam sunt prima, quadam secunda, & sic quod-*



quodlibet vniuersale reale, in quantum habet rationem abstracti, est intentio predicabilis, quia extra singularia non est, nisi in consideratione intellectus. Cætera verò, quæ per considerationem intellectus considerantur, siue operantur, & circa vniuersalia, & circa particularia siue mediata, siue immediata sunt intentiones puræ. Cum dicitur logicæ obiectum esse secunda intentio, ita debet intelligi, vt quodcumque opus intellectus conferens ad dirigendas ipsius operationes dicatur secunda intentio non subiectiuè consideratum, vt est in potentia intellectiua naturali, sed vt consideratum obiectiuè in ordine ad ipsius intellectus perfectionem.

Conclusio. Logicæ obiectum est secunda intentio.

Explicatur. Obiectum formale logicæ non est nisi ens rationis, siue secunda intentio obiectiuè considerata, quatenus est operationum intellectus directiua. Est Hen. art. 53. quæst. 5; *Consideratio verò secundarum intentionum, quia vel est circa res, vt sunt expressibiles vocibus, & hoc quoad intentiones logicales, &c.*

Probatur ratione sic. Illud est obiectum formale alicuius scientiæ, quod est contentiuum omnium, quæ in illa pertractantur, sed secunda intentio est huiusmodi: ergo secunda intentio est obiectum formale logicæ. Probatur minor, nam omnia de quibus agitur in logica, sunt, vel vniuersalia, vel propositiones, vel syllogismi, quæ sunt sub ratione secundæ intentionis conuenientia.

Ad primam Ob. cum dicitur. *Secundam intentionem esse opus intellectus, vnde non potest intellectus operationes dirigere.*

Dicendum in intellectu ex frequentæ actibus habitum, acquiri, cuius beneficio habetur promptè; & faciliter operari. Et ratione comparati habitus habet conficiendæ demonstrationis

tionis promptam facilitatem, quemadmodum ex eo, quod habitualiter est in intellectu, dicitur poni in actu aliquid, quod recenter intelligitur, ut docebat Hen. quodlib. 5. quæst. 25. *Per hoc enim, quod in eadem substantia anima sunt phantasticum, & intellectivum idem, quod ut singulare est obiectum imaginativæ, & tanquam cognitum in ea, idem ut univiale est obiectum intelligentiæ, & simpliciter ut cognitum in ea.* Et quia ibi loquebatur de verbo, quod sibi format intellectus, subiungit statim. *Verbum potest appellari ipsum obiectum, ut est in actuali noticia conceptum de seipso, ut est in habituali noticia prius existens in memoria.* Secunda intentio actualiter sumpta certum est, quod ab intellectu producitur, & est opus ipsius, sed alio modo procedit ab intellectu informato habitu logicali, ac procedat à non informato. Cum dicitur secunda intentio esse operationum intellectus directiva, debet intelligi, ut habitualiter est in memoria intellectuali, non ut actu exercetur, syllogismus enim non dicitur, quando fit, dirigere opus intellectus, sed in habitu existens dicitur esse regula optimi syllogismi conficiendi. Hoc tangit Hen. quodlib. 5. q. 14. *Intellectus per studium, & investigationem diligenter sepius re percepta generat in se ipso habitum scientialem, ex quo promptè, & faciliter ad perceptionem obiectorum exit in actum ad illa, & consimilia percipienda, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, nam obiectum scientiæ debet præcedere omne opus intellectus, si consideretur secundum habitum, & conceditur, secundum verò actum, & negatur. Secunda intentio habitualiter considerata est præcedens opus nostræ mentis, & habet vim dirigendi intellectum ad operationes suas ritè exequendas, quemadmodum, & primò movere, & ad actum dicitur deducere intellectum.

Ad secundam cum dicitur. *Secunda intentio non univoce convenit omnibus contentis in logica.*

Dicendum non esse attendendam univocationis conven-
nien-

nientiam quantum ad res secundum suum esse reale consideratas, sic enim (vt bene ex Hen. deducitur in argumento) multa diuersorum generum est reperire in aliqua scientia pertractata, quæ propriè non sunt dicenda esse illius scientiæ obiectum, aut subiectum, sed potius pura materia, quæ solum habet considerari secundum materiale connotatum ipsius obiecti; sed debet attendi vniuocatio rationis, sub qua constituitur subiectum in esse subiecti, & dicitur scientiæ obiectum formale; cum sit forma omnia complectens, & in vnum cogens de quibus in tali scientia instituitur pertractatio, vt docebat Hen. art. 6. q. 3. *Scientiam habent non solum illa, quorum est subiectum vnum commune, aut genere, aut specie dictum vniuocè, sed quorum esse attribuitur vni.* Vbi non obstat talium siue analogia, siue etiam æquiuocatio, dummodo ratio illa habeat vni uocationis ratione talis scientiæ. Quod ens sit non vniuocè, sed analogum ad substantiam, & accidens reduplicatiuè, vt ens est, non facit quod substantia, & accidens nequeant conuenire secundum rationem logicalem aliquam, secundum quam logica dicitur illa complecti. Ita ex Philo-
pho Hen. ibidem. *Vnius in quantum vnum, vna est scientia, quantumcumque eni aliqua inter se sint diuersa, si rationem vnã induunt, quæ primo ei, quod est per se subiectum scientiæ, conuenit, vna est scientia de omnibus illis per attributionem illorum ad subiectum scientiæ, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, quæ debet concedi quantum ad vniuocationem in ratione formali obiecti; negari verò, si contendant esse necessariam vniuocationem secundum esse rerum materialiter sumptarum. Quod habetur in secunda intentione logicali, cuius ratio vniuocè amplectitur omnia illa diuersa secundum suum esse considerata.

Ad tertiam cum dicitur. *Logicam esse mediam inter scientias reales, & sermocinales, secundam autem intentionem non esse mediam, &c.*

Dicen-

Dicendum optimè ab obiectis suis formalibus scientias specificari, & debere de illis dici quicquid obiectum formale se cum ferre consuevit, sicut enim colligit Hen. art. 19. q. 1. ad tertium differentiam inter scientias philosophicas, & Theologicas quia, *Ex ordine, & proprietate huius scientia, Deus est primum scitum in ea, & ex Ordine, & proprietate in alijs scientijs, Deus est vltimum scitum in eis, &c.* Et sic quicquid de obiecto dicitur, hoc idem, & de ipsa scientia, & logica à secunda intentione habet quicquid habere inuenitur. Concedendum quidem secundam intentionem non esse realem, cum obiectiùè consideretur modo iam exposito. Habet tamen quod consideretur etiam, vt quid maius sermocinalibus facultatibus, neque enim in solo sermone consistere dicitur, & innuit hoc expresse Hen. art. 53. q. 5. *Et tamen logica minus sermocinalis, & magis realis est quam Grammatica, Qualem verò locum tribuimus obiecto formali, talem & scientiæ debemus concedere. Ad formam itaque argumenti negatur minor.*



ARTICVLVS II.

Circa secundum Articulum de Vniuersalibus quærebantur septem, scilicet Quidditas simpliciter, Separabilitas à singularibus Naturalis, & Supernaturalis, Modus eorum productionis, Dependētia ab intellectu agente, & intellectus possibilis operationibus, & tandem eorum à prædicabilibus Differentia. Erat autem

QUÆSTIO I.

Virum Vniuersalia dentur.



RO parte negatiua arguitur primo. Quod est proprium Deo, non debet attribui alicui creato; sed esse Vniuersale est proprium Deo: ergo nihil præter ipsum, Vniuersale dicendum est; Maior patet. Creatura enim non debet Creatori adæquari, quemadmodum de æternitate, inquit Hen. art. 31. q. 1. ad primum. *Nunquam tamen est æternitas creatura eiusdem nature cum æternitate Dei, quod de omnibus omninò reliquis attributis dicendum est. Minor verò probatur, quia esse vniuersale nihil est aliud, quam esse illimitatum, Deus autem est omninò huiusmodi, vnde ait Henr. art. 44. q. 1. Infinitas essentia Dei est spiritualis magnitudo perfectionis in esse absoluto infinitos gradus magnitudinum*

dicendum perfectionis in esse in infinitum accipiendum continens.

Secundo arguitur. Non est à Deo auferenda annihilandi potentia, sed dato vniuersali non potest sequi annihilatio in creaturis: ergo vniuersale non dari dicendum est. Maior pater, nam potentia in Deo ponitur infinita, & quemadmodum potest res de nihilo producere, vt ait Henr. art. 35. q. 6. *Potentia qua elicitur actus producendi aliquid ex nihilo, in infinitum est maior, &c.* Ita annihilandi potentia non est illi deneganda. Minor verò probatur, nam vniuersale illud v. g. humanitas, quæ est in Petro, non est destruibile, licet Petrus dicatur esse corruptibilis, vt dicit Henr. art. 2. q. 2. ad primum. *Naturalia sunt in continuo fluxu Dicendum, quod verum est in ipsis particulatibus, non autem in vniuersalibus abstractis*

Tertio arguitur; illud debet poni in rerum natura, quod habet suas operationes, sed vniuersali nulla est operatio assignabilis: ergo vniuersale non est ponendum in rerum natura. Maior probatur ex inductione inter substantias omnes, quæ habent suas operationes annexas, quemadmodum habet Henr. quodlibeto 10. q. 8. *Omnis forma substantialis est principium essendi in composito, in quo est, vt materia quoniam cum huiusmodi forma consequuntur in composito proprietates, passiones, & omnia accidentia illius, &c.* Minor verò probatur nam omnis actio, & operatio est ab ipsis suppositis, vt habet Henr. quodlib. 3. q. 15. *Operari enim, & agere non est per se, nisi eius, quod habet per se esse in actu, vt non dicatur proprie anima hominis intelligere, sed homo compositus ex anima, & corpore.*

Notandum primo. Vniuersale distingui in vniuersale complexum, quod dicitur propositio vniuersalis complexa, & ita loquitur Henr. art. 1. q. 12. *Ex quibus terminis componendo, & diuidendo, homo concipit prima principia complexa.* Nominè verò principij complexi intelligitur vniuersale concludens, siue vt propositio, siue vt syllogismus. Et in vniuersale incom-

plexum, & hoc est duplex, primum dicitur vniuersale in essendo, siue in causando, & hoc non est nisi Deus ipse, quatenus dicitur esse quid perfectissimum in se, vt vniuersalissimè causat ea omnia, quæ ab ipso procedunt, quod tamen dicitur minus propriè habere rationem vniuersalis. Aliud vero dicitur vniuersale incomplexum, secundum quod aliquid est aptum natum ad essendum in multis, vt dicit Henr. art. 43. q. 2. natura aliqua dicitur. *Vniuersalis per hoc, quod nata est cadere in consideratione intellectus, vt pluribus, in quibus singulariter est multiplicata, nata est per prædicationem applicari, in quibus non est vnum numero, & re, sed tantum ratione, & communitate vniuersalitatis, & de hac natura, quam Henr. vocat vnã in multis, art. 1. q. 1. ad quartum. Vniuersale enim est vnum in multis, & de multis.* Est sermo in præsentì, & quaeritur vtrum sit in rerum natura admittenda.

Secundo. Notandum vniuersale sic acceptum habere, vt duo includat, primum est quidditas, vel essentia, secundum verò ratio prædicabilis, vt eodem art. 43. q. 2. docet Henr. *Ratio vniuersalis consistit non tam in modo prædicandi idem de pluribus, quàm in natura, & proprietate rei prædicatæ, quæ dicitur esse natura, & essentia aliqua. Duo enim includit in se vniuersale, & rem ipsam, quæ est essentia, & rationem prædicabilis de pluribus.* In ipsa verò natura, quæ vniuersalis dicitur tria esse considerari possunt; scilicet Quidditatiũ Naturale, & Rationis. Esse quidditatiũ est illud esse, quod vnumquodque habet in diuino exemplari, & præcedit simpliciter omne aliud esse. Naturale verò est, quando substernitur suis accidentibus, & consideratur vniuersale, vt est in suis singularibus. Esse tandem rationis est, quod per intellectum obtinet. Quæ omnia ibidem expressè affert Henr. & concludit. *Vniuersalitas non accidit alicui natura, nisi cum ceciderit in formatione intelligibili.* Sic enim est vniuersale complexum in esse formali vniuersalitatis, vt dicemus in sequentibus.

Con-

Conclusio. Vniuersale concedi debet in rerum natura.

Explicatur in rerum natura, dicenda est esse essentia, quæ sit apta nata ad essendum in multis, cum sit vna secundum se, vt habens esse, secundum rationis formalitatem, superuenientem illi esse, quod habet in suis singularibus existens.

Est Henrici art. 43. q. 2. Propter quam dicit Philosophus. *Vniuersale est vnum in multis.*

Probarur ratione sic. Illud est vniuersale, quod cum sit natura pluribus singularibus communis, potest per intellectum dici vnum, sed natura huiusmodi datur in hac rerum vniuersitate, vt per inductionem patere potest: ergo vniuersale est concedendum.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Esse vniuersale est proprium Deo, nec potest creaturis attribui.* Dicendum à Deo excludi rationem illam vniuersalitatis, quæ à logico consideratur secundum prædicabilitatem; licet enim in bono sensu vniuersalitas causalitatis dicatur in Deo esse, quatenus scilicet est omnium entium Causa prima; non tamen dicitur diuina essentia habere rationem vniuersalis illius, quod dicitur esse in multis vnum. Ita Hen. ait art. 43. q. 2. *Forma, & natura, que de se, vt est natura concernit rationem singularitatis, quia etsi est singularitas quadam, & ideo non nata est in consideratione intellectus cadere, vt multiplicata in pluribus suppositis, nullo modo recipit in se rationem vniuersalis, quia non potest esse in pluribus.* Quod eidem diuinæ essentiæ applicatur. Et vt dicit ad primum *In Deo Nulla cadit realis diuersitas, & forma Dei non patitur in pluribus multiplicationem.* Quod verò dicitur. *Deum esse infinitum, & consequenter ratione sua illimitationis esse vniuersale.* Dicendum infinitatem illam essen-

di,

di, non ponere vniuersalitatẽ formaliter sumptam, sed solum perfectionem ipsam, quæ ex eo infinita est, quia nullis potest terminis clausa esse diuinitas; Vnde concludit Henr. art. 44. q. 2. *Deum qui est finis omnis consummationis, dicimus infinitum, insinuando in ipso finem consummantem ultra capacitatem omnis creaturæ semper ulterius, protensum.* Talis autem perfectionis infinitas non potest vniuersalitatẽ arguere, vt ipse Henr. fatetur art. 43. q. 2. *Forma Deitatis est vnica, & singularis unitate rei in diuersis suppositis, idcirco simpliciter dicendam, quod in ipsa nullo modo cadit ratio vniuersalis.* Ad formam igitur argumenti. Negatur minor de vniuersali in prædicando, de quo fit sermo in præsentì.

Ad secundam cum dicitur. *Dato vniuersali, Deus non posset creaturam aliquam in nihilum redigere.* Dicendum nunquam potentiam annihilandi esse à Deo remouendam, nam certum est, Deum liberè mundum produxisse, & liberè posse illum, in nihilum redigere. Ita secundum catholicam fidem docet Henr. quodl. 1. q. 4. *Fides catholica expressè tenet, quod Dei voluntate libera, quandoque creatura incepit esse, & postquam facta sit, in nihilum abire poterit.* Nec obstat, si remanere dicatur illud vniuersale, in quo creatura annihilata continebatur, vt, si destruatür Socrates, remaneat homo, siue animal quia destructio Socratis secum fert destructionem omnium eorum, quæ in Socrate erant. Cum autem homines habeant singuli singulas humanitates, dubio procul ille annihilari dicetur, qui secundum suam humanitatem annihilatur, cum Socratis humanitas non sit eadem secundum numerum cum Platonis humanitates; est enim humanitas secundum numerum multiplicabilis, quemadmodum multiplicabile debet esse in singularibus, quodcumque vniuersale, vt benè docebat Henr. eodem art. 43. q. 2. *natura in singularibus. In quibus est singulariter multiplicata.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad

Ad tertiam cum dicitur . *Vniuersale nullam habet operationem: ergo non est ponendum .*

Dicendum rebus omnibus non esse suam operationem denegandam, vnumquodque enim habet suum esse, & operari, cum forma (vt bene dicitur in argumento) secum suas ferat proprietates, & operationes. Sciendum tamen vniuersale, ita poni in rebus, vt non dicatur secundum se simpliciter esse à parte rei, sed formaliter ab intellectu, ait enim Henr. ibidem ex Commentatore super tertium de Anima. *Intellectus est qui operatur vniuersalitatem in rebus.* Eo modo itaque, quo habet esse, & existere in rerum natura, habet etiam operari; cum verò vniuersalis existentia non sit nisi in ipsis singularibus; & esse naturale ipsius sit huiusmodi, vt fatetur Henr. *Esse eius naturale est esse suum in particularibus.* Impossibile est, quod operationem habeat diuersam ab illis, in quibus est. Et sic non reduplicatiuè, vt vniuersale est per intellectum; sed vt est à parte rei in suis singularibus dicitur suas habere operationes. Ad formam itaque argumenti, distinguitur minor; habet enim vniuersale operationes, non secundum se, sed in suis singularibus, in quibus reperitur.



ARTICVLVS II.

QVAESTIO II.

Utrum Vniuersale detur separatum à singularibus.



RO parte affirmatiua arguitur primo. Essentia rerum sunt vniuersales, sed non sunt in singularibus; ergo datur vniuersale separatum à singularibus. Maior est certa ex Henr. art. 43. q. 2. *Ratio vniuersalis consistit non tam in modo prædicandi idem de pluribus, quam in natura, & proprietate rei prædicata, qua debet esse natura, & essentia.* Minor verò probatur; nam ex Henrico; Essentia sunt æternæ, & præcedunt singularium creationem, cum dicat illas non dependere à Deo in genere causæ efficientis, sed solum exemplaris, art. 59. q. 5. ad secundum. *Verum est quod id, quod vult per essentiam, aliquid ad se non habent, nisi à Deo secundum rationem causa formalis exemplaris.*

Secundo arguitur. Si daretur vniuersale in singularibus, tot essent vniuersalia, quot essent indiuidua: sed hoc est maximum inconueniens: ergo dicendum est vniuersale non dari in singularibus, sed se paratum ab illis. Minor patet; Indiuidua enim dicuntur habere naturam non vniuersalem, sed singularem. De indiuiduo dicebat Henr. art. 53. q. 1. *Neque indiuiduum est nisi re particulare, siue singulare, sub vniuersali indiuiduatum.* Maioris verò sequela probatur; nam tota species, v. g. hominis esset in Socrate, & tota in Platone, & videtur colligi ex eo, quod dicit Henr. art. 43. quæst. 2. *Vna & eadem definitione conuenit multis particularibus, & per hoc est vniuersalis.*

Ter-

Tertio arguitur . Quicquid potest intellectus intelligere, non errando, hoc potest tale esse à parte rei, sed intellectus, non consideratis particularibus potest vniuersale intelligere : ergo & vniuersale à singularibus esse poterit separatim. Maior est euidens ; nam veritas consequitur ad rei entitatem, ità vt dixerit Henr. art. 2. q. 6. *Vnum quodque ergo sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem.* Minor verò probatur, intellectus enim priò non habet intelligere non singularia ; sed vniuersalia, in quo sensu dicebat Henr. quodl. 4. q. 21. *Vniuersale mouet intellectum, sicut color visum.*

Notandum primo . Platoni fuisse immeritò ab Aristotele impositum, quòd Idæas posuerit separatas, & dixerit præter homines singulares esse hominem vniuersalem, ab illis realiter separatim, quemadmodum, & in aliis substantiæ generibus, & speciebus ; sed hanc esse meram Aristotelis imposturam Platoni traditam sæpiùs clamat Augustinus, quomodo refert Henr. vt art. 44. q. 1. ad quartum . *Si enim formæ rerum materialium essent per essentiam separate, vt imponitur dictum fuisse à Platonis, &c.* Et verè calamitatis Platonice miserabatur Henr. quasi præuidens sibi eandem infortunij aleam subeundam . Ad bonum sensum vt reuocaret Platonis dicta Augustinus, illum, ait, locutum de Idæis in mente diuina existentibus. Teste Henr. art. 1. q. 1. ad quartum . *Augustinus Philosophia Platonis imbutus, si qua inuenit in ea fidei accommodata, in scriptis suis assumpsit, quæ vero inuenit fidei aduersa, quantum potuit in melius interpretatus est. Et ideo cum, vt dicit in lib. 83. questionum q. 44. sacrilegium videbatur esse opinari, Idæas rerum poni extra diuinam mentem quas ipsa intueretur ad constituendum, quod constituebat . Quod tamen Aristoteles Platoni imposuit, dixit Platonem, eas posuisse in diuina intelligentia, & ibi subsistere.*

Secundo notandum vniuersalis entitatem esse omnino eandem, quæ est ipforum singularium, sub tali vniuersalitate exi-

E

ten-

stentium, nec est aliqua realiter distinctio inter entitatem illius, & entitatem istorum. Quod bene docebat Henr. art. 25. q. 3. *Vniuersalia non sunt substantia, nisi quatenus sunt particularia in suppositis.* Ab ipsis enim, tanquam à primis substantijs omnia reliqua dependent. Intercedit tamen inter ipsa distinctio rationis, quæ est diuersorum conceptuum, quorum ratione, quod conuenit vni secundum vnum modum; alteri conuenire non dicitur, licet ambo sint realiter idem. Alio modo consideratur vniuersale, vt est in ipsis indiuiduis, & alio modo vt est abstractum ab illis, nam multa conueniunt illi secundum rationem vnã, quæ secundum aliam non conueniunt; Et sic de vniuersali dicitur, quod potest dari scientia, quæ tamen de singularibus non datur, vt ex Aristotelis mente posuit Henr. art. 1. q. 1. *Aristoteles videns, quod res nec habet esse, nec cognosci, nisi per id, quod est in re, & quod singularium propter eorum transmutationem non possit esse scientia ex se ipsis posuit vniuersalia genera, scilicet & species abstrahi per intellectum à singularibus, in quibus habent esse secundum veritatem.* Quod verò distinctio rationis sufficiat ad saluandas prædicationes etiam oppositas de eodem secundum rem, passim ab Henr. affertur, & præcipuè quodl. 2. q. 10. *materia, & forma. Generantur per accidens, in quantum sunt de compositione hominis, qui generatur per se, & tamen secundum ipsum. Materia, & forma à composito non nisi ratione distinguuntur.*

Conclusio. Vniuersale non datur à singularibus separatim.

Explicatur quidditas illa vniuersalis, quæ, vt dictum est, debet in hæ rerum natura poni, nullo modo dicenda est seorsum à singularibus suis existere, sed ducatur in tantum esse, in quantum in illis est.

Est

Est Henr. art. 1. q. 1. Vniuersalia in singularibus, *habent esse secundum veritatem*, art. 43. q. 2. *Vniuersalis esse naturale est esse suum in particularibus, in quibus habet esse natura.*

Probatnr ratione sic. Quæ possunt in recto prædicari, non possunt dici separatiim existerre: sed vniuersale de singulari prædicatur in recto, vt cum dicitur Petrus est homo: ergo vniuersale non est à singularibus separatum.

Ad primam obiectionem, cum dicitur. *Essentia rerum sunt vniuersales, & tamen procedunt productionem singularium, cum sint æterna.* Dicendum rerum essentias non bene dici vniuersales, aut particulares, cum ab utroque abstrahant; Particulares enim esse non dicuntur secundum se, quatenus huiusmodi, quia non habent esse per creationem acquisitum, vt supponitur loquendo de ipsis ante particularium existentiam. Neque vniuersales, quia vniuersale est in pluribus existens natura. Accidit ergo rerum essentias, quod vel vniuersales, vel singulares sint, secundum esse, quod acquiritur in rerum productione. Ita docebat Henr. quodl. 3. q. 9. *Equinitas enim ex hoc, quod in definitione eius conueniunt multa, est vniuersalis, & ex hoc, quod accipitur cum proprietatibus, & accidentibus signatis, est singularis, & sic de cæteris extra intensionem suam ei attribuit.* Hoc est de ipsius essentiæ consideratione, quod neque rationem vniuersalis, neque particularis sibi vendicet, & idcirco, si consideretur Animal, secundum quod Animal est, debet considerari præcedens Animal, quod vel indiuiduum, vel vniuersale dicitur, vt egregiè Henr. art. 43. q. 2. *Consideratio igitur ex hoc quod est Animal, præcedit Animal, quod est indiuiduum, & vniuersale, sicuti simplex præcedit compositum, & sicuti pars totum.* Quod verò ex eodem Henr. adducitur in argumento. Quod vniuersale debet esse natura, & essentia. Verum est, sed non præcisè, vt bene ibidem explicat Henr. dicens. *Duo enim includit vniuersale, & rem ipsam, qua est essentia, & natura aliqua, & rationem*


predicabilis de pluribus. Defectû huius secundi connotati, non debet quidditas, & essentia secundum se considerata dici vniuersalis. Ad formam itaque argumenti. Negatur maior de essentia præcisè sumpta.

Ad secundam cum dicitur. *Tot essent species, quos individua.* Dicendum rationem vniuersalis esse à rationibus indiuiduorum distinctam, & idcirco non debere hos duos conceptus vlla facilitate confundi. Illa natura, quæ vniuersalis dicitur primò intentionaliter sumpta, potest in recto prædicari de quolibet indiuiduo, quia secundum perfectionem intensiuam, tota huiusmodi natura in quolibet indiuiduo reperitur, sicut tota humanitatis perfectio est in Socrate, licet non extensiuè, quia non solus Socrates est homo, sed etiam Plato, qui duo in vnius humanitatis specificæ participatione conueniunt. At si sumatur secundò intentionaliter, non potest secundæ intentionis terminus de vnoquoquè in recto dici, cum sit ad significandam indiuiduorum collectionem, impositus; & sic dici nequit: Socrates est species, siuè Socrates est homo; qui est species, quod tamen dici potest si fiat prædicatio in obliquo, vt si dicatur Socrates est homo de specie humanitatis participans; dicendo enim Socrates est species, committitur fallacia accidentis, vt habetur per summulistas, & ex Henr. art. 75. q. 2. ad quintum. *Tali enim prædicatione, esset fallacia accidentis, sicut si per inbærentiam diceretur Petrus est homo, homo est quale quid, siue species, aut vniuersale: ergo Petrus est quale quid, siue species, aut vniuersale.* Et rationem subiungit, quia. *Commune vniuersale non descendit in singulare, nisi per determinationem suam.* Ad formam itaque argumenti neganda est sequela maioris.

Ad tertiam cum dicitur; *Intellectus potest sine particularibus intelligere vniuersale, & consequenter sine illis esse poterit, &c.* Dicendum, Intellectus cognitionem duplicem esse, scilicet præsiuè abstrahendo; & per affirmationem, vel negatio-

gatio-

gationem vnius de alio. Præcisivè abstrahendo dicitur intellectus benè posse vniuersale concipere indiuiduis non conceptis, sic enim potest considerare scientiarum obiecta, secundum ipsorum genericam rationem, vt vult Henr. art. 1. q. 1. *Aristoteles de rebus naturalibus, sensibilibus, particularibus, & transmutabilibus per eorum vniuersalia existentia apud intellectum, posuit fixam haberi scientiam.* Non tamen ita intelliget vniuersale, vt negare possit illud in suis singularibus reperiri, cum sit eadem vniuersalis cum suis indiuiduis quidditas, & natura. Quærebat Henr. an homo posset intelligi sine risibilitate, & tandem respondet quæsito, quodl. 4. q. 31. ad secundum. *Aliud est intelligere hominem, non cointelligendo risibile, aliud verò intelligere hominem intelligendo ipsum non esse risibilem. Primum est bene possibile, quia intellectus separatur quæ natura inseparabilia sunt, secundum Philosophum 12. Metaphysicorum. Non tamen sequitur secundum, &c.* Poterit intellectus vniuersale intelligere, non intellectis singularibus; non tamen poterit intelligere vniuersale esse sine singularibus, vt non potest hominem intelligere esse non risibilem. Ad formam itaque argumenti. Distinguitur minor, concedendo illam de cognitione abstractiua præcisua; non autem de compositiua, vel diuisiua, siue negatiua.



ARTICVLVS II.

QVAESTIO III.

Virum per Diuinam Potentiam possit dari vniuersale à singularibus separatum.



RO parte affirmatiua arguitur primo. Potest Deus materiam sine omni forma substantiali creare, sed tunc talis materia, erit vniuersalis; ergo Deus potest facere aliquid vniuersale, sine singularibus existens. Maior est Henr. quodl. 1. q. 70. materia. *Actiōe Creatoris spoliari potest ab omni forma, ut illud quod forme est, dimittat suā naturā, ne conseruetur ab ipso, & ideo cadit in nihilum; id autem quod materia est, in esse conseruet per se, cuius ipsa est susceptibilis.* Minor verò probatur; Quod enim singulare non est, debet esse vniuersale; cum vniuersale, & singulare opponantur, vt vnum, & multa, quæ priuatiuè dicuntur opponi, tanquam diuisum, & indiuisum ex Henr. art. 65. quæst. 7. *Indiuiso, à qua imponitur nomen vnius, & diuiso, à qua imponitur nomen multi, &c.*

Secundo arguitur. Plus potest facere Deus, quam intellectus noster creatus; sed vniuersale per nostrum intellectum, creatum separatur à singularibus; ergo multò magis poterit Deus illud separare. Maior est euidentis, cum diuina potentia sit infinita, ex Henr. art. 35. q. 6. *Dicendum quod potentia Dei in se simpliciter est infinita, &c.* & loquendo de potentia actiua Creaturarum, subiungit. *Quia omnis Creatura esse finitum est, & limitatum, non potest esse virtutis infinita.* Minor verò patet; nam intellectus dat vniuersali formalitatem,

vt videbimus in sequenti ex dicto Commentatoris, allato ab Henr. art. 43. q. 2. *Intellectus est, qui operatur vniuersalitate in rebus.*

Tertio arguitur. Ab homine potest Deus auferre omnem quantitatem; sed tunc ille homo erit vniuersalis: ergo Deus potest facere vniuersale à parte rei sine singularibus existens. Maior est indubitata, cum Deus possit omnia accidentia separare; quemadmodum enim separat accidens à substantia, & facit illud existere in Sacramento Eucharistiae, vt sæpius factetur Henr. & præcipue quodl. 4. q. 36. *Est dicendum quod species illa, quoad accidentia, quæ subsistunt in se miraculose, &c.* Ita poterit facere vt substantia sine accidentibus, & quantitate existat. Minor verò probatur; Quantitas enim est indiuidui constitutiva, vel saltem conditio necessaria ad ipsum constituendum, vt ex Auicenna ait Henr. quodl. 2. q. 8. *Secundum Auicennam, materia existere non habet in effectu sine forma materiali, & corporali, nec è conuerso, quia mutuo per inuicem sub quantitate indiuiduantur, & multiplicantur, & cum desinat esse indiuidua, erit necessario vniuersalis.*

Notandum primo: Cum de diuina Potentia sermo instituitur, illam seruandam esse regulam, quam assertit Henr. quodl. 5. q. 3. *In omnibus quæstionibus, quæ tangunt potentiam actiuam in aliquid agendo, huiusmodi oportet tenere regulam, quod videlicet inspiciendum est ad potentiam passiuam ex parte recipientis in se diuinam actionem insiendo. Vtrum scilicet potentia actiue in illo respondeat aliqua potentia passiuam in isto, hoc est, utrum possibile sit fieri vel esse, &c.* Quod sæpius repetit, vt quodl. 9. q. 32. *Licet bene possit fieri aliquid circa rem aliquam à Deo per potentiam obedientiam, respectu Dei, quam impossibile est fieri circa illam à natura per potentiam ordinis nature respectu cuiuscumque agentis naturalis. Quod tamen repugnat simpliciter, & secundum omnem potentiam nature rei, nullo modo à quocumque agente potest fieri circa illam, quia con-*
cur-

currerent contradictoria simul, scilicet posse fieri illud, & non posse fieri. Tota difficultas est in assignanda rei faciendæ possibilitate, siue repugnãtia, vt dici possit, idem esse quærere An per diuinam potentiam possit fieri, vel non possit fieri à Deo, ac si quæratur An vniuersale habeat repugnantiam vt fiat, vel potentiam passiuam, secundum quam existere à singularibus possit separatim.

Notandum secundo. Totam vniuersalis essentiam esse omninò eandem secundum numerum, cum essentia indiuiduorum; ita vt sit omninò eadem illa, quæ in Petro est humanitas, cum humanitate, quæ est species, licet non adquatè accipiatur humanitas; quæ est species, quando esse in Petro dicitur, cum etiam secundum speciem Paulo conueniat. Docbat Henr. quodl. 5. q. 8. qua ratione esset humanitas in Platone, & Socrate, & concludebat, illam esse numericè diuersam, illis verbis. *Sicut ergo Plato, & Socrates vna singulari humanitate non sunt homo, ita homo esse non possunt, sine numeratione ipsius humanitatis in eis, vt non solum fiat designatio, adueniente extrinseco formam designante, sed ipsam formam numerante, &c.* Quod idcirco ponitur, vt cognoscatur modus conueniendi in eadem specie horum duorum scilicet Platonis & Socratis. Cum enim non sit eadem numero, natura humana in vtroquè, certum quoquè est specificè sumptam naturam huiusmodi non habere entitatem à singularium entitate diuersam. Et loquendo de ipsa forma secundum speciem considerata sub ratione communisabilitatis, subdit ibidem. *Illa potentia in forma specifica per aliud ad actum diuisionis deducitur, & in diuisis est omninò secundum actum indiuidua, & indiuiduata, & secundum se per esse, quod nata est habere in supposito, est indiuidualis, &c.* Quia scilicet aliud esse non habet, nisi quod à suppositis trahit.

Con-

*Conclusio . Non potest Deus facere vniuersale
separatum à singularibus.*

Explicatur. Implicat contradictionem dari vniuersale in prædicando, quod separatim à suis singularibus existat, non quidem ex defectu potentiz Dei, sed ex parte ipsius rei, quæ in se non est factibilis.

Est Henr. art. 25. q. 3. vbi secundum Philosophum ait. *Vniuersalia non sunt substantia rerum, nisi quando sunt particularia in suppositis, & art. 43. q. 2. Forma illa sic abstracta est vna secundum rationem existens in multis particularibus multiplicata, & de multis, quia per prædicationem eisdem, à quibus est abstracta, est applicata.*

Probatum ratione sic. Quod est essentia alicuius non potest ab illo separatim existere, sed vniuersale est essentia ipsius particularis: ergo ab illo separatim existere nequit.

Ad primam obiectionem, cum dicitur. *Potest materia ab omni forma separari, & sic erit vniuersalis.* Dicendum. Benè posse diuina virtute materiam separatam ab omni forma, tam substantiali, quam accidentali existere, vt docuit Henr. citatus quodl. 1. q. 10. & alibi. In eo tamen casu materia sic separata non posset dici vniuersalis, adhuc enim retineret singularitatem illam, quam habet ex se, quatenus est, vt pars, ad suum totum reducibilis. Quemadmodum de forma specifica inquit Henr. quodl. 5. q. 8. *In diuisis est omnino secundum actum indiuidua, & indiuiduata, & secundum se per esse, quod nata est habere in supposito, est indiuidualis.* Materia si constituitur in composito actualiter, iam actu est indiuiduata, si ab ipsa remoueat omne compositum, eo modo erit, quo nata est esse, & sic adhuc dicitur si non indiuiduata, saltem indiuidualis, quia habet ordinem ad componendum simul cum forma to-

tum. Ad vniuersalis constitutionem duo sunt omninò necessaria. Primum quod dicat naturam completam, de qua art. 43. q. 2. ait Henr. *Debet esse natura, & essentia aliqua.* Secundum verò est, quod habeat rationem totius, & per talem rationem significet, ex quo trahit suum esse commune, iuxta Henr. art. 25. q. 3. *Non enim dicitur vniuersale, nisi quod naturaliter est plurium rerum, & commune plurium, &c.* Quorum vtrumque in materia, sic miraculosè omni forma expoliata desideratur. Ipsa enim adhuc esset ens omninò incompletum, quia inquit Henr. quodl. 1. q. 10. *Suus actus proprius est in potentia ad illum actum ulteriorem.* Et adhuc haberet rationem partis, ad totum constituendum ordinabilis; Vnde subiungit Henr. ibidem. *Cum veneris ad actum, tunc perficitur per formam.* Cum vero dicitur, quod non esset particularis. Dicendum non vere dici in eo calu materiam particularem omninò, cum particularitas non communicetur nisi complete subsistenti; sed tamen esset particularis ex sua reducibilitate ad particularitatem completam, ad quam etiam separata haberet ordinem intrinsecum, quod fusius in physicis disputabitur. Ad formam itaque argumenti, Negatur minor.

Ad secundam obiectionem cum dicitur. *Plus potest Deus quam intellectus, &c.* Dicendum. Possè dictum huiusmodi duplicem habere sensum. Primus est, quod quicquid potest intellectus noster, possit etiam intellectus diuinus, & sic fit questio. An diuinus intellectus formet vniuersale. Secundus autem sensus est, quod Deus possit facere multò plura, quam possit homo excogitare. Circa primum sensum; illud certissimum est, quod Deus omnia cognoscit vnico simplicissimo intuitu, nec ad eius cognitionem sequitur vniuersale formatum, sicut ad nostrum intellectum. Dicebat ex Dionys. Henr. art. 36. q. 6. ad secundum. *Diuina sapientia cognoscit omnia materialia immaterialiter, diuisa indiuisibiliter, & multa vnitate. Quicquid indignitatis, & imperfectionis est in modo cognoscendi*

scendi Creatura, remoueri debet a modo cognoscendi, & intelligendi Dei. Circa verò secundum sensum, dicendum est. Ex sui imperfectione habere intellectum nostrum, vt ea distinguat, quæ non sunt distincta, quod facit propter intelligendi modos, quibus ipse indiget, ad percipiendas rerum omnium naturas; Vnde Henr. art. 28. q. 4. ad primum. *Intellectus noster non separat indiusa, nisi secundum diuersos modos intelligendi.* Et ita sibi format cognitionem suam. Opus autem huiusmodi intellectus nostri, non est deducendum ad opus Dei. Neque enim intellectus noster, si rectè iudicet, ea concipiet vt possibilia, quæ omninò habent à parte rei repugnantiam, & impossibilitatem. Deo illa debent attribui, quæ si fiant perfectionem habeant, nec imperfectionem inducant. Facere autem, vt vniuersale à parte rei existat, Deo nequit conuenire ex repugnantia allata: Ad formam itaque argumenti. Distinguitur maior. Plus enim potest Deus facere à parte rei, quam possit noster intellectus concipere factibilia, sic conceditur. Quod si formet sibi intellectus noster ex sua infirmitate conceptum, cum sit à parte rei repugnantia, dicitur non inesse ad huiusmodi faciendæ vis aliqua, & sic negatur.

Ad tertiam cum dicitur. *Ablata ab homine quantitate, iam non erit indiuiduum: ergo vniuersale.* Dicendum illam quantitatis remotionem esse impossibilem ex Henr. quodl. 7. q. 17. *Impossibile est hominem esse sine quantitate, nec hoc est factibile, nec intelligibile.* Concessa tamen per impossibile hypothesi, adhuc diceretur ille homo esse homo, qualis prius, non autem vniuersalis; fortè quia quantitas non est indiuiduationis principium, cum *Accidentia*, vt ait Henr. quodl. 5. q. 8. *magis sint declarantia formæ indiuiduationis, quàm causantia;* vel quia de illo homine possumus eodem modo, ac de materia, spoliata forma, philosophari. Ad formam itaque argumenti, Negatur minor.

ARTICVLVS II.

QVAESTIO IV.

Vtrum Vniuersale egeat opere intellectus.



PRO parte negatiua arguitur primo. Quod est aptum natum ad essendum in multis, non eget opere intellectus, sed vniuersale est aptum natum ad essendum in multis: ergo opere intellectus non indiget. Minor est certa ex Henr. art. 1. q. 1. *Vniuersale est vnum in multis.* Maior autem probatur; nam ens reale non habet dependere ab intellectu, cum veritas ipsa à rei quidditate dependeat, vt ex Commentatore, ait Henr. art. 2. q. 6. *Quantò res qualibet magis fuerit perfecta in esse, tantomagis erit perfecta in veritate.*

Secundo arguitur. Si vniuersale, vt fiat, eget opere intellectus, deberet egere opere intellectus Angelici potiùs, quam humani: at non indiget Angelico: ergo neque humano. Maior tenet à minori ad maius, cum intellectus Angelicus sit humano perfectior; naturaliter autem vnumquodque appetit suam perfectionem ex Henr. art. 4. q. 3. *Imperfectum naturaliter tendit in suam perfectionem.* Perfectior autem est intellectus Angelicus, quam humanus, cum homo sit infimum, *intelligentium*, ex art. 36. q. 7. Minor vero probatur; nam intellectus Angelicus neque est discursiuus, neq. compositiuus, aut diuisiuus; quia scilicet in nobis est debile intellectuale lumen, quod fortius est in Angelis, vt bene notat Henr. art. 1. q. 12. ad secundum. *Quadam latent in potentia, in quibusdam, quæ per rationem oportet in actum deducere, quod & facit,*
non

non nisi discurrendo, quia propter debilitatem luminis intellectualis in homine, non potest omnia illa statim percipere, quod potest Angelus propter luminis actualis forsitudinem in ipso.

Tertio arguitur. Quicquid est in intellectu iam fuit in sensu, sed vniuersale non eget opere sensus: ergo neque opere intellectus. Maior est indubitata, quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensu ex Henr. art. 1. q. 2. *Intellectus noster omnino sequitur sensum, nec est aliquid conceptum in intellectu, quod non esset prius in sensu.* Minor verò probatur ex communi sententia, & Henr. art. 24. q. 6. *Cum cognouerimus sensu hoc bonum, &c.*

Notandum primo. Vniuersale duplicem habere sui considerationem; velenim accipitur, quatenus est natura quædam in suis singularibus existens, & sic vocatur vniuersale fundamentale; vel quatenus habet esse completum, & est eadem natura, vt ab ipsis singularibus abstracta, secundum quod dicitur esse vna in multis, & communis multis, & sic vocatur vniuersale formale, complementum enim habet per nostram intelligendi operationem. Quod benè explicat Henr. art. 43. q. 2. *Natura aliqua dicitur vniuersalis per hoc, quod nata est cadere in consideratione intellectus, vt pluribus in quibus singulariter est multiplicata, nata est per predicationem applicari; In quibus non est vnum numero, & re, sed tantum ratione, & communitate vniuersalitatatis, quæ solum est in re, vt adis in consideratione Anima.* Et vniuersale huiusmodi vocatur verè, & propriè vniuersale; quod describens Henr. art. 75. q. 6. ad primum ait. *Vniuersale strictè sumptum non est nisi forma pluribus communis, quæ est tota in quolibet illorum abstracta ab illis per intellectum.* Vt innuat ad rationem vniuersalis illa duo connotata requiri; quorum primum est natura ipsa in singularibus existens; alterum verò formalitas per intellectum habita, & idcirco vocatur vniuersale ens rationis, quia illius causa completa est intellectus; non autem aliquod agens reale;

reale; & ideo Henr. quodl. 14. q. 6. loquitur de duplici intelligendi actu, & de duplici vniuersali, & concludit, aliquod vniuersale præcedere intellectum, vt obiectum ipsius mouens ipsum ad intelligendum, notitia simplici, & confusa; aliquod verò esse consequens ad opus ipsius intellectus, quod dicitur vniuersale. *Habet ipsum vniuersale esse ab actu intelligendi. Quæ omnia in sequenti fufius explicabuntur.*

Notandum secundo. Maximam esse differentiam inter intellectum diuinum, Angelicum, & humanum. Deus enim vnico simplici intuitu essentiam suam intelligendo, in ea videt omnem aliam essentiam, & quidditatem modo simplicissimo; Vnde non habet omninò quidditates abstractiuè cognoscere, nec eas à singularibus abstrahere, vt faciat vniuersales, & actu intelligibiles. Angeli verò quemadmodum, & Beati in Patria; licet medio quodam modo se habeant; intelligunt enim vnum post aliud, non tamen habent propriam discursus rationem, nequè modum cognoscendi per abstractionem à singularibus, quæ non fit, nisi plantafmatibus Agentis intellectus lumine depuratis. Homo pro huius vitæ decursu habet hoc abstrahere, quemadmodum, & cognoscere non solum vnum post aliud, sed etiam vnum ex alio deducendo, quia inquit Henr. art. 36. q. 7. *Non intelligit posterius nisi per medium connectens posterius priori, per quod quidem medium intellectus facit collationem prioris ad posterius, & sic per notitiam prioris acquirit notitiam posterioris, non solum posterius cognoscit post prius; & iste appellatur discursus ratiocinatus, & est proprius hominibus in vita ista, & non conuenit Deo, nec etiam Beatis, quia Beati ex hoc quod intelligunt, & considerant principia, intelligunt media in principijs intellectis, &c.* Ex hac autem intellectuuum diuersitate, optimè etiam deduci potest, ipsius vniuersalis efformationem non esse à Diuino, vel Angelico intellectu, sed tantum humano. Licet enim Deus cognoscat omnia, quæ sunt per nostrum intellectum producibilia, non tamen dicitur

citur illa suo intellectu producere, quia vt ibidem ait Henr. *In sua essentia perfectissimè scis quicquid est in potentia sua, & totius Creaturæ, & sic necesse est eum scire etiam formationem omnium enunciabilium per modum intelligentiæ simplicium.* Si vniuersalia dicantur Deus, & Angelus cognoscere, non debet tamen ipsius vniuersalis efformatio ab ipsis fieri, dici, cum non sit in eis modus cognoscendi, homini in hoc vitæ statu existenti conueniens.

Conclusio. Vniuersale eget opere intellectus.

Explicatur. Vniuersale licet fundamentaliter consideratum habeat independentem ab omni consideratione intellectus nostri, esse existens in suis singularibus; vt tamen formaliter, & propriè dicatur huiusmodi, debet recipere suum esse completum, & formale ab operationibus nostri intellectus.

Est Henr. quodl. 3. q. 4. *Cum enim res intelliguntur aduenit aliquando eis in intellectibus aliquid, quod non inerat eis extra, sicut vniuersale, & quodl. 14. q. 6. Habet ipsum vniuersale esse ab actu intelligendi.* art. 43. q. 2. *Intellectus est, qui operatur vniuersalitatem in rebus.*

Probatum ratione sic. Omnia rationis entia debent esse formaliter ab intellectu, sed vniuersalia sunt entia rationis: ergo debent esse formaliter ab intellectu.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Vniuersale esse aptum natum ad essendum in multis à parte rei.* Dicendum, aptitudinem ad essendum in multis solum facere, vt vniuersale, sit fundamentaliter in rebus non autem formaliter, quia eius formalitas debet per intellectum acquiri; operatio enim intellectus est, quæ vnum commune multis considerat, & vniuersalitatem formalitatem producit. In quo sensu dicebat Henr. art. 43. q. 2. *Vniuersalitas enim non accidit alicui nature, nisi cum cecideris in formatione intelligibili.* Aptitudo, de qua est sermo

sermo in argumento, facit tantum fundamentaliter ipsum vniuersale, & idcirco dicit Henr. art. 25. q. 3. *Vniuersale naturaliter est plurimum, & commune plurimum.* Cum scilicet demonstraret, naturam esse vniuersalem, quæ pluribus est communicabilis. Ad formam itaque argumenti. Distinguitur maior; nam eo modo, quo est aptum naturam ad essendum in multis, non eget opere intellectus, sed eget tali opere, vt formaliter sit tale, & dicatur esse formaliter completum.

Ad secundam cum dicitur. *Vniuersale non indiget intellectu diuino, vel Angelico: ergo neque humano.* Dicendum. Modos diuersorum intellectuum in intelligendo esse diuersos. Deus enim, vt habet Henr. art. 1. q. 12. *Vno simplici intuitu in se ipso æquè primo, & simul omnia cognoscit, quia scientia sua non est causata à rebus.* Angeli autem, vt ait Henr. ibidem. *Singula æquè primo intelligunt, non tamen vno simul intuitu simplici singula intelligendo, sicut Deus facit, sed vnum post alterum, secundum quod super res se conuertunt.* Quæ de homine omnino nequeunt dici, cum homines discurrendo intelligant, & vnum post aliud, immo vnum ex alio; *Homo autem cum sit in ultimo ordine intelligentiarum post primum, qui non habet aliquam notitiam sibi innatam, nisi in potentia solum, primo sibi naturaliter acquirit notitiam principiorum incomplexorum sub esse incompletissimo, & confuso magis, &c.* Ad positionem vniuersalis concurrat solus humanus intellectus, non autem diuinus, & angelicus, nec etiam Beatorum, in quibus neque compositio, aut diuisio, neque discursus reperitur. Ad formam itaque argumenti. Negatur maior: Cum verò dicitur intellectum Diuinum, & Angelicum esse perfectiores, Dicendum, & idcirco ratione suæ perfectionis, & simplicitatis in intelligendo, non indigere discursu, neque ipsius vniuersalis efformatione.

Ad tertiam cum dicitur. *Vniuersale non eget opere sensus: ergo neque opere intellectus.* Dicendum. Aliud esse egere ope-

re alicuius, secundum vnã rationem, & secundum aliam, non egere: Vniuersale cum sit idem omninò realiter cum suis singularibus, ex quibus per intellectum abstrahitur, certum est non posse, non egere sensuum adminiculo, vt sua sensibilia, & singularia percipiantur, vt benè deducitur ex argumento. At ratione suã formalitatis debet ab illis singularibus per intellectum abstrahi, & sic suã formalitatem completiuam acquirere. Benè ad propositum Henr. art. 1. q. 7. ad secundum.

Apprehensione autem facta per sensus, auertendo à sensibus, vt iudicium fiat in ratione, bene à sensibus sincera veritas expetenda est. Neque enim simplex notitia potest nisi per sensus acquiri, sed post simplicem apprehensionem, sequitur vniuersalis efformatio, per operationem intellectus, & consequenter formaliter dicitur ab intellectu dependere tanquam ab efficiente ipsius. Ad formam itaque argumenti, distinguitur minor; nam vniuersale indiget sensu propter cognitionem suorum singularium. sed, vt habeatur esse

quidditatiui notitia, secundum rei vniuersal-

litatem, non est possibile, nisi beneficio

ipsius intellectus creati, &

in intelligendo

imperfec-

ti.



ARTICVLVS II.

QVÆSTIO V.

Vtrum vniuersale fiat per operationem intellectus agentis.



PRO parte negatiua arguitur primo . Vniuersale debet fieri per operationem intellectus intelligentis , sed intellectus agens non est intelligens : ergo ab intellectu agente non fit vniuersale . Maior est certa , nam per intellectionem debet concipi illud vnum , quod est pluribus commune , vt dici possit verè vniuersale ; debet enim secundum eandem definitionem omnibus conuenire ex Henr. art. 43. q. 2. *In quantum sic est forma abstracta à particularibus in intellectu vna , & eadem definitione conuenit multis particularibus , & per hoc est vniuersalis .* Ad definiendum autem requiritur actualis intellectio . Minor verò probatur ; nam intellectus agentis est solum phantasmata depurare , & ab ipsis species intelligibiles elicere , vt bene Henr. quodl. 8. q. 12. *Intellectus agens cum non sit nisi ratio coadiuuans ad rationem intelligendi , in quantum huiusmodi omnino non intelligit .*

Secundo arguitur . Munus agentis intellectus est producere , siue offerre species intelligibiles intellectui possibili , sed talis productio , vel oblatio non est efformatio alicuius vniuersalis : ergo intellectus agens non facit vniuersale . Maior est euidens ex Henr. quodl. 8. q. 12. *Intellectus agens . Solam efficaciam dat intelligibili , vt intelligatur .* Minor verò probatur ; nam species intelligibiles non sunt vniuersales , cum repræsentent etiam singularia , vt constat ex eodem Henr. quodl. 4.

q. 21. species impressa. *Illae est ratio concipiendi obiectum sub ratione particularis, sicut & ipsa in se particularis est.*

Tertio arguitur. Quod est proprium vni, non habet alteri tribui, sed facere vniuersale est proprium intellectus discursiui, siue componentis, & diuidentis: ergo non potest illud facere intellectus agens. Maior est certissima. Caliditas enim in summo non potest competere alteri ab igne, cum sit illi propria, ex Henr. quodl. 8. q. 37. ad argumentum oppositum. *Ignis est calidus in summo; verum est, &c.* Minor verò probatur ex Henr. quodl. 14. q. 6. *Loquendo verò de secundo actu intelligendi (id est per discursum) dico quod ab ipso habens esse vniuersale, & quod quid est.*

Notandum pri-no. Quomodo ponenda sit intellectio nostra, & quo ordine fiat, & quam necessitatem habeamus constituendi Agentem intellectum. Primò itaque sensu percipitur obiectum per speciem sensibilem particularem, & postquam fuerit phantasma depuratum per agentis intellectus lumen, tunc sequitur cognitio intellectus possibilis; sed ipsum Henr. audiamus, qui quodl. 4. q. 21. habet. *Anima rationalis, quia nihil sibi habet de rebus per sensus impressum, cum indigeat adminiculo sensuum intelligere, debet considerare intentiones, quae sunt in virtute imaginatiua, sicut sensus inspicere sensibilia extra. Sed antequam illas actu intelligat, oportet, quod mens primò auferat eas à conditionibus particularibus, & sic faciat eas intellectas in actu, postquam erant in potentia; ut secundum hoc ad actualem intellectum duplex actio necessario concurrat, &c. & deueniendo ad actionem, quam intellectus agens habet exercere, subdit. Est intellectus agens abstrahens de potentia intelligibili actu intelligibile, ponens illud, ut obiectum intelligibile in intellectu possibili, ut intelligente, extrahendo ipsum de potentia intelligendi in actum, & faciens de potentia intelligente, actu intelligentem. Et post pauca ait. Ex Commentatore. *Respectus agens ad intellectum materiale est sic**

cut respectus lucis ad diaphanum, & respectus formarum materialium ad ipsum, ut respectus coloris ad lucem, &c. Sub luce intellectus agentis depurantur à conditionibus indiuiduantibus phantasmata, & in ipsis ita depuratis habet relucere vniuersale, quod primo intellectui possibili repræsentatum, dicitur illius motiuum, ut benè obseruat Henr. quodl. 8. q. 12. Est ergo actus intellectus agentis in eadem substantia Anima cum possibili intellectu, & cum potentia phantastica, in qua sunt phantasmata, quod cum existat in substantia anima, sicut lux in medio, respicit phantasma in phantasia, sicut lux illa colores in pariete, & sicut corporaliter illustrat colores, ut agant speciem suam in medio sine materia parietis, & sine substantia colorum, & per medium defertur ad pupillam, & eam informat actu visionis, sic spiritualiter agens illustrat phantasmata, ut apta sint agere in intellectum possibilem, sub ratione, qua essentia simpliciter sunt, non secundum conditiones particulares, & materiales, &c.

Notandum secundo. Vniuersale dupliciter posse considerari, vel ut præcedens omnem intellectus possibilis operationem, vel ut consequens ad illas, tanquam ab ipsis, efformatum. Primo modo est obiectum primò mouens intellectum ad intelligendum, qui per ipsum dicitur notitia simplici informari. Secundo autem est id, quod ipse intellectus sibi comparat, siue componendo, aut diuidendo, siue discurrendo. Hanc duplicem vniuersalis acceptionem tangit Henr. quodl. 14. q. 6. Duplex est actio intellectus possibilis. Vna, qua intelligit prima intelligentia, & simplici, ad quam determinatur per obiectum; alia vero est eius actio secunda, qua se exercet, & discurret ab uno in alterum diuidendo, congregando, & conferendo. Et dico, quod loquendo de primo actu intelligendi. Nequaquam esse quidditatum; est ab intellectu possibili per eius actum, &c. Loquendo verò de secundo actu intelligendi, dico, quod ab ipso habent esse vniuersale, & quodquid est. Primum vni-

vnuerſale ; quod eſt obiectum illud primo mouens intelle-
ctum poſſibilem , relucet in phantaſmate per opus , ſiue illu-
ſtrationem agentis intellectus , in cuius luce fit intellectui poſ-
ſibili proportionatum , & idcirco benè ſubiungit Henr. *Ab*
vnuerſali ſic exiſtente in phantaſmate primò immutatur in-
tellectus, & determinatur ad primam intellectionem confuſam
ſimpliſſimam . Hoc tamen vnuerſale comparatum cum ſe-
cundo, id eſt, cum eo, quod fit per opus intellectus poſſibilis,
habet rationem minus perfecti vnuerſalis , quia per vim in-
tellectus agentis habetur, ſola repræſentatio vnuerſalis in
aëtui primo, ſed per opus intellectus poſſibilis habetur repræ-
ſentatio in aëtui ſecundo, & formatur cognitio diſtincta, &
verbum, quod docet Henr. ibidem. *Vnuerſale determinatum*
mouet intellectum poſſibilem, tanquam eius obiectum, ut for-
mat in eo intellectionem declaratiuam, quæ appellatur verbum
de eo, quod quid eſt. &c.

Concluſio . Vnuerſale fit ab intellectu agente.

Explicatur. Intellectus agens, cum habeat denudare phan-
taſmata à conditionibus indiuiduantibus, & materialibus, di-
citur benè in talibus phantaſmatibus operari vnuerſale for-
maliter ſumptum , quod eſt ipſius intellectus poſſibilis obie-
ctum primo motiuum .

• Eſt Henr. quodl. 6. q. 9. *Ipsa abſtraëtio vnuerſalis fit ab ip-
ſa re, ut aëtualiter eſt imaginata, & quodl. 8. q. 12. Phantaſma-
ta per huiusmodi abſtraëtionem habent rationem vnuerſalis*
aëtui, ut motui intellectus poſſibilis. quodl. 4. q. 21. Intel-
lectus agens. *Primo denudat formas à materijs, & deinde eas*
iam factas vnuerſales facit intellectas in aëtui poſtquam erant
intellectæ in potentia. quodl. 14. q. 6. *Intellectus poſſibilis*
habet eſſe ab ipſo vnuerſali, quod formatum eſt in phantaſia,
per ſequeſtrationem conditionum particularium lumine intelle-
ctus

Etus agens, quodl. 5. q. 14. Cum intellectus noster possibilis non habeat intellecta nisi à phantasmatibus, eget virtute, quæ phantasmata potentia vniuersalia faciat ea esse actû vniuersalia; quæ appellatur intellectus agens, &c. & ar. 1. q. 5. Intellectus agens facit intelligibilia esse in actû, vt moueant intellectum possibilem, & fiat intellectus vnum in actû compositum ex intellectu, & intelligibili, sicut ex materia, & forma.

Probatur ratione sic. Denudare phantasmata à conditionibus materialibus est facere vniuersale, sed intellectus agens depurat phantasmata ab huiusmodi conditionibus: ergo facit vniuersale.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Intellectus agens non intelligit: ergo neque facit vniuersale.* Dicendum si sit sermo de vniuersali illo, quod fit per opus intellectus possibilis, quod ab aliquibus vocatur vniuersale perfectum, quatenus est natura, quæ potest de pluribus prædicari secundum vnitatem rationis, sed diuersitatem rei, vt ait Henr. art. 43. q. 2. ad primum. *Aliquid contingit prædicari de pluribus vnitatem rei, & rationis, vel vnitatem rationis, & diuersitate rei. Prædicabile de pluribus isto secundo modo est verè vniuersale, vt contingit in formis creatis tantum, &c.* Tunc certum esse, tale vniuersale logicè acceptum, debere fieri per intellectum intelligentem, sic enim intelligitur dictum illud Henr. ibidem. *Natura est vniuersalis per hoc, quod nata est cadere in consideratione intellectus.* At si loquamur de vniuersali obiectiuo; quod ad notitiam simplicem confusam primò mouet intellectum possibilem, de hoc dicitur non debere ab intellectus operatione procedere, quia illum antecedit, & est illa vniuersalis ratio, quæ rellucet in phantasmate per intellectum agentem depurato, ex quibus colligitur intellectus agentis necessitas ex Henr. quodl. 8. q. 12. *Intellectus agens necessarius est ad actum; intelligendi, eo videlicet, quod phantasmata non sunt nisi in potentia intellecta, quia in ipsis natura, & quidditas rei est sub ratione*

sione

tione esse materialis, & conditionibus particularibus; nec est aliquid natum mouere intellectum, nisi sub ratione vniuersalis, &c. Et sic non requiritur intellectio ad talis vniuersalis productionem. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior concedendo illam de vniuersali logico, negando vero de obiectiuo.

Ad secundam cum dicitur. *Adbuc species intelligibiles fore particulares, & nullam esse vniuersalitatem, in phantasmatis depuratis.* Dicendum, species intelligibiles (vt cum communi loquamur) esse quidem accidentia particularia, sed habere vim repræsentatiuam vniuersalium, & ideo dicuntur obiectiuè vniuersales, quatenus primò offerunt intellectui possibili obiectum vniuersale cognoscibile; dicebat enim Henr. quodl. 5. q. 14. *Vnumquodquè enim intelligitur per id, quod est sua propria ratio, non per aliud nisi in vniuersali; quando omnis cognitio fit per assimilationem, qua consistit in ratione intelligendi, ex parte intelligibilis.* Et quodl. 4. q. 21. ait intellectum non cognoscere directè nisi vniuersalia, singularia autem reflexiuè. *Directè ergo, & per se intellectus noster non cognoscit nisi vniuersale abstractum à singulari. Indirectè autem, & quasi quadam reflexione conuertendo se ad phantasmata.* Quod vero dicat Henr. ibidem, species (si darentur) fore particulares, Non obstat, quia ipse loquebatur problematice, vt videbimus. Ad formam itaque argumenti negatur minor secundum rationem repræsentandi, vt dictum est.

Ad tertiam cum dicitur. *Proprium esse intellectui discursiuo, vel compositiuo facere vniuersale, vnde non potest intellectui agenti concedi.*

Dicendum. Illud vniuersale, quod per opus intellectus possibilis fit, non esse eiusdem rationis cum vniuersali illo obiectiuo, siue obiecti repræsentatiuo, quod mouet ad intelligendum prima cognitione simplici, & confusa intellectum possibilem. Illud enim habet rationem vniuersalis completi, hoc

hoc autem ordinabilis ad aliud, & sic loquebatur Henr. quodl. 4. q. 21. *Intellectus intelligit primo secundum se obiectiuè specie[m] vniuersalem abstractam à phantasmate.* Proprium est intellectus possibilis illud vniuersale facere formaliter, quatenus est vnum de multis prædicabile, & proprium intellectus agentis est facere vniuersale duntaxat obiectiuum. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

A R T I C V L V S I I.

QVAESTIO VI.

Vtrum Vniuersale fiat per omnes operationes intellectus.



RO parte negatiua arguitur primo. Quoad primam operationē. Per illam intellectus operationē debet fieri vniuersale, quæ est multorū, vt multorum: sed prima intellectus operatio nō est huiusmodi: ergo per ipsā nequit fieri. Minor est certa: nam vniuersale est vnum in multis, debet itaque fieri per potentiam intellectiuam, quando illa multa intelligit, vt benè docet Henr. art. 43. q. 2. *Forma illa sic abstracta est vna secundum rationem existens in multis particularibus multiplicata, & de multis, quia per prædicationem eisdem à quibus est abstracta est applicata; propter quod dicit Philosophus, quod vniuersale est vnum in multis, & de multis.* Minor verò probatur, nam prima intellectus operatio non est nisi notitia terminorum simplex, ex Henr. art. 1. quæst. 12. *Homo sibi acquirit notitiam primo de terminis, & quidditatibus rerum in generali primo cognoscendo, & considerando quid dicitur per nomen.*

Se-

Secundo arguitur. Quod neque per secundam. Quæ absoluta, & simplicia sunt, non possunt dependere à secunda operatione intellectus, sed vniuersale est quid absolutum, & simplex: ergo Vniuersale non potest dependere à secunda intellectus operatione. Maior est indubitata; Nam secunda operatio tota est in componendo, & diuidendo, siue affirmando, & negando, quod est dicere ipsam versari circa respectiua, & complexa vt docet Henr. eodem art. 1. q. 12. *Componendo, & diuidendo secundo concipit prima principia complexa sub esse onfuso.* Minor etiam probatur, nam vniuersale est secunda substantia, de cuius ratione est, vt sit absoluta, & simplex, & ideò de natura equinitatis dicebat Henr. art. 43. q. 2. *Ex hoc, quod in eius definitione conueniunt multa, est communis, & vniuersalis, & ex hoc, quod accipitur cum proprietatibus, est singularis.* Ex quibus colligitur naturam vniuersalem esse eiusdem rationis cum singulari, quantum ad esse naturæ.

Tertio arguitur. Quod neque ad tertiam operationem. Per discursum habetur cognitio ignoti per notum, sed vniuersale est id, per quod reliqua cognoscuntur: ergo vniuersale non potest per discursum fieri. Maior est certissima ex ipsius discursus definitione, & natura, quam innuit Henr. art. 36. q. 7. *Hoc facit discursum in intellectu creato, quia posterius non cognoscit in priori, nisi in potentia, quæ actu non explicatur, nisi per discursum.* Minor verò probatur; vniuersale enim est, quod primo ab intellectu cognoscitur, vt habetur ex Henr quodl 4. q. 21. *Directè, & per se intellectus noster non cognoscit, nisi vniuersale abstractum à singulari.*

Notandum primo. Ita esse intellectus operationes inter se se inuicem subordinatas, vt secunda operatio semper primam præsupponat, & tertia secundam; Intellectus, qui compositiuus, & diuisiuus est, nihil potest per talem operationem efficere, nisi prius habeat simplicem apprehensionem, & noti-

H

tiam

tiam necessariò prærequisitam; ex eo namquè quòd talem habeat notitiam potest ad compositionem, vel negationem complexorum procedere, vt bènè notat Henr. art. 36. q. 6. *Non est intellectus componens, vel diuidens, nisi precedente simplicium intelligentia.* Neque potest intellectus discursiuus in discurrendi actum prorumpere, nisi præcedat compositionis, vel diuisionis operatio, immò neque intellectus discursiuus esse potest, nisi prius sit compositiuus, & diuisiuus, vt habetur ex Henr. art. 36. q. 7. *In illis autem, quorum intelligentia est compositio, & diuisio fit discursus, intelligendo diuersas conditiones vnã post aliam, quia non intelligit posterius, nisi per medium connectens posterius priori.* Tales verò operationes non conueniunt Deo, neque Beatis, vt ibidem subiungit Aenr. *Iste appellatur discursus ratiocinatiuus, & est proprius hominibus in vita ista, & non conuenit Deo, nec etiam Beatis,* & art. 52. q. 4. *Qualis discursus, & ordo conceptuum nullo modo potest esse in intellectu diuino, neque angelico, concipiendo hoc ex hoc, quia conclusionem non cognoscit ex principijs, sed solum in principijs.* Et propter eandem rationem intelligere, ipsam vniuersale abstractiuè, non potest nisi homini in hac vita existenti conuenire, vt fatetur Henr. quodl. 8. q. 12. *Nec etiam est natura substantia separata, vt videat vniuersale per abstractionem sicut videt noster intellectus.*

Notandum secundo. Vniuersale spectare ad operationes intellectus, quoad suam formalitatem dupliciter, vel quatenus primo ipsum producitur per intellectus agentis lumen, quod in superiori vniuersale obiectiuum appellauimus, vel quatenus est id, quod intellectus negotiando, & operando sibi efformat, quam distinctionem atterebat Henr. quodl. 14. q. 6. *Duplex est actio intellectus possibilis, vna, qua intelligit prima intelligentia, & simplici, & ad quam determinatur per obiectum: alia verò est eius actio secunda, qua se exercet, & discurs-*

discurrit ab uno in alterum, diuidendo, congregando, & conferendo. De primo intelligendi modo iam satis dictum est in præcedenti, nunc solum est sermo de vniuersali, quod fit formaliter per ipsius intellectus exercitium; Ratione vero huius discursus, quem poni in homine necesse est, dicuntur magis propriè homines rationales, quam intellectuui, vt ait Henr. art. 36. q. 7. Tali discursu solum vtuntur homines in hac vita, in qua propterea non sunt propriè intelligibiles, sed rationales, in principijs scilicet non concipientes principiata, nisi in potentia, ita quod seorsum oportet hominem formare complexiones principiorum, mediorum, & conclusionum vnã post alteram, & per media conclusiones ex principijs intelligere.

Conclusio. *Vniuersale fit per omnem intellectus operationem.*

Explicatur. Vniuersale formale, si consideretur, vt quid incomplexum, spectat ad primam intellectus operationem, sed vt quid complexum spectat ad secundam, & tertiam, quatenus intellectus negotiatur circa sibi representata obiecta, & ipsum à singularibus abstrahit, in quibus existit.

Est Henr. art. 40. q. 4. ad primum. *Intellectus noster abstrahendo, & componendo, & diuidendo, & operatione sua actuali format sibi obiectum vniuersale, vt actu intelligat.* Et quodl. 14. q. 6. ostendit vniuersale spectare ad primam operationem. *Quod quid est, & definitiua ratio, & est opus intelligentie simplicis.* Quoad secundam. *Similiter dico quod esse quidditatiuum habet esse ab intellectu diuidendo, & congregando.* Quoad tertium denique ait. *Format in eo intellectum declaratiuum, quæ intellectio appellatur verbum.*

Probatur ratione sic. Ad primam operationem spectat genus, & species subiectum, & prædicatum: ad secundam pro-

positio, & proprietates illius, & ad tertiam. Antecedens, consequens, maior, minor, syllogismus, & aliæ argumentationis species; sed ista omnia habent rationem vniuersalis: ergo per omnes operationes potest fieri vniuersale.

Ad primam obiectionem, cum dicitur - *Ad primam operationem spectare solum terminorum notitiam, non autem notitiam plurium, vs plurium.*

Dicendum. Cognitionem terminorum, & simplicium non solum esse attendendam penes modum cognoscendi ex parte ipsius intelligentis, qui tunc dicitur illa simplici notitia affici, quando primo terminos percipit, & cognoscit incomplexè, vt notat Henr. art. 1. q. 5. *Primo informatur mentis intelligentia primis rerum conceptibus, vt sunt intentiones entis, & vnius numeri, & magnitudinis, & cæterorum incomplexorum, quæ sunt prima naturaliter intellecta, & incomplexa, & vocatur eorum intellectus indiuisibilem intelligentia, qua mens primò naturaliter cognoscit terminos.* Sed etiam penes modum ipsorum cognoscibilem, quæ si sint plura, dummodo sub vna formali ratione conueniant, habent quod simplicis intelligentiæ intuitu cognoscantur, ita docet Henr. art. 40. q. 5. ad primum. *Quando in vno formali obiecto realiter conueniunt, in quo nullam habent distinctionem, sed unitatem, sed tamen habent radicem secundum quam completiue distingui possunt in ipsa operatione intellectus, vno simplici intuitu possunt intelligi.* Vniuersale quatenus est quid incomplexum, ad huiusmodi primam intellectus operationem spectat, cum sub ipsius ratione omnia indistinctè conueniant. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, quæ vera est de vniuersali complexo, vt est reduplicatiue plurium, non de incomplexo cum sub vna ratione simplicissima omnia conueniant.

Ad secundam cum dicitur. *Vniuersale esse quid absolutum, & simplex, nec spectare posse ad componentem, & diuisentem potentiam.*

Di:

Dicendum. In vniuersali considerari posse, rationem incomplexam, secundum quod dicitur hoc termino vniuersalis omne, quod sub ipso continetur, absque affirmatione, & negatione, & sic certum est; Tale vniuersale quoad huiusmodi sensum non posse suum esse à secunda intellectu operatione desumere. At est attendenda alia ratio nimirum complexi, quam habet enunciatio quælibet, cuius affirmatio, vel negatio ad secundam pertinet operationem, & sic fateatur Henr. eodem art. 1. q. 5. *Ex terminorum collectione ad inuicem per intellectum componentem, & diuidentem, consimiliter concipit naturaliter, sine omni discursu primas conceptiones intelligibilium complexorum, ut quod totum est maius sua parte, &c.* Et hac ratione vniuersale dicitur ad secundam intellectu operationem pertinere. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor, quæ vera est de vniuersali incompleto, falsa de complexo.

Ad tertiam obiectionem cum dicitur. *Vniuersale esse id, per quod reliqua cognoscuntur, unde per discursum fieri nequit.*

Dicendum multa esse, quæ vniuersaliter per discursum fiunt, quemadmodum sunt illa complexa, quæ in conclusionibus, deductis ex principijs, quemadmodum per discursum, deduci solent ex vi præmissarum, ita loquitur Henr. de intellectibus discursiuis art. 36. q. 7. *Post conceptum principiorum, necesse habent formare conceptum conclusionum, & mediorum iuxta modum discursus.* Ad formam itaque argumenti. Distinguitur minor, nam ratione subordinationis inter potentiam intellectu operationem, vniuersale per intellectum agentem, est primum mouens ad simplicem operationem, & ad hanc sequitur compositio, & deinde discursus; conceditur minor de vniuersali quod est ad aliud ordinatum; negatur autem de eo, quod per discursum haberi solet.

ARTICVLVS II.

QVAESTIO VII.

Utrum Vniuersale realiter differat à prædicabili.



PRO parte negatiua. Arguitur primo. Quod essentialiter includitur in aliquo tanquam cōnotatum quidditatum illius, illud non dicitur differre realiter ab illo; sed esse prædicabile includitur in quidditatio esse ipsius vniuersalis: ergo non differt ab vniuersali realiter. Maior est certa quandoquidem Animal exempli gratia, & rationale non differunt realiter ab homine, quia vtrumque ipsorum sunt de intrinseca quidditate ipsius. Minor vero debet admitti secundum Henr. art. 43. q. 2. *Duo enim includit in se vniuersale, & rem ipsam, qua eī essentia, & natura aliqua. Et rationem prædicabilis de pluribus, &c.* Essentia ergo, vt prædicabilis dicitur esse vniuersalis.

Secundo. Si realiter differrent, fortasse quia vniuersale se habet sicut essentia, prædicabile vero sicut proprietas illius, sed hoc esse non potest: ergo non differunt realiter. Maior à nobis concedetur in conclusione. Minor vero probatur. Nam essentia debet esse prior quam proprietas saltem secundum rationem: prius enim aliquis concipitur esse homo quam esse sensibilis: sed hoc non habetur, quia impossibile est concipi vniuersale, & non concipi prædicabile, &c.

Tertio. Quod est definitionis alicuius pars, est de quidditate illius: sed prædicabile ponitur, vt pars definitionis vniuersalis: ergo est de quidditate illius, & non differt realiter. Maior patet ex se. Minor vero probatur, quia ex art. 43. q. 2.

ha-

habetur. *Vniuersale est unum in multis, & de multis, Vbi ly de multis, stat pro definitionis parte.*

Quarto. Ea quæ conuertibiliter dicuntur debent esse identica, non autem distincta realiter, sed vniuersale, & prædicabile ad inuicem prædicantur: ergo non different realiter. Maior patet, si dicatur, Homo est animal rationale, & ad conuertentiam. Rationale est homo. Minor etiam est euidens. Valet enim dicere vniuersale, est prædicabile, & prædicabile est vniuersale.

Notatur primo ad cognoscendum an aliquid sit essentia, vel proprietas; illud esse maxime congruens, quando reperitur ali- quod esse, quod in sua formalitate consideratum potest sine actuali annexo reperiri, licet reperiri non possit sine actuali aptitudine ad ipsum. Sit exemplum. Ut cognoscatur an homo habeat risibilitatem, vt essentiam vel proprietatem sufficit si cõsideretur risibilitas secundum rationem aptitudinis semper es- sèdi cum rationalitate, quæ risu actuali sæpe caret. Ita caliditas est proprietas ignis, quia licet remoueretur ab igne actualis calor, quod fieri posse per Deum testatur Henr. quodl. 8. q. 37. non tamen potest auferri ab illo aptitudinalis propensio ad calorem, cum sit aptitudo illa ex numero illorum, quæ insepa- rabilia, & per miraculum vocantur ab Henrico quodl. 7. q. 17. quando negauit hominem posse existere sine quantitate.

Notatur secundo. Prædicabilitatem de multis accipiendam esse secundum quod prædicatio est formalis, & directa, neque enim in præsenti est sermo de prædicabilitate secundum identitatem, qua idem numero dicitur de seipso: de qua latè Henricus ar. 75. q. 2. Sed de prædicabilitate proprie, secundum quã vna quidditas, quæ cognoscitur, in multis esse habet, quod de illis dici possit, quia enim exèpli gratia. Homo consideratur vt in Petro, & Paulo, ideo habet aptitudinem, vt dicatur Pe- trus est homo, & Paulus est homo.

Con-

Conclusio. Prædicabile differt realiter ab vniuersali.

Explicatur. Prædicabile proprie sumptum secundum formalitatem bonæ prædicationis differt ab vniuersali tanquam proprietas ab essentia.

Est Henrici loco citato art. 43. q. 2. *Forma illa sic abstracta est vna secundum rationem existens in multis particularibus multiplicata, & de multis, quia per prædicationem eisdem, à quibus est abstracta, est applicata.* Vbi expressè tanquam quid secundarium ponitur applicabilitas per prædicationem.

Probatür vero ratione sic, Quicquid consequitur ad aliud secundum aptitudinem suam non est, nisi veluti proprietas illius. Sed prædicabilitas consequitur ad vniuersale secundum quod est aptitudo, non secundum actualem prædicationem: ergo est proprietas illius. Maiorem præsuppono ex primo notabili, & patet inductione in plerisque proprietatibus. Minor etiam constat, quia prædicari actualiter non dicitur esse consecutiuum vniuersalis, sapius enim est vniuersale per intellectum efformatum, & tamen non prædicatur actualiter, nisi ad intelligentis voluntatem.

Duo possent facere aliquam difficultatem. Primum quia, ve videbimus in Phisicis potentia est de essentia materiæ, vt vult Henr. art. 39. q. 4. *Potentia receptiua materiæ non est aliquid re absoluta aliud ab ipsa essentia materiæ;* & videtur posse dici de prædicabilitate respectu vniuersalis, quemadmodum namque vniuersale est in multis, ita de multis prædicabile dicitur.

Ad hoc posset dici disparitatem esse de potentia ad essendum, & potentia ad operandum. Illa non distinguitur ab eo cuius est potentia hæc vero sic, sed obstat nam pluribus in locis præcipue, quodl 3. q. 14. Docet Henricus dari
ope-

operationem substantialem . *Non solum enim ratione forma accidentalis debetur composito, quod agat, ut igni ; quod calefaciat, sed etiam ratione forma substantialis .* Obstat secundo, quia prædicabilitas est ad patiendum , ut patet ex ipso nomine passiuo. Dicendum igitur, potentiam materiæ esse ad essendum, & componendum vnum per se ; sed prædicabilitatem non esse ad componendum , sed solum ad terminandam operationem intellectus enunciantis ; quod est opus per accidens factibile .

Secundum, Quod posset difficultatem facere, est, quod vniuersale, cum sit accidens, posset habere aliud accidens, cum accidentis non sit accidens, ne detur processus in infinitum , à quo tam refugit Henricus ut art. 39. q. 4. vbi probat potentiam receptiuam materiæ esse idem cum eius essentia, quia si potentia materiæ esset aliud ab ipsa. *Materia esset ex se in potentia ad illud, & sic potètia illa esset similiter ad aliud, & esset abire in infinitum.* Ita in proposito .

Ad hoc dicendum suapte natura substantias habere ex se resultantes suas proprietates . Ad dictum Henrici, quod mihi aliquando visum est difficillimum, quantum ad vim illius argumenti . Respondeo sermonem esse de materia, quæ cum nuda potentia dicatur, dicit potentiam in ordine ad id, quod non est ipsa realiter . Secus dicendum de reliquis . Responso hæc colligitur ex Henrico ibidem. *Sed posse, quo substantialiter, hoc subiectum differt à natura subiecti, quod substantiatur per hoc posse in hoc, quod posse dicitur respectu formæ : hoc autem subiectum est vnum existentium per se, quorum substantia est in potentia.* Querebatur enim ad mentem Commentatoris : quod potentia materiæ esset respectus fundatus in ipsa essentia materiæ, cuius substantia est in potentia . In Physicis de hoc latius .

Ad primam cum dicitur. *Vniuersale includere duo .* Dicendum

dum, quod verum est, sed tamen vnum includit vt essentiam, aliud veto vt proprietatem. Solent enim rerum quidditates sæpius ita explicari, vt non solum detur simplex ipsarum definitio, sed vltcrius etiam per proprietates describantur, vt facilius natura definita explicetur, & percipiatur. Ad formam itaque negatur minor.

Ad secundam Quod. *Vniuersale non præcedit rationem prædicabilis.* Respondetur imò præcedere, in eo enim quod aliquid vniuersale est, & in pluribus sequitur velut proprietates, quod etiam sit de multis. Quadrat illud Henrici art. 52. quæst. 3. *Quamuis aliqua sint simul, & coæquæua duratione, secundum quod sunt aliquid in rerum natura, & secundum quod respectum habent ad inuicem secundum rationem principij, & principiati, nihilominus tamen vna illarum rerum secundum id, quod est in essentia sua dependet ab alia, & non e conuerso, verbi gratia licet lux, & radius sint coæquæua, & simul secundum rationem principij, & principiati, in essentia sua radius dependet à luce, & non è conuerso.* Ita dicendum in proposito de vniuersali, & prædicabili, &c. Ad formam itaque argumenti neganda est minor.

Ad tertiam quod ly, *de multis est pars definitionis.* Respondeo, sed definitionis descriptivæ, quatenus amplectitur etiam proprietatem, per quam facilius in cognitionem vniuersalis deuenire possumus. Quantum enim ad vniuersale ipsum, satis erat dicere, Est vnum in multis. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad quartum quod. *Vniuersale, & prædicabile dicuntur conuertibiliter.* Dicendum, sed diuerso modo. Nam vnum conuertitur à priori cum altero; alterum verò cum illo à posteriori. Cum dicitur prædicabile est vniuersale, est ad aliquid prius: secus vero dicitur vniuersale est prædicabile; nam est ad aliquid posterius, vt vero quæ dicuntur ad con-

conuertentiam sine idem debent dici secundum eundem respectum, & eandem rationem. Vnde non concluditur. Ad formam itaque argumenti dicitur maior non esse semper vera.



ARTICVLVS III.

Circa tertium Articulum de Prædicabilibus erant tres Quæstiones de Obiecto libelli Porphyrij, de Vniuocatione prædicabilis ad quinque prædicabilia, & de eorundem Numero. Erat autem

QVAESTIO I.

*Vtrum vniuersale sit subiectum in lib.
Porphyrij.*

RO parte negatiua. Arguitur primo. Si enim vniuersale esset potius constituendum obiectum, debuisset Porphyrius in hoc libello excitare quæstiones, & eas soluere, quæ attinent ad vniuersale, quales sunt illæ. *An vniuersale sit à parte rei, an per opus intellectus, & cætera huiusmodi, quæ explicat naturam ipsius vniuersalis, vt de vniuersali haberetur plena cognitio: sed hoc non facit, vt patet: ergo prædicabile, & non vniuersale est obiectum. Minor patet. Maior verò est Henrici art. 19. q. 1 ad tertium. Subiectum debet esse primum scitum in scientia, & in eius consideratione, & post ipsam, & sub ratione ipsius omnia alia, sicut color est primum cognitum à visu, & sub ratione illius omnia alia, &c.* Deberet itaque vniuersale prius cognosci secundum se, & deinde prædicabilitas, & passiones illius.

Se-

Secundo. Omnia de quibus agit aliqua facultas, debent participare de ratione formali sui subiecti, sed species subijcibilis, & indiuiduum non considerantur sub ratione vniuersalis; cum non possint esse, vt huiusmodi, vniuersalia: ergo vniuersale non est subiectum huius libelli. Minor patet. Maior vero est eiusdem Henrici ibidem ad vndecimum. Debet poni subiectum in aliqua scientia illud. *Propter quod omnia alia ad scientiam reducuntur, &c.*

Tertio. Definitiones rerum quidditatem manifestantes ostendunt, quale sit subiectum facultatis alicuius, ex modo enim definiendi cognoscimus subiecta diuersarum scientiarum, nam alio modo definit Physicus, alio Mathematicus, & alio Metaphysicus; sed in hoc libello tres definitiones dantur per prædicari: ergo prædicabile, & non vniuersale est subiectum. Minor patet inductione facta per omnes definitiones. Maior etiam communiter est recepta.

Notatur primo. Subiectum alicuius scientiæ esse duplex scilicet adæquatum, & inadæquatum. Subiectum, siue obiectum adæquatum dicitur illud, quod primo, & per se est obiectum illius, & omnia alia includit, de quibus in scientia illa, cuius est obiectum, agitur. obiectum vero inadæquatum est de quo agitur, sed in gratiam alterius, quia secundum Henricum loco citato art. 19. q. 1. ad septimum. *Non enim scientia solum considerat, quæ sunt de natura subiecti, & de essentia eius, sed etiam considerat omnia illa, quæ attributionem, & relationem aliquam habent ad ipsum, & manuducunt ad aliquam notitiam habendam circa subiectum, &c.*

Notatur secundo. Posse aliquam distinctionem fieri inter materiam vnius scientiæ, & subiectum illius. Materiæ enim rationem habet illud, quod per talem scientiam acquirit, quodammodo esse. Subiectum verò dicitur, quod partim cognoscendum est aliquo modo accidentali. Cum autem præsupponatur cognitum actu quantum ad an sit, & quid sit, quæ sunt

sunt veluti quidditatis illius partes potiores. Quam distinctionem affert Henr. eodem art. 19. q. 2. *Subiectum dicitur in scientia id, quod aliquo modo est in actu cognitum, in quantum de subiecto oportet supponere, & præcognoscere si est, & quid est. Et alio modo est in potentia cognitum, in quantum ulterior cognitio de ipso in scientia inuestiganda est. Materia vero proprie debet dici in scientia id, quod nullo modo supponitur in scientia, ut cognitum; sed ut omnino cognitio eius in scientia inuestiganda est, & hanc doctrinam maxime obseruandam censeo, quoties de obiectis fiet sermo in sequentibus.*

Conclusio. Vniuersale est subiectum in libello Porphyrj.

Explicatur. Licet vniuersale, & prædicabile inuicem confundantur, & vnum pro altero accipi soleat, attamen in libello Porphyrj Vniuersale debet censi principalius subiectum, quam prædicabile, itaut vniuersale sit subiectum, prædicabile vero materia huius libelli.

Est Henrici licet non reperiatur ab ipso prolata in terminis, potest tamen ex eius dictis facile deduci: Nam art. cit. 19. q. 2. ait. *Subiectum scientie actu de se importat rationem illam, secundum quam omnia considerantur in scientia.* Ad vniuersale autem reducuntur omnia de quibus agitur in hoc libello. Vnde conclusio.

Probatur sic. Consideratur in hoc libello prædicabilitas; quæ est passio ipsius vniuersalis; Consideratur; Indiuiduum tanquam fundamentum ipsius, consideratur species subijcibilis, ut proximè naturæ genericæ adiuncta: ergo in gratiam ipsius vniuersalis omnia considerantur.

Dices hoc idem concludere de prædicabili. Respondeo ipsum prædicabile considerari ut reducibile ad vniuersale, cuius est

est passio, siue proprietas; licet enim de risibili dicatur totum, quod dicitur de homine non tamen risibile per se habet hoc, sed in gratiam ipsius hominis, cuius est proprietas.

Ad primam. *Quod debuisset Porphyrius instituire tractationem difficultatum circa vniuersale, & agere de ipso ex professo.* Dicendum primo si bene inspiciatur. Omnia in littera Porphyrij reperiri, licet non ita exacte, vt habetur per expofitores. Dicendum secundo. Vniuersale esse subiectum, & prædicabile materiam, nec fuit inconueniens, quod à materia sumeret libellus ille suam denominationem, & inscriptionem, vnde non fuit necesse, quod omnia de subiecto vniuersali dicerentur, quando de ipso debuit præsupponi. An sit, & quid sit, & considerari sola proprietas prædicabilitatis. Henrici vero authoritas inducta in argumento fauet conclusioni, vt patet. Ad formam itaq. argumenti negatur sequela maioris.

Ad secundam quod, *multa tractantur, quæ non sunt vniuersalia.* Respondeo reduci tamen ad vniuersale aliquo pacto, quæ neque possunt adduci in fauorem prædicabilis; cum nec huiusmodi sint formaliter prædicabilia. Reducuntur autem omnia ad vniuersale, vt dictum est satis. Ad finem itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Definitiones dantur non per vniuersale, sed per prædicabile.* Respondeo illas esse descriptiones, vt suo loco videbimus; quia dantur per quid posterius, nimirum prædicabilitatem. Ratio vero quare Porphyrius hoc præterit, esse potest eadem, quæ currit in Phisicis, & alijs scientijs omnibus, vt bene innuit Henricus art. 19. q. 1. ad tertium. *Inuestigatio naturalis rationis à posteriori, & magis sensibili, & composito incipit tanquam à magis notis nobis, & procedit ad simpliciora intelligibilia magis, vt dicitur in principio Phisicorum, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

ARTICVLVS III.

QVAESTIO II.

*Vtrum prædicabile sit vniuocum ad quinque
Prædicabilia.*



PRO parte negatiua. Arguitur primo. Ad substantiam, & ad accidens nihil est vniuocum, ex Henrico art. 21. q. 2. *Nulla communitate reali ipsum (est) potest esse commune substantiæ, & accidenti: ergo neque his prædicabilibus, cum alia prædicentur per se, alia vero per accidens, vt patet de proprio, & accidenti.*

Secundo. Ordo prædicabilium videtur desumi ex eo, quod diuerso modo se habent prædicabilia inter se, quatenus Genus prædicatur de differentibus specie, species de differentibus numero, &c. Sed nihil potest esse eidem generi, & speciei vniuocum: ergo prædicabile non dicitur vniuocè de illis. Maior patebit in sequentibus. Minor vero probatur; quia diuersa genere multo magis inter se distant, quàm diuersa specie. Vnde Henr. art. 51. q. 2. *Quemadmodum diuersa genere plus differunt, quam diuersa specie, & quod cum diuiduntur ab inuicem secundum differentiam, diuersa genere, manent vnum in membris diuidentibus diuersa specie, &c.* Ad vniuocationem autem requiritur æqua distantia, saltem quoad rationem prædicabilis.

Tertio. Prædicabilia, vt vniuocè conueniant debent habere modum prædicandi complere, non per modum partis, & imperfecti, quemadmodum genus est verum prædicabile, quia complete prædicatur dicendo. *Homo est animal; sed differentia*

tia

tia prædicatur per modum partis, vt patet ex ipsius definitione: cum sit pars speciei. *Differentia enim est qua species abundat à genere.* Vnde, cum genus prædicetur de specie, non potest prædicari de differentia ex Henrico art. 75. q. 2. *Nequaquam potest animal prædicari de rationali, quia vt dicit Philosophus, &c.* ergo saltem à tali vniuocatione excludenda venit differentia.

Notatur primo. Vniuersale, siue prædicabile posse dupliciter considerari, siue reduplicatione facta supra naturam substratam secundæ intentioni, siuè supra ipsam secundam intentionem. Aliud enim est considerare, exèpli gratia, animal quatenus est natura aliqua generica apta nata ad essendum in pluribus speciebus, & aliud considerare ipsum, vt genus est, & vt habet formalitatem suæ prædicationis per intellectum. Vnde potest esse quod aliqua, quæ secundum naturam ipsam habent inter se disterre plusquam analogicè, conueniant, deinde etiam vniuocè in ratione secundæ intentionis. Fuit doctrina luculentissima Henrici quodl 7. q. 8. *Corpus non est vniuocum ad corruptibile, & incorruptibile, verum est tanquam genus nature; est tamen vniuocum ad illa tanquam genus logicum, quia significat communem intentionem realem ad illa duo, &c.*

Notatur secundo. Vniuoca etiam posse sumi in stricta, & rigorosa acceptione, quatenus scilicet debent habere nomen commune, & eandem substantiæ rationem: vel quatenus habent solum, quod formaliter in aliquo conueniant, licet substantiæ ratio sit diuersa, sic enim sumuntur in latiori significatione; non tamen impropria, licet enim variatio sit secundum materiam, quia tamen conueniunt in eadem ratione formali suæ acceptionis; verè vniuoca sunt, de hac vniuocatione sermo est in præsentî.

Conclusio. Vniuersale, siue prædicabile, est uniuocum ad quinque prædicabilia.

Explicatur. Vniuersale, siue prædicabile consideratum quatenus reduplicatiuè dicit secundam intentionem prædicabilitatis, siue quatenus genus logicum est, dicitur uniuoce de quinque prædicabilibus; licet uniuocatione latius accepta.

Est Henrici art. 43. q. 2. ad primum. *Aliquid contingit prædicari de pluribus unitate rei, & rationis, quasi dicat secundum uniuocationem rigorosam, vel unitatem rationis tantum, & diuersitate rei, scilicet secundum uniuocationem minus strictam.* Subdit immediatè, *prædicabile de pluribus isto secundo modo est verè vniuersale, recognoscendo scilicet in ipso veram uniuocationem vniuersalitatis.*

Probatnr ratione, quia dici de multis æqualiter conuenit generi, speciei, Differentiæ proprio, & accidenti quatenus considerantur habentia rationem secundæ intentionis: ergo est uniuocum ad illa. Quod enim aliqua sint essentialia, aliqua accidentalialia; sunt differentiæ se tenentes ex parte materiæ, siuè naturæ substratæ secundis intentionibus.

Ad primam. *Quòd nihil est uniuocum ad substantiam, & accidens.* Conceditur, loquendo de genere naturali, considerando scilicet res prout sunt, negatur tamen de genere logico idest de modo prædicandi secundum dicta. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens, vt in primo notabili.

Ad secundam quòd, *diuersa genere magis distant; quam diuersa specie.* Dicendum hanc distantiam se tenere ex parte generis naturalis, & naturæ substratæ secundæ intentioni. Non autem secundum rationem, & modum prædicandi dumtaxat de pluribus. Ad formam itaq. argumèti distinguitur minor.

Ad

Ad tertiam quod, *Differentia est pars speciei, nec potest sic illa prædicari de suis individuis, nec de differentia potest prædicari genus.* Dicendum etiam differentiam per modum differentiæ optimè esse prædicabilem, ut si dicas Petrus est rationalis, Franciscus est rationalis, &c. Quod vero genus de ipsa non prædicetur, hoc non officit, quia respicit genus, ut quid incompletum in ratione suæ naturæ, & realitatis præter inconueniens adductum à Philosopho obscure, sed ab Henrico optime explicato illo art. 75. q. 2. de quo nos alibi.

A R T I C V L V S III.

QVÆSTIO III.

An numerus prædicabilium sit bene assignatus.



RO parte negatiua. Arguitur primo. Prædicamenta sunt decem: ergo etiam decem debent esse prædicabilia. Antecedens patet ex Philosopho, & Henr. ar. 32. q. 5. art. 66. q. 1. & quodl. 15. q. 5. & alibi ut suo loco videbimus.

Consequentia vero probatur. Nam prædicamentum est id, in quo fundatur ratio prædicabilitatis: ergo si prædicamenta sunt decem, habebunt quoque decem modos fundandi prædicabilitatem.

Secundo. Individuum vagum est vnum prædicabile, sed nullum ex istis: ergo plura, quam quinque. Minor patet, quia non est genus, non enim prædicatur in quid de differentibus specie, neque species, quia determinatur ad singularitatem, neque differentia, quia prædicatur per modum totius, neque proprium, aut accidens, quia significat substantiam. Maior vero patet in hac propositione. *Petrus est aliquis homo.*

Tertio. Definitio prædicatur in quid, & non est vnum prædicabile ex enumeratis: ergo plura ponenda sunt. Antecedens probatur; nam ex Henrico art. 24. q. 1. secundum Philosophum. *Definitio est sermo quidditatis, & essentia, &c.*

Notatur primo. Rationem prædicabilitatis desumendam esse se panem seriem, quam habent res inter se, secundum quam diuersimode prædicata vniuersalia suis subiectis applicantur. Vnde bene Henricus art. 32. q. 5. ad tertium rationem prædicabilitatis dixit esse illam. *Qua conuenit toti prædicamento, non nisi ex ordine, quem habent res prædicamenti inter se secundum sub & supra in linea prædicamentali, &c.* Quasi dicat vnum quodque prædicamentum habere res suas ita ordinatas, vt optimè contineant sua genera, species, differentias, proprietates, & accidentia.

Notatur secundo. Aliqua prædicari de aliquibus prima sui diuisione dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se prædicantur Genus, species, & differentia. Per accidens autem proprium, & accidens. Ille modus prædicandi per se, continet tres modos, vel enim de pluribus differentibus, species, & sic est genus, vel differentibus numero, & sic est species, vel in quale quid de differentibus numero, & est differentia. In quale accidentale autem, siue per accidens habet duos modos, vel vt proprietates de sua essentia, & sic est proprium, vel vt omnino accidentale, & sic est accidens.

Conclusio. Numerus Prædicabilium assignatus est optimus.

Explicatur. Ita se habent ista quinque prædicabilia, quæ enumerata sunt à Porphyrio, vt nullum demi possit, nullum addi.

Est Henrici nam de tribus primis prædicabilibus ait art. 26.

q. 2.

q. 2. *Omne genus necessario habet sub se species secundum esse, & quidditates proprias differentes, & art. 32. quæst. 3. Res spectei duo continet videlicet genus, & differentiam. De proprio verò, & de accidente, vt prædicabilibus non inuenio quid speciale, nisi quædam generica, quæ suis locis exponentur.*

Probatur conclusio vnica illa ratione in secundo notabili posita.

Ad primam. *Quod prædicamenta sunt decem.* Respondeo aliundè sumendum numerum prædicabilium, & aliundè prædicamentorum. Prædicamēta enim sunt genera secundū coordinationem rerum vt res sunt. Prædicabile autè desumitur penes ordinem, qui reperitur inter prædicatum, & subiectum vt ex Henrico deducebatur in primo notabili. Ad formam itaq. argumenti negatur consequentia.

Ad secundam quod *Individuum vagum prædicatur, & non est vnum ex ipsis.* Dicendum prædicationem individui vagi esse identicam, non autem formalem, si sumatur individuum Vagum, vt huiusmodi non ratione speciei solum, sed ratione etiam signi apppositi. Vndè adest de prædicatione formali, & propria in summulis regula, quod semper prædicatum debet esse subiecto latius patens. Quod bene explicans Henricus art. 75. q. 2. ad nonum. *Licet quantum est de proprietate prædicationis, magis commune potius habet prædicari de minus communi, quam e conuerso, quasi tamen per accidens, & minus proprie bene potest esse prædicationis conuersa, &c.* Prædicationes enim æquè patentium sunt per accidens, & minus propriæ. Hic vero numerantur prædicabilia propria. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. *Definitio prædicatur in quid.* Respondeo definitionem esse ad speciem reducibilem. Non est autem constituenda definitio in ratione distincti prædicabilis, quia est quid complexum, cuius, si consideretur modus prædicabilis

litatis

litatis suæ, est idem cum speciei ratione; cum sit ex æquo manifestatiua quidditatis specificæ. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens; non enim prædicatur nisi, vt quid complexum, &c.



ARTICVLVS IV.

Circa quartum Articulum de Genere quærebantur duo, scilicet definitionis eius Bonitas, & Conferuabilitas in vna specie, & erat

QVAESTIO I.

An Genus sit benè definitum.



PR O Parte negatiua. Arguitur primo. Genus enim ex alio genere constare non potest: ergo neque definiri. Probatur consequentia, quia definitio constat ex genere, & differentia, vt patet in definitione hominis, qui dicitur esse animal rationale, vbi animal ponitur loco generis, rationale vero loco differentie. Antecedens vero probatur nam si posset ex alio genere constare, illud constare posset ex alio, & sic non datur status, sed processus in infinitum.

Secundo. Prædicamenta debent esse impermixta, neque cum sint genera generalissima possunt in aliquo conuenire, sed si definiatur genus omnia conueniunt simul: ergo definitio generis afferri nequit. Maior est Henrici quodl. 15. quæst. 5. *Decem prædicamenta in nulla re communieis conueniunt.* Minor vero patet, nam de omnibus, & singulis valet dicere, quod cum genera sint, de pluribus specie differentibus prædicentur.

Ter-

Tertio. Genus nequit prædicari de pluribus differentiis specie: ergo definitio non est bona. Consequentia patet, quia contradictorium est, quod prædicetur, & non prædicetur. An, recedens vero probatur. Nam vel debent prædicari in recto, vel in obliquo. Nō in obliquo, quæ enim in obliquo prædicatur nō debet quidditative per se, & directè prædicari; neque in recto, quia nulla pars in recto prædicatur de suo toto, nō enim potest dici Homo est brachium, sed genus est pars speciei ex Henr. art. 26. q. 2. *Genus etiam est aliquo modo pars speciei.*

Quarto. Genus est vniuersale; quatenus formaliter est prædicabile: ergo nequit prædicari in quid. Antecedens patet, ex dictis, quia prædicabile est proprietas vniuersalis, & ipsū consequitur in omni sua acceptione. Consequentia vero probatur; nam formaliter vniuersale, sicut formaliter prædicabile est quid formaliter accidentale, cum sit per intellectum, ut dictum est: ergo nequit dici in quid; accidentalia enim habent prædicabilitatem quarti, vel quinti prædicabilis contradistinctam à prædicabilitate generis, speciei, & differentiæ.

Quinto. Quod est totum in vno, non potest esse in alijs, nisi fortassè habeat essendi infinitatem, ut Deus. Sed genus totum suum esse habet in vnica specie: ergo non potest esse in pluribus. Minor probatur; nam totum esse animalis est in homine, non potest ergo dici esse totum in alia specie, & consequenter non erit in pluribus. Maior est Henrici art. 29. q. 1. vbi ait esse fallaciam æquiocationis dicere arguendo sic. *Homo non solum est ens tale, sed etiam ens simpliciter, & similiter quodlibet aliud, &c.* Ex eo quod habeat talem naturam, & habeat naturam simpliciter; vult Henricus, quod possit dici ens tale, sed non ens simpliciter; quod generi applicari facillè potest Genus enim, cum sit in vna specie, est ens tale, non tamen poterit dici simpliciter de pluribus, quia iam esset infinitum.

Notatur primo. Definitum in definitione generis esse se-

secundum intentionem generis, quatenus tamen connotat materiale denominatum, & naturam secundæ intentionis substratam. Cû enim genus dicat duo, & id quod est res generis, & id quod est eius secunda intentio. In definitione sumenda est principalius secunda intentio connotatiua ipsius rei, cum hæc sit propria ratio prædicabilitatis, quod sit formaliter secunda intentio, fundamentaliter vero ipsa natura.

Notatur secundo. Definitionem generis à Porphyrio allatam non esse essentialem, sed descriptiuam, quia datur per aliquid secundarium, quod est prædicari. Nec obstat, quod in ipsa adsint aliquæ conditiones, quæ possent competere essentiali definitioni, vt quod vnum relatiuum in ordine ad aliud definiatur, & his similia, quia habet principaliter definitio attendi penes modum, quo traditur. Ad constituendam enim bonam definitionem, quæ sit essentialis, plura requiruntur ad destruendâ vero sufficit defectus vnius cõnotati, & cõditionis.

Conclusio. Genus benè definitum est à Porphyrio.

Explicatur. Descriptio generis allata à Porphyrio, quod sit id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, est optima, cum explicet secundam intentionem ipsius generis connotatiuam tamen naturæ sibi substratæ.

Est Henrici licet sub diuersis terminis art. 26. q. 2. *Omne genus habet sub se species secundum esse, & quidditates proprias differentes, & art. 53. q. 2. Natura generis nata est esse, diuersa species, & est in potentia ad illas, &c.*

Probatum ratione. Illa enim est optima descriptiua definitio, qua explicatur bene natura, & quidditas definiti cum proprietatibus suis; sed huiusmodi est definitio generis: ergo est optima.

L

Ad

Ad primam cum dicitur quod, *genus non potest constare ex alio genere, ne detur processus in infinitum*. Dicendum quod verum est de genere eodem modo considerato. Sciendum igitur, quod Genus etiam logicè consideratum, potest dupliciter sumi, vel pro genere ipso prædicabili secundum naturam in speciebus repertam per intellectum abstrahibilem, & sic est genus, cuius quidditas definitione manifestatur, vel sumitur pro genere solum denominatiuo, quatenus est id, per quod dantur definitiones, vt innotescat per eas etiam genus ipsum prædicabile, & sic est genus, quod in definitione ponitur dicendo. *Est id, quod prædicatur de pluribus, cum differentia generis, deinde sit illa, differentibus specie in quid*. Genus itaque non potest constare ex alio genere eodem modo considerato, conceditur, diuerso modo accepto negatur. Genus igitur secunda intentio definitur per genus denominatiuum. Vnde cessat ratio processus in infinitum. Ad formam itaque negatur consequentia.

Ad secundam. *Quod prædicamenta in nulla re conueniunt, & nequeunt conuenire in definitione generis*. Respondeo, prædicamenta esse debere impermixta, quoad ipsorum entitates cum quarum distinctione optime stat, quod conueniant etiam in genere logicali prædicabilitatis, vt superius dicebamus ex Henrico quodl. 7. q. 8. quod ea quæ differunt genere naturæ habere possunt commune genus logicum, *est tamen uniuocum ad illa tanquam genus logicum*. Quod vero dicit Henricus quodl. 15. q. 5. citatus in argumento intelligendum est cum toto annexo. Iste est textus. *Decem prædicamenta in nulla re communi eis conueniunt, tamen in una ratione communi conueniunt, quæ est esse ab alio*. Vnde Henricus ipse cognoscit aliquam rationem pluraquam logicalem communem prædicamenti quoque, sed de hoc inferius. Ad formam itaque argumenti. Negatur maior.

Ad tertiam. *Quod genus est pars speciei, nec potest prædicari*

in reſpo. Reſpondeo. Genus eſſe partem, ſed Metaphyſicam, non autem phyſicam. Vnde bene dicebat Henricus loco citato in argumento. *Genus autem eſt aliquo modo pars ſpeciei, non abſoluta, ſed aliquo modo: Partes vero Metaphyſicę differunt à Phyſicis, quod iſtę, ita ſunt partes, vt non ſint totum, ſed illę habent rationem partis, & totius, eſt vero genus pars potius per modum includen:is, quam incluſi, & dantis eſſe quam accipientis.* Vnde dicebat Henricus art. 32. q. 3. *Res tota generis deſcendit in ſpeciem ſub omni ratione ſua excepta ratione illa intentionis ſecundę, qua dicitur genus, quaſi dicat genus eſt pars ſpeciei, quantum ad naturam ſignificatam, ſed non quantum ad formalitatem genericitatis.* Vnde ſequitur illa fallacia, de qua nos alibi iam locuti ſumus, quod ſcilicet non poſſit dici, *Species hominis eſt animal, ſed animal eſt genus: ergo ſpecies hominis eſt genus, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur conſequentia.

Ad quartam quod, *Genus eſt vniuerſale formaliter, & accidentale, vnde nequit predicari quidditatiue* Reſpondeo prædicabilitatem generis non eſſe deſumendam ex vnitæ formalis, quam habet per intellectum præciſe, ſed cum connotatione naturę ſubtractę ſecundę intentioni. Per hoc ergo accidentale ſignificatur aliquid quidditativum, quod ſufficientiſſimum eſt ad hoc, vt dicatur natura generica prædicabilitatis in quid. Ad formam itaque argumenti negatur conſequentia.

Ad quintam. *Quod eſt totum in vno, non poteſt eſſe totum in alijs.* Dicendum alio modo loquendum eſſe de toto quantitativo, & alio de toto eſſentiali potenciali. De primo toto verum dicitur in argumento, de ſecundo autem nequaquam Deus vero dicitur eſſe totum vbique, quia infinitus eſt, & eſt ipſa ſumma actualitas, & genus totum eſt in ſingulis ſuis ſpeciebus, vt tota potentialitas, qua ratione bene dicebat Henricus art. 25. q. 3. *Genus imponitur ab eo, quod eſt in ſpecie potenciali. Deus autem non poteſt eſſe niſi purus actus ſimpliciſſimus,*

mus, &c. & art. 28. q. 2. Genus sequitur materiam, & alibi, &c.
 Quod vero deducitur ex art. 29. q. 1. de fallacia illa equiuo-
 cationis. Respondeo. Intelligendum esse de acceptione sim-
 pliciter eo modo, quo conuenit diuinæ essentiæ. Non autem
 est inconueniens illa deductio de acceptione simpliciter sim-
 plicitate analogâ. sed hæc sunt altioris speculationis & suis lo-
 co, & tempore examinabuntur. Ad formam itaque argumenti
 distinguitur maior, quæ conceditur de toto quantitatio, ne-
 gatur vero de toto potenciali.

ARTICVLVS IV.

QVAESTIO II.

An Genus possit in vnica specie conseruari.



RRO parte affirmatiua. Arguitur primo. Non
 repugnat speciem in vnico indiuiduo conser-
 uari: ergo à simili, neque repugnabit, quod in
 vnica specie conseruetur genus. Minorẽ suppo-
 no probandâ Paulò post de specie. Consequentiã
 vero probatur; nam, quemadmodum vniuersa-
 lis est species, ita vniuersale est genus, & quemadmodum
 prædicabilis illa, ita & prædicabile istud. Quo posito sic argui
 potest. Pluralitas specierum requiritur ad constituendum ge-
 nus vt prædicabile est, quemadmodum pluralitas indiuiduo-
 rum ad constituendam speciem, quia prædicabilis est, sed isti
 sufficit vnicum indiuiduum actu cum reliquis in potentia: ergo
 etiam illi, & potest ad hoc asferri illud Henrici art. 32. q. 3. *Di-
 cendum est ergo quod, quia species in se habet totam naturam
 generis, &c.* Vbi singulariter loquitur de specie totam generis
 naturam habente.

Se-

Secundo. Corruptis omnibus speciebus, & remanente sola specie hominis, tunc adhuc verissima esset illa prædicatio. *Homo est animal*, & esset prædicatio generis de specie: ergo species illa conseruaret in se naturam genericam vniuersalis. Cōsequencia patet, quia prædicandi modus consequitur, modum essendi, neque enim prædicaretur animal genus. Antecedens vero probatur, quia propositiones quidditatiuæ sunt æternæ veritatis: sed hæc. *Homo est animal*, est propositio quidditatiua: ergo æternæ veritatis. Minor patet. Maior vero probatur ex Henr. art. 2. q. 2. *Propter quod dicit Auicenna Vnaqueque res certitudinem suam habet qua est id quod est*, ex quo concludit scientiam esse certam ex certitudine scilicet sui obiecti. Hæc autem propositio. *Homo est animal*, quidditatiua est, & certitudinem habet: ergo æternæ veritatis.

Tertio. Genus dicitur prædicabile ex aptitudine ad essendum in multis, non autem ex eo, quod actu sit: ergo in vnica existente specie poterit conseruari. Consequencia patet. Antecedens vero probatur, nam præscindendo ab actu, certum est, quod de se est aptum natum ad essendum in multis etiam si vnica habeat speciem, & ratione huius aptitudinis dicitur prædicabile.

Notatur primo. Genus dupliciter accipi scilicet pro materialitate metaphysicali, quam habet quatenus consideratur, vt totum actuale, siue definibile dicens talia prædicata essentialia, & quidditatiua, qualia sunt esse substantiam animatam, sensibilem, & viuentem. Quod Genus puto appellatum genus materiale ab Henrico quodl. 7. q. 8. Vel accipitur pro formalitate, quam habet ab intellectu, vt dicatur, & prædicetur de illis, à quibus per intellectum abstrahitur. Quod proculdubio genus logicum appellauit Henricus ibidem. Identitas generis logici est. *Dum vna communis intentio prima possit ab illis abstrahi, secundum eundem modum essendi generalissimi.*

Notatur secundo. De quidditatiua ratione generis esse v
per

per oppositas differentias contrahatur. Debet enim, ut genus constituatur ex esse generis, habere sub se differentias, quibus quasi diuidatur, & reducatur ad species particulares, quæ sub ipso sunt. Animal verbi gratia, in ratione generis constituitur, quia, cum in suo esse omnino præscindat à differentijs rationalitatis, & irrationalitatis, per illas tamen contrahitur ad species suas, unde aliud est animal rationale, aliud irrationale. Quare extant apertissima Henrici verba art. 26. q. 2. *Omne genus necessario habet sub se species secundum esse, & quidditates proprias differentes, & in generis quidditate, & esse communicantes, &c.*

Conclusio. Genus necessario habet diuersas species.

Explicatur. Genus ita debet habere sub se plura specie differentia, quatenus est genus logicum siuè potentiale, sicut ut neque de potentia Dei absoluta possit in vna specie conseruari.

Est Henrici loco in secundo notabilij citato, sed etiam clarior & expresse art. 28. q. 3. *Habito Genere, Anima intendit acquirere determinatum aliquid: Animal enim est quiddam in se, cuius esse non est terminatum, nisi cum fuerit rationale, & irrationale, & Paulo post. Non est autem differentia vna diuisiua generis, nisi cum aliqua alia differentia sibi opposita secum condiuidente illud genus, constitutiua alterius speciei sub eodem, &c.*

Probatur. Impossibile est esse genus, quod non sit per oppositas differentias specificas contractum, sed tunc necessario sunt diuersæ species: ergo necessario est in diuersis speciebus. Maior patet ex Henrico locis citatis. Minor vero sequitur necessario ex pluralitate differentiarum.

Ad primam obiectionem, *quod species potest conseruari in unico*

unico individuo. Dicendum, quod species habet plura individua, quando non est in materia satiata forma sua. Vnde Henricus egregiè art. 43. q. 4. *Hac est causa esse multorum in diuiduorum vnius speciei, scilicet, quod propter diminutionem non fuit natura contenta in esse vnius, &c.* At vero genus necessario debet per oppositas differentias contrahi, vnde non est paritas. Cum vero dicitur ex Henrico, quod species habet totam naturam generis affertur textus diminutus, ex qua diminutione multa imponuntur Henr. quæ non imponderentur. Sequamur igitur textum, *species in se habet totam naturam generis, & non habet esse genus nisi in speciebus, &c.* vbi notandum ly, *nisi in speciebus*, quia pluralitatem specierum recognoscit necessariam ad generis constitutionem. Ad formam itaque argumenti negatur consequentia.

Ad secundam quod, *corruptis omnibus speciebus adhuc valeret dicere Homo est animal.* Dicendum in eo casu propositionem illam esse quidditatiuam ratione essentiae hominis, & aliorum animalium irrationabilium ab homine contra distinctorum, sed ille non est casus noster. Negamus in præsentibus, quod possit dari genus logicum, vt huiusmodi: quod neque secundum essentias ipsas sit de diuersis speciebus, sed sit in vnica, solum, quemadmodum species solis est in illo vnico individuo etiam secundum essentiam, & quidditatem suam. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. *Genus est prædicabile ex aptitudine* Dicendum, quod posita aptitudine totum conceditur, quod in argumento assumitur. Concluditur enim idem, quod in proximo præcedenti argumento. Erat difficultas de tali aptitudine ad essendum in multis an sit necessaria; cui affirmatiuè respondetur. Itaut sit impossibile, quod fiat prædicatio alicuius tanquam generis, quod non habeat esse saltem secundum aptitudinem in multis. Dico aptitudinem, non dico non repugnantiam logicam, quia debent oppositæ differentie Genus con-

tra-

trahentes fundari in reali physico quales sunt naturæ specificæ rationalis, & irrationalis. Quod vero aliqui requirant species aëu existentes, non reputo necessarium, dummodo habeatur sufficiens illarum cognitio, ut puta, quod fuerint iam in rerum natura. Debet namque intellectus habere fundamentum ne eius opus fiat chimericum, sed hoc est solum quoad possibilitatem, & ex hypothese, quod Deus vellet aliquam speciem alicuius generis funditus absumere, Cæterum secundum communem rerum cursum Genus semper habet species suas aëu existentes. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.



ARTICVLVS V.

Circa quintum Articulum de specie, quærebantur tria, scilicet Bonitas eius definitionis, Conseruabilitas eius in vnico Indiuiduo, & Indiuidui Definitio. Erat autem

QVAESTIO I.

An definitio speciei sit bona.



RO parte negatiua. Arguitur primo. Definitio competens alijs à definito non est bona, sed hæc definitio est huiusmodi: ergo non est bona. Maior est certa, nam reponitur inter præcipuas definitionis regulas, quod definitio neque excedat definitum, neque ab ipso excedatur. Minor vero probatur, nam prædicari de pluribus differentibus numero conuenit etiam generi, potest enim dici Petrus est animal, quemadmodum dicitur Petrus est homo, conuenit etiam naturis abstractis, vt verbi gratia humanitas dicitur de humanitate hac, vel illa, & tamen humanitas non est species, Anima quoque rationalis dicitur de anima huius, & illius hominis, & tamen ipsa non est species.

Secundo. Species subijcibilis est vera species, & tamen de ipsa non verificatur definitio: ergo hæc definitio non est bona. Consequentia probatur; nam bonæ definitionis regula est, quod conueniat omni definito. Antecedens verò quoad primam partem patet, quia species subijcibilis, cum generi

M

subij-

subijciatur debet esse vera species, Genus enim debet esse de veris, & proprijs speciebus. Quoad secundam partem autem, est certa ex terminis ipsius definitionis; nam, vt hæc definitio conueniat alicui, illud debet non subiici, sed prædicari, & respicere non superiora sibi, sed inferiora, species autem subijcibilis respicit superiora, vnde non habet prædicari vt patet, sed potius habet rationem eius de quo fit prædicatio.

Tertio. Species dicitur de vno secundum numerum sole, & de Angelo: ergo non requirit, diuersa numero, de quibus prædicetur. Antecedens patet, quia sol est vera species, habet enim in se omne, quod ad prædicationem veræ speciei requiritur; cum sit in materia incorruptibili, non eget pluribus indiuiduis in sua specie.

Quarto. Differentiæ quoque prædicantur de pluribus differentibus numero: ergo non solæ species, & consequenter non est adæquata, & propria definitio.

Quinto. ex dicto Porphyrij Genus ad species habitudinem habet, species autem ad indiuidua nullam. Quo posito sic arguitur. Ad veram prædicabilitatem in quid, requiritur habitudo prædicabilis ad rem, de qua debet prædicari: sed nullam habitudinem habet species ad indiuidua: ergo de illis prædicabilis non est. Minor patet ex autoritate Porphyrij. Maior vero est certa, nam quomodo potest intelligi prædicari, & dici de aliquo aliquid; nisi sit inter prædicatum, & subiectum habitudo?

Notatur primo. In eodem sensu sumi in præfenti nomen speciei, quo sumebamus superius nomen generis. Neque enim est sermo de specie, quatenus materialiter consideratur, vt est natura aliqua à parte rei præcisè, quia sic certum est non considerari à logico, à quo considerantur duntaxat secundæ intentiones, vt fundatæ in primis, vt læpius dictum est ex Henrico quodl. 7. q. 8, sed præcipue illis verbis. *Naturalis considerat formam generis, ut est res præcisè, logicus autem ut est in.*

intentio prima, & hoc in quantum circa ipsam consideratur *intentio secunda*. Ita de natura specifica considerat logicus prædicabilitatem, & non quidditatem præcisè, quod enim constat ex pluribus, quorum alterum se habeat materialiter; aliud vero formaliter, semper ratio considerandi, ex formalitate desumitur species, & est necessaria, & est quid aptum ut per intellectum à pluribus abstrahatur; hoc est velut formale, à quo logicus suam desumit operationem considerandi.

Notatur secundo. Vniuersale seu prædicabile ipsum formaliter consideratum etiam à logico nouam pati diuisionem, nam vel consideratur reduplicatiue, ut tale, vel solum specificatiue; Reduplicatiuè, ut huiusmodi consideratur aliquid, quando adæquatè habet in se omnem rationem suæ considerationis, specificatiuè vero quando stat ibi solum quasi materialiter, & deficit secundum respectum alicuius formalitatis. Sit exemplum in proposito de specie subijcibili etiam logicè considerata, quæ licet sit vniuersalis, quatenus est correlatiuum generis, non tamen secundum considerationem subijcibilitatis est reduplicatiuè, & formalissime vniuersalis, quia scilicet illi deest ratio considerationis illius respectus, quem vniuersale, ut huiusmodi debet habere ad sua inferiora, vnde potius vocatur materialiter vniuersalis quam formaliter, quia ut optime dicebat Henricus art. 25. q. 3. *Secundum quod dicit Philosophus, quod vniuersale commune est, non enim dicitur vniuersale, nisi quod naturaliter est plurium rerum, & commune plurium.*

Conclusio. Species benè definitur à Porphyrio.

Explicatur. Species bene describitur à Porphyrio dicente, quod sit, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo, quod quid est; sumpta tamen pro secunda intentione fundata in prima, & quatenus species est formaliter vniuersalis:

M 2

Est

Est Henrici art. 53. q. 5. *Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero. Vbi definitur species non ut est intentio abstracta, & ut supponit pro suo significato, sed enim non prædicatur de pluribus differentibus numero, non enim vere dicitur Petrus est species, Paulus est species, sed definitur ut est in re cuius est, & ut supponit pro ipsa sub indifferentia quadam ad quemlibet illorum, cuiusmodi sunt Homo, Asinus, & huiusmodi, quæ prædicantur de solis indiuiduis suis. Vbi ad verbum habetur, & conclusio, & explicatio ipsius. Et quodl. 10. q. 5. assertit definitionem speciei specialissimæ, quæ est definitio in præsentia examinata. Dicitur enim species specialissima omnis forma communis comparata ad indiuidua, ut solo numero differentia, & nulla differentia substantiali formæ communi in eis superaddita, &c.*

Probatur conclusio ratione sic. Hæc definitio habet regulas bonæ definitionis: ergo est optima antecedens probatur, quia constat ex proprio genere, & differentia non excedit definitionem neque exceditur, &c.

Ad primam obiectionem quod. *Genus natura in abstracto, & anima rationalis prædicatur de pluribus indiuiduis. Dicendum quod attinet ad genus, Definitionem allatam esse intelligendam de prædicatione immediata, genus autem prædicatur de indiuiduis suarum specierum prædicatione mediata solum. Vnde dicebat Henricus art. 32. q. 3. Non habet esse genus nisi in speciebus, &c. Quibus mediantibus, deinde est in indiuiduis, & prædicatur de illis. Quod attinet ad naturas in abstracto. Dicendum prædicationem huiusmodi, licet aliquo pacto ratione rei verificetur esse omnino impropriam, vnde bene assertit Henricus art. 74. q. 4. Quia modus concretionis magis congruit cum ratione prædicati, quam modus abstractionis, eo quod prædicatum habet rationem, quasi informantis subiectum quod hoc magis proprie prædicatur concretum, quam abstractum in omni materia. Vnde absolute loquendo dicendum est.*

est Petrus est homo potius quam humanitas; Quod tandem attinet ad animam rationalem. Dicendum definitionem intelligi quantum ad prædicationem alicuius completi, non autem incompleti, qualis est anima. Dicitur vero anima incompleta quatenus est forma hominis. Vt habet Henricus quodl. 3. q. 6. *Neceffe habemus ponere, quod anima intellectiua sit forma; & actus corporis, &c.* Ad formam itaque argumenti, Negatur Minor.

Ad secundam quod. *Species subijcibilis est vera species, & tamen non predicatur.* Dicendum speciem subijcibilem esse speciem, sed deficere in ratione, secundum quam formaliter deberet esse vniuersalis, licet enim sit vniuersalis, quia correspondet generi, cui subiacet, non tamen reduplicatiuè consideratur, vt huiusmodi, quæ consideratio necessaria est ex Henrico art. 43. q. 2. *Conuenit multis particularibus, & per hoc est vniuersalis, &c.* Loquitur enim de forma abstracta per intellectum. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad tertiam quod. *Sol, & Angelus sunt species in vni:oin diuiduo.* Dicendum de Cælo hoc affirmare Henricū ar. 25. q. 3. *Non potest secundum Philosophum in eadem specie esse aliud Cælum, &c.* De Angelo vero quantum ad naturalem cursum videtur concedere, & quodl. 11. q. 1. & secunda. Sed ratio quare in his sit species, est quia non repugnat his multiplicari in specie, & potest intellectus simul plura indiuidua possibilia concipere, Vnde Henricus quodl. 2. q. 8. ait. *Non est verum quod sit tale aliquod indiuiduum vnicum sub specie, ita quod non possint esse plura, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad quartam quod. *Differentia etiam predicatur in quid de indiuiduis.* Dicendum prædicari in quale quid, est enim contractiua generis, & constitutiua ipsius speciei. Vnde dicebat Henricus art. 75. q. 2. *Eo enim, quod animal est tanquam ge-*
nus

nus significat de homine, quod est, rationale vero tamquam differentia contrahens, & determinans genus, quo est, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

*Ad quintam quod. Porphyrius dixit speciem non habere habitudinem ad individua. Dicendum non habere habitudinem diuersam. Ista sunt Porphyrij verba. Specialissima quoque species unum habet respectum, habet enim ad supera, quorum species dicitur, ad infera vero non diuersum habet, sed indiuiduorum species dicitur, &c. Aliud vero est dicere non diuersum, ac dicere nullum. Imo se explicuit Porphyrius. Indiuiduorum quidem species dicitur, ut continens ipsa, superiorum autem rursus species appellatur, ut continetur ab illis, &c. Henricus tamen art. 62. q. 4. ad dictum Porphyrij, quod species nullam habeat habitudinem ad individua respondet. Dico, quod verum est loquendo de habitudine artificiali, quia descendentes à genere, usque ad individua, iubet Plato quiescere, ea videlicet de causa, quia de indiuiduis non est ars, neque scientia. Non autem verum est de habitudine naturali, naturalem enim habitudinem habent individua ad speciem, & sunt vera subiecta natura, licet non artis, aut scientia, &c. Ad formam itaque argumenti. Negatur
Minor.*



ARTICVLVS V.

QVÆSTIO II.

Vtrum species in vnico indiuiduo conseruetur.



DRO parte negatiua . Arguitur primo . Quia de ratione vniuersalis est, quod à pluribus abstrahatur, & de ratione prædicabilis, quod pluribus applicetur, à quibus natura aliqua per intellectum abstrahitur, sed posito vnico duntaxat indiuiduo, hoc nequit haberi: ergo species logica non potest in vnico indiuiduo conseruari. Maior sæpius est repetita ex Henrico art. 25. q. 3. art. 26. q. 2. art. 32. q. 3. art. 43. q. 2. art. 62. q. 4. & alibi. Minor vero probatur. Nam posito vnico indiuiduo natura illa non est abstracta à pluribus, sed ab vno solum: ergo non est prædicabilis.

Secundo. Species dicit ordinem, & aptitudinem saltem naturalem ad indiuidua sua: ergo necessario habet, quod illa sub se multiplicentur. Antecedens est Henrici in calce præcedentis ex art. 62. q. 4. Consequentia vero probatur. Nam quicquid habet naturalem ordinem ad aliquid sine illo esse nequit. Si ergo species habet naturalem ordinem ad indiuidua, vt plura sunt, sine illis, vt pluribus esse non poterit.

Tertio. Sequeretur contradictorium, quod scilicet idem indiuiduum esset indiuiduum, & non esset indiuiduum. Sed hoc esse non potest ergo. Neque species esse in vnico indiuiduo. Minor est certissima, & indubitata; nam contradictoria se habent ita, vt si vnum ipsorum sit verum, alterum necessario sit falsum. Sequela vero maioris probatur, quia tunc illud
indi-

indiuuiduum esset indiuuiduum vt supponitur, & non esset indiuuiduum, quia esset species secundum eandem rationem, quæ indiuuiduum est. Esset indiuuiduum vt supponitur, quia Henricus approbans definitionem Porphyrij de indiuuiduo ait quol. 2. q. 8. *Secundum quod dicit Porphyrius indiuuidua dicuntur quemadmodum ex proprietatibus constat vnumquodque eorum, quorum collectio nunquam in alio erit; Socratis enim proprietates nunquam in alio erunt particularium, &c.* Et tale esset illud indiuuiduum. Non esset vero indiuuiduum, quia esset species, quæ secundum Porphyrium, & Henricum art. 3. q. 5. *Species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, &c.*

Notatur primo. Aliud esse actu prædicari de multis, & aliud esse de multis prædicabile. Primum enim supponit naturam esse in multis eo modo, quo actu prædicatur de multis. At posse de multis prædicari secundum quod abstrahit ab actu, potest dupliciter contingere secundum Henricum art. 43. q. 2. ad primum subscribentem Auicennæ in 5. Metha. *Aut quia actu prædicatur de multis (& iste modus concidit cum actuali) sicut homo, aut quia est possibile prædicari de pluribus, etsi nullum habeat in effectu, sicut domus heptagona, aut si vnum habet in effectu tantum, sicut sol, &c.* Vnde possibilitas prædicationis non est tantum aliquorum omnino non existentium, sed solum possibile, & aliorum quorum vnum solum existit, cætera vero in potentia quæ potest intellectus colligere ex illo vnico existente non solum per non repugnantiam, sed quia re vera possent poni in effectu à Deo.

Notatur secundo. Multiplicationem indiuuiduorum sub eadem specie in rebus corruptibilibus esse ratione perpetuandæ speciei, quod enim non perpetuatur in vno, debet in pluribus successiuè reperiri, vt perpetuetur secundum quem sensum dicebat Henricus art. 43. q. 4. *Non fuit natura contenta in esse vnus, &c.* In rebus autem incorruptibilibus, vt in cælo, non ponitur actualis multiplicatio, quia inquit de mente Philo-

phi

phi Henricus quodl. 2. q. 8. *In formis erga materialibus continentibus in se totam materiam suam possibilem ad suam formam, & in formis immaterialibus patet, quod Philosophus plura individua non posuit sub eadem forma, & essentia, &c. Ut vero probet Henricus possibilitatem secundum agens supernaturale talis multiplicationis, subiungit, licet enim aliqua forma materialis, ut huius calis contineat totam materiam iam existentem, qua possibilem est ad suam formam possibilitate naturali. Non tamen continet simpliciter omnem materiam possibilem ad ipsam, posset enim Deus illi consimilem creare, &c.*

Conclusio. *Species conservatur optime in unico individuo.*

Explicatur. Species logica quatenus prædicabilis de pluribus, posita vnius individui perpetui existentia, optimè potest in ipso conservari.

Est Henrici quodl. 1. q. 2. Vbi habet, quod licet Deus possit facere plures Angelos eiusdem speciei, illos tamen secundum ordinem convenientiorem non facit. Si vero intelligatur, quod Deus potest illos facere, quod tamen deceret eum facere, secundum aliquem ordinem, si illos facit; sed quod non facit hoc est, quia secundum alium ordinem convenientiorem non decet eum illos facere, nec decuit eum illos fecisse bene debet concedi, &c. Et Paulò post approbat multiplicationem individuorum esse ob imperfectionem speciei, quantum est ex parte speciei, licet multiplicatio per creationem non repugnaret perfectioni speciei, & quodl. 1. q. 1. *Forma solis est in potentia ad alium solem, etsi non est nisi unica, &c.*

Probatùr ad prædicabilitatem speciei sufficit vnicum individuum actu, & plura in potentia: ergo in vnicò individuo salvatur species. Consequètia patet, nam salvata ipsius natura

N

fal-

saluatur etiam prædicabilitas. Antecedens probatur, nam visus vnico indiuiduo potest intellectus assurgere ad alia, quæ sunt in potentia, & sic prædicare speciem de illo indiuiduo.

Ad primam obiectionem quod. *Posito vnico indiuiduo natura non est abstracta à pluribus.* Dicendum posse ab vnico indiuiduo per intellectum abstrahi naturalem quidditatem, comparando illam pluribus indiuiduis in potentia, quatenus scilicet illa natura saltem per diuinam omnipotentiam potest multiplicari in pluribus. Illa tamen comparatio non est necesse, quod sit secunda operatio intellectus, sed potest in simplici apprehensione esse, quatenus quidditas rei ita est cognoscibilis, & habet rationem vniuersalis vnico intuitu ab indiuiduo existente, & ab alijs in potentia abstrahibilis sicut ex Henrico dicebamus in primo notabili. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad secundam quod. *Species dicit ordinem naturalem ad plura indiuidua.* Dicendum ex Henrico loco citato in calce præcedentis, potius dici indiuidua habere aptitudinem naturalem ad speciem, species enim est de ipsorum essentia, ipsa vero species dicuntur accidere, sed estò habeant naturalem ordinem ad speciem, & species e contra ad ipsa. Dicendū non dicere speciem habitudinem naturalem ad plura secundum actum, sed solum secundum aptitudinem siue potentiam, quatenus scilicet multiplicabilia sunt secundum aliquam potentiam. Instabit fortassè quis; Nam illa potentia, qua aliquid respicit absolutam Dei potentiam, non est naturalis, sed obediens. Naturalis autem aptitudo debet esse penès potentiam naturalem. Dicendum etiam potentiam esse naturalem ad ea, quæ non nisi supernaturaliter haberi possunt, Ita Henricus art. 4. q. 5. sicut prima. *Materia esset potentia ad formas ut quasdam posset recipere opere natura, & alias non posset recipere, nisi opere supernaturali omnes tamen tam bas quam illas naturaliter appeteret, &c.* Sed hæc sunt alterius speculatio.

tionis. Ad formam itaque argumenti negatur consequentia.

Ad tertiã quod. *Illud indiuiduum esset, & non esset tale.* Dicẽdũ esse tale in actu, sed non tale in potentia, quatenus scilicet eius quidditas, & natura concipitur, vt multiplicabilis. Vnde Henricus quodl. 2. q. 8. ait. *Tale vno modo est species, & alio modo non est species eo quod vno modo est vniuersale, & alio modo non est vniuersale, & obiectum recto aspectu intellectus non est nisi vniuersale secundum quod vniuersale, & Paulo post. Intellectui autem reflexo conuenit intelligere essentiã indiuiduationem, &c.* De quibus tamen nihil ad præsens. Ad formam itaq; argumenti distinguitur sequela antecedentis, &c.

ARTICVLVS V.

QVAESTIO III.

Virum Definitio Indiuidui sit bona.

DRO parte negatiua. Arguitur primo. Nam de singularibus, & indiuiduis non potest dari scientia, & Porphyrius ipse hoc cap. ait, quod videbat Plato quiescere descendentes de genere ad indiuidua, quia de indiuiduis non est scientia: ergo neque potest dari definitio. Probatu consequentia. Nam definitio, est manifestatiua quidditatis, quatenus est obiectum scientiæ.

Secundo. Si indiuiduum de vno solo prædicaretur, vel prædicaretur primo intentionaliter, vel secundo intentionaliter. Neutrum potest dici: ergo nullo modo prædicatur. Maior est à sufficienti diuisione. Minor vero probatur, nam non primo intentionaliter, quia sic nihil dicitur prædicari. Neque secundo intentionaliter, quia hoc est proprium vniuersalibus duntaxat: ergo nullo modo.

Tertio. Individuum vagum est verum individuum, & tamen non prædicatur de vno solo, quemadmodum, Aliquis homo potest dici de Petro, & Paulo: ergo non est bona illa definitio.

Notatur primo. Nomine individui intelligi naturam aliquam, quæ est hæc numero non apta nata ad essendum in pluribus. Vnde bene dicebat Henricus art. 53. q. 2. *Individui significatione intelligitur essentia illa esse aliquid in se indivisibile, & incommunicabile, siue indivisibile per essentiam, & diuisum à quolibet alio sua natura, ut sic in se sit vnum, quod non est natum esse hoc, & aliud, sed ita hoc, quod non aliud, nec natum esse aliud, &c.*

Notatur secundo. Hæc octo nomina, 1. individuum, 2. hoc aliquid, 3. singulare, 4. rem naturæ, 5. substantiam, 6. substantiam, 7. suppositum, 8. & personam significare, & repræsentare idem circa naturam, & essentiam naturalis rei, quæ singula latè explicat Henricus art. 53. q. 1. sed ex multis aliqua breuiter adducam, vt terminorum cognitio habeatur sufficienter; Distinguantur ergo secundum rationem.

1. Individuum est aliquid sub vniuersali indiuiduatum, & dicit negationem partis in ordine ad ipsum diuisum siue vniuersale.

2. Hoc aliquid exprimit negationem partis in comparatione ad partem condiuisam.

3. Singulare est tam in accidentibus, quam in substantijs, & est vnum aliquid solitarium.

4. Res naturæ differt à singulari, quatenus singulare conuenit tam essentiæ, quam supposito, sed res naturæ conuenit soli supposito.

5. Substantia conuenit etiam vniuersalibus secundum Græcos.

6. Substantia verò indiuiduis tantum.

7. Suppositum apud nos conuenit tam vniuersali, quam

fin-

singulari in prædicamento substantiæ.

8. Persona re idem significat, quod hypostasis, aut substantia apud Græcos, sed nos utimur nomine personæ solum in naturis intellectuales, siue rationalibus.

Conclusio. Definitiones indiuidui sunt bonæ.

Explicatur. Indiuiduum, quatenus est quid acceptum in sua stricta significatione, optimè dicitur esse, quod dicitur de vno solo, & quod habet proprietates vni soli conuenientes, quæ sunt. *Forma, figura, locus, tempus stirpis, patria, nomen.*

Est Henrici loco citato art. 53. quæst. 2. & expressa optimè quodl. 2. q. 8. *Ex proprietatibus constat unumquodque indiuiduorum, quorum collectio numquam in alio eadem erit.*

Probat ex regulis bonarum definitionum, quatenus scilicet per has bene explicatur natura indiuidui contradistinctè à reliquis omnibus, vt patet.

Ad primam obiectionem quod. *De singularibus non habetur scientia, nec definitio.* Dicendum singularia non posse defini quatenus consideratur hoc, vel illud singulare in actu exercito, secus si natura singularium consideretur in actu signato, quatenus scilicet habent incommunicabilitatem naturæ communem: de ratione enim singularis est, quod alteri nequeat communicari, & sic natura singularitatis accipit quodammodo rationem speciei denominatiuæ si non essentialis, quod ad definitionem satis est. Vnde egregiè vt solet Henricus art. 53. q. 7. *Est enim Petrus indiuiduum, & persona sicut Paulus, quia eodem modo se habet ad speciem suam, & ad suum conditum.* Paulo post subiungit. *Et sic in nomine persona (potest addi, & indiuidui) ex parte significati nihil potest sumi commune secundum quod distinguitur in contenta, nisi ratio intentionis, qua in sua communitate nihil rei habet extra, sed solum consistit in conceptu intellectus. Nec habet rationem vniuersalem.*

realis, sed intentionalis tantum, licet consideretur circa rem, & habeat rationem accidentis non existentis in re, sed solum in conceptu intellectus, &c. An formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad secundam quod. *Prædicantur vel primo, vel secundo intentionaliter.* Respondeo, quod secundo intentionaliter intentione sola sine communitate rei, ut dictum est, quando definitur. Quando vero actu dicitur de aliquo Individuo, quod scilicet Petrus sit hic Homo; tunc est propositio identica, & est per solum rationem ratiocinantem, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam de individuo vago; *quod est verum individuum, & dicitur de pluribus, &c.* Dicendum individuum vagum non contineri sub hac definitione in qua solum continetur individuum determinatum. Individuum autem vagum potest considerari, vel ratione ipsius naturæ prædicabilis, vel ratione termini ipsum reddentis vagum. Primo modo reducitur ad suam speciem; secundo est individuum determinatum secundum rationem suæ aptitudinis, & significationis, nam certum est, quod aliquis homo, quatenus aliquis est; vnus est. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.



ARTICVLVS VI.

Circa sextum Articulum de Differentia quærebantur duo, scilicet eius Definitio, & susceptio magis, & minus. Erat vero.

QVAESTIO I.

An definitio differentie sit optima -



RO parte negatiua. Arguitur primo. Nam bona definitio debet competere omni definitio, sed differentia vltima est vera differentia, & tamen hæc definitio illi non conuenit: ergo mala definitio. Maior patet ex regulis bonæ definitionis. Minor vero probatur quoad primam partem à simili de specie atoma, quæ est vera, & propria species: ergo à simili etiam de differentia dicendum est. Quod vero illi non conueniat, patet ex ly pluribus differentibus specie. Debuerat enim dici de pluribus differentibus numero, de quibus est species, & differentia vltima.

Secundo. Differentia vel prædicatur de pluribus, vt est constitutiua speciei, vel vt est ipsa in se formaliter vniuersalis. Non hoc secundum, quia vt vniuersalis est, non differt à primo, vel secundo prædicabili; quandoquidem connotat materiam suam, quæ vere est natura aliqua quidditatiua. Neque primum, quia vt constitutiua speciei non est tertium prædicabile. Quia differentia ita considerata dicitur prædicabilis formaliter non
de

de specie quam constituit, sed potius de indiuiduis speciei constitutæ. Vnde in eius definitione non dicitur prædicabilis de specie, sed de specie differentibus.

Arguitur tertio. De differentia nequit prædicari genus: ergo differentia nequit prædicari de alijs sub genere constitutis. Probatur consequentia, nam series prædicabilium hæc est, vt, quæ sub genere sunt, habeant, quod genus de ipsis prædicetur, Nihil enim reperitur, quod in genere non sit, & patet de specie, de qua genus prædicatur; cum ipsa prædicetur de indiuiduis. Antecedens vero probatur, quia ex Aristotele in Topicis, si genus prædicatur de differentia, Vnus homo esset plura animalia: ergo nequit de ipsa prædicari.

Quarto. Rationale si prædicetur de hoc, vel illo rationali; illa est prædicatio secundi prædicabilis: ergo differentia nullo modo est prædicabilis. Consequentia tenet; nam rationale dicitur differentia propriissima speciei humanæ, si ergo ipsum non prædicatur, vt differentia; multo minus aliæ differentiæ prædicabuntur. Antecedens vero probatur. Nam hæc propositio. Petrus est rationale, est idem omnino, accidere Petrus est homo; vt patet, sed hæc est secundi prædicabilis: ergo etiam illa.

Quinto. Bona definitio non debet constare ex repugnantibus, sed hæc constat ex huiusmodi ergo non est bona. Maior patet, nam quæ repugnant nõ possunt in eadem quidditate reperiri: ergo neque poni in definitione illius. Minor vero probatur. nam ly Quid significat substantiã, & quale accidens: ergo repugnant, cum eadem prædicatio secundum vnam, & eandem rationem esse nequeat, accidentalis, & essentialis.

Notatur primo differentiam præcisè consideratam habere tanquam differentias sibi superuenientes, & rationes superadditas differentiam subalternam, & vltimam. Vnde quantum est ex parte definitionis ipsius differentię satis est si dicatur, quod prædicatur de pluribus in quale quid. Quod vero

Por.

Porphyrus apposuerit ly differentibus specie, hoc fuit, quia fortasse illis temporibus vltimę differentię erant ignote. Habet vero differentia de sua intrinseca ratione, quod sit diuisiua Generis, & constitutiua speciei. Vnde dicit Henricus art. 28, q. 3. *Differentia qualibet sub genere est diuisiua generis, & constitutiua speciei addita generi.* Vnde consideratur per modum formę speciem determinantis, & constituentis.

Notatur secundo. Differentiam vt tertium prædicabile esse formaliter vniuersalem in ordine ad indiuidua ipsius speciei, si sit differentia vltima, in ordine vero ad plures species, si sit differentia subalterna, quod manifestum est, Nam differentia vltima non potest esse vniuersalis in ordine ad suam speciem, cum illi æqualis sit; Vniuersale autem debet esse in ordine ad inferiora. Neque differentia subalterna potest esse vniuersalis ratione alterius, quod non sit illi inferius, & consequenter ipsę species debent esse, de quibus differentia dicatur prædicabilis, sermo tamen est semper de differentia logicę considerata. Nam si consideretur Metaphysicę pro actu dante vltimum esse formaliter, fortasse alio modo erit speculandum; in quo sensu loquebatur Henricus art. 32. q. 3: ad primum. *Licet res generis tota cum sua ratione descendat in speciem, sequitur tamen species rationem differentia principaliter, &c.*

Conclusio. Differentia optime definitur.

Explicatur. Differentia vt tertium prædicabile quatenus subalterna consideratur, habet sibi convenientem definitionem allatam à Porphyrio secundo loco, quod sit, quę prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.

Est Henrici art. 28. q. 3. Vbi habet differentiam esse partem speciei. *In omnibus speciebus rerum naturalium saluatur vniuersalis definitio licet habeant partes scilicet genus, & differentiam,*

uentiam; quam partem vocat determinatiuam speciei, Paulo post. Constitutiua speciei addita generi, nam ex art. 32. q. 3. *Sequitur species rationem differentia principaliter*. Ex quibus deducitur, quod cum talis sit differentia, sit etiam prædicabilis de illis in quibus est, & quorum est constitutiua, sed conclusio ratione.

Probat. Nam differentia per hanc definitionem differt à quocumque alio prædicabili: ergo definitio est optima. Probat. antecedens. Per *ly differentibus specie in quale*, differt à genere per *ly quale*, differt à specie per *ly quale quid*, differt à proprio, & accidenti: ergo.

Ad primam obiectionem quod *Differentia definitio competit speciei a thoma*. Dicendum posse competere si apponatur, *differentibus numero loco differentibus specie*. Porphyrius verò illam particulam apposuit: quia antiquiores Philosophi ultimas differentias ignorabant; putabant enim in differentia non dari statum: Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod *Differentia non potest predicari, neque ut constitutiua speciei, neque ut formaliter vniuersalis*. Dicendum prædicandi modum, sequi modum essendi. Ex eo itaque, quod differentia habet constituere speciem in indiuiduis multiplicabilè, videtur sumere suam vniuersalitatè ab illis; vnde esse constitutiua speciei, est continere virtualiter omnia indiuidua illius speciei ratione determinationis, & sic ab illis abstrahibilis, & logicè prædicabilis de illis est differentia; Nec obstat quod dicatur prædicabilis non de speciebus, sed de indiuiduis illius si sit a thoma, vel de pluribus speciebus, si sit differentia subalterna, quia vtrumq. potest differentia conuenire. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod *Genus nequit predicari de differentia, &c.* Dicendum: Genus esse prædicabile prædicatione completa, vnde si de differentia prædicaretur, vt si diceretur. *Rationale est animal*, signum esset, quod rationale esset completè animal.

Potest tamen prædicari genus de differentia in obliquo, vt rationale est contractiuum animalis. Hanc eandem difficultatem tetigit Henricus art. 26. q. 2. *Ratio & intentio generis non est de ratione, & intentione differentia, sed oportet, quod ratio, & intentio differentia sit alia extra rationem, & intentionem generis non inclusa in illa. Aliter enim sequeretur, quod homo esset plura animalia, secundum Philosophum in Topicis, &c.* Sed quia ratio Aristotelica est obscura, & difficilis intellectu, & tamen ad percipiendam differentia naturam est maximè proficua, Aristotelis dictum explicaturus Henricus aliqua subtraxit, quæ ad rem nostram sunt vtilia. Relicto ergo loco citato consulatur art. 75. q. 2. *Est homo compositus ex Genere, & differentia sicut ex eo, quod est, & quo est ipse homo, & ideo nequaquam potest animal prædicari de rationali, quia vt dicit Philosophus, Vnus homo esset plura animalia, & hoc per hunc modum, quia cum differentia prædicatur de specie puta de homine rationale, vt quo est aliquid, secundum prædicta si genus puta animal prædicaretur de rationali, animal includeretur in significato rationis, & sic homo ex eo, quod rationale, esset animal. Differentia autem est extra rationem generis, & sic homo esset animal præter hoc, quod est rationale, esset ergo animal præter rationale, & cum hoc esset etiam animal ex eo, quod est rationale, & sic necessario vnus homo esset plura animalia, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad quartam quod. *Idem est dicere Petrus est homo, ac dicere Petrus est rationale.* Dicendum aliud esse prædicari substantiue, & aliud adiectiue, Differentia, quia Prædicatur in quale quid habet prædicari adiectiue per modum formæ, species vero prædicatur tanquam completum omnino, & substantiue, ly rationale sumptum neutraliter habet rationem substantiui, & sic non est differentia sed species. Vnde Henricus art. 75. q. 2. appellauit differentiam nomine formæ per illa verba

Forma nõn recipit informationem, sed tantum suppositum cuius est aliquid id, quo informatur, aut substantiale, vt homo animalitate, vel rationalitate, aut accidentale, vt homo albedine, &c. Petrus itaque vt dicatur de ipso differentia debet dici rationalis non autem rationale, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad quintam cum dicitur. *Quale & quid esse repugnans, & non posse poni in eadem definitione.* Dicendum illa esse contradictoria quæ secundum eandem rationem, & eundem respectu considerantur In proposito Quale, & Quid non dicuntur contradictoria, quia quale consideratur per modum incompleti, quid autem per modum substantiæ, quatenus est differentia speciei veluti forma vt dictum est. Ad formam itaque argumenti negatur minor, &c.

ARTICVLVS VI.

QVAESTIO II.

An differentie propriissimæ intendantur, & remittantur.

IRO parte affirmatiua. Arguitur primo. Ex Henrico quodl. 8. q. 37. vbi concludit ignem, posse remitti in calore, *ignis manens in forma ignis in frigidari potest naturaliter.* Quo postea sic arguitur. Calidum in summo est differentia ignis propriissima, sed hæc potest remitti: ergo differentia propriissima naturaliter remitti potest. Minor patet ex Henrico allato. Maior vero probatur, quia nulla alia videtur assignabilis differentia ignis constitutiua. Igneitas enim (vt ita dicam) est natura ipsius ignis, quemadmodum humani-

manitas hominis, & in igne nihil aliud videtur corresponde-
re rationalitati in homine, quam calidum in summo.

Secundo. Vnus Angelus est alio Angelo non solum acci-
dentaliter, sed etiam essentialiter perfectior, sed hæc perfectio
maior, & minor est respectu differentiarum propriissimarum: ergo ra-
tione huius habetur maior intentio, & minor. Minor patet
quia differentia est constitutiva quidditatis, & speciei, & fluxit
à forma illius, ut pluribus in locis innuit Henricus, sed præci-
pue art. 28. q. 3. *In natura specierum fit compositio, quarum
differentia fluunt ab earum formis, & genera earum à mate-
rijs suarum formarum, &c.* Maior vero est communis Theolo-
gorum, & Henrici quodl. 4. q. 15. *Licet enim unius Angeli sit
maior perfectio, quam alterius secundum essentiam, & essentia
unius Angeli sit maior secundum perfectionis quantitatem,
quam sit essentia alterius, &c.*

Tertio. Homo est homine magis, vel minus discursivus, sed
hoc non est nisi ratione differentiarum propriissimarum rationalita-
tis: ergo differentia propriissima suscipit magis, & minus. Mi-
nor patet; discursus enim ad ipsam rationalitatem se habet, ut
quid actuale respectu potentialis. Maior vero est Philosophi,
sed præcipue Henrici art. 4. q. 4. *Non omnes scire appetunt
æqualiter. Neque etiam appetitu naturali, quantum est ex par-
te materiae, & individui, quia quidam sunt minus dispositi ad
scientiam, quam alij, &c.*

Quarto. De differentijs propriissimis possumus eodem mo-
do philosophari, ac de formis separatis à materia, sed quanti-
tas separata à materia potest intendi, & remitti: ergo etiam
differentia propriissima. Maior patet ex eo, quia si intendi, &
remitti ab aliqua forma debet remoueri præcipue à separata.
Vnde dicebat Henricus quodl. 14. q. 3. *Forma abstracta à di-
uersis differentijs in subiecto secundum maius, & minus, aut
magis, & minus, puta à magis calido, & à minus calido neces-
sario æqualis gradus, & consistentia est, &c.* Minor vero est
ciuf-

eiusdem Henrici ibidem. *Quantitas separata non potest habere in se secundum gradum rationes omnium magnitudinum, quæ sunt participata sub sua specie, &c.*

Quinto. Substare accidentibus est differentia propriiſſima ſubſtantiæ, ſed hoc ſecundum magis, & minus ſubſtantię conuenit: ergo differentia propriiſſima intenditur, & remittitur. Maiorẽ ſuppono ex dicendis in prædicamento ſubſtantiæ. Minor uero eſt nota ex eodem prædicamento, quia una ſubſtancia dicitur magis ſubſtare, quam altera, ut puta ſubſtancia prima magis ſubſtat, quam ſecunda.

Notatur primo. Aliud eſſe loqui de perfectione differentię propriiſſimæ, quemadmodum, & quidditatis rei ſecundum extensionem, & aliud ſecundum intenſionem. Extenſio deſumitur ex ipſo rerum ordine, quatenus aliqua magis, vel minus ad diuinam ſimplicitatem, & imitationem accedunt. Ita dicit Henricus quodl. 4. q. 15. *Creaturæ habent procedere à Deo. Ut in eis ſit meſura in naturis, & eſſentijs ſecundum gradus ſub ratione compoſitionis ſaltem ex eſſentia & eſſe, &c.* Intenſio uero ſumitur intra eandem ſpeciem ſic docebat Henricus art. 41. q. 2. *Comparatio autem propriè dicta non eſt niſi in uere uniuocis, &c.* & quodl. 4. q. 15. *Vbi eſt magis, & minus; debet eſſe penitus una ratio communis uniuoca, uel analoga, ſecundum quam comparantur.* Quatenus ſcilicet intra eandem ſpeciei laticudinem aliquid alio poteſt dici perfectius quidditatiuè, ut v. g. homo homine, leo leone, & his ſimilia, & de hac procedit difficultas præſens.

Notatur ſecundo. Difficultatem procedere, tam de differentijs, & quidditatibus ſubſtantiæ, quam de differentijs propriiſſimis accidentium, ſi conſiderentur abſtracta à ſuis ſubiectis. Nam de accidentibus in ſubiecto currit regula illa Henrici quodl. 4. q. 15. *Oportet, quod ſit aliquis terminus in natura rei, ex cuius approximatione ſecundum plus, & minus dicantur magis aut minus, &c.*

Con-

Conclusio. Differentiæ propriissimæ neque intendi possunt, neque remitti.

Explicatur. Differentiæ propriissimæ immediatè fluentes à formis substantialibus habent suum esse in indiuisibili, quemadmodum illud habent suæ quidditates specificæ tam in substantiis, quam in accidentibus, itaut nullo pacto dici possint intensesibiles, vel remissibiles.

Est Henrici quodl. 4. q. 15. *Verum est enim illud assumptum in primo argumento, quod forma accidentalis non suscipit in sua essentia magis, & minus sicut neque essentialis, vel substantialis; quodl. 14. q. 3. determinat intensionem, & remissionem formarum esse. Formæ accidentales, ut sub quantitate, & in subiecto sunt, per agentis sunt intensesibiles, & remissibiles, & Paulo post, si ponantur separata, quia nihil habent ibi à subiecto, & materia nec ab agente nisi quod competit eis secundum rationem suam speciei in gradu illo solo sunt, qui competit ipsi speciei, & art. 42. q. 2. qualibet creatura habet esse perfectum secundum magis, & minus, in quantum magis, vel minus ad esse Dei appropinquat, sicut si albedo aliqua esset separata in fine intensionis esset, & art. 51. q. 2. ad primum. Licet nulla substantia in se ipsa, neque in genere, neque in specie, neque in indiuiduo recipiat magis, aut minus, Vnus enim homo secundum numerum non est quandoque magis, quandoque minus homo se ipso, neque vnus est magis, vel minus homo, aut animal quam alter, &c. Ex quibus omnibus patet, quod differentiæ ipsæ propriissimæ tam accidentis, quam substantiæ non suscipiunt magis, & minus, quemadmodum nec entitates ipsæ.*

Probatur ratione, substantiæ enim, siue substantiales differentiæ non habent sibi contrarium. ergo neque possunt intendi, neque remitti. Antecedens patet ex prædicamento substantiæ.

stantiæ. Consequentia vero probatur. Nam suscipere magis, & minus est ratione contrarietatis qualitatum inter se pugnantium, vt patebit suis locis.

Ad primam obiectionem quod. *Ignis habet pro sua differentia propriissima calorem in summo, & tamen potest calor in igne remitti.* Dicendum propriam differentiam ignis fortasse innominatam esse, neque enim differentia propriissima consistant semper in aliquo secundum actum, sed quandoque in aliquo secundum aptitudinem, vnde non habere calorem in summo est differentia propriissima ignis, sed esse susceptiuum caloris in summo, vel quid simile. Non obstat quod Henricus art. 62. q. 7. dixerit materiam ignis esse in potentia ad suscipiendam frigiditatem. Materia enim ignis, sicut est in potentia ad formam aquæ, vel terræ, sic est in potentia ad frigiditatem. Non obstat inquam quia talis potentia est respectu materiæ, vt est subiectum transmutationis naturalis. Sufficit vero ad propriissimam ignis differentiam saluandam, quod sit susceptiuus caloris in summo, quod nulli alteri competere potest. Nec suscipere frigiditatem pugnat cum esse susceptiuo caloris, sed cum actuali calore vt patet. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad secundam quod. *Vnus Angelus est altero essenti aliter perfectior.* Dicendum intelligi secundum perfectionem extensiuam ratione participationis gradus perfectionis, in quantum magis vnus accedit ad simplicitatem diuini esse; & talis comparatio potius debet dici transumptiua quam propria, Vnde Henricus quodl 4. q. 15. *Licet species huiusmodi differant secundum gradus perfectionis, quia tamen hoc fit omnino secundum diuersas rationes differentiarum additas formæ communi, idcirco secundum huiusmodi formam generis nihil dicitur magis, & minus, nisi transumptiuè, & per quandam similitudinē, quemadmodum dicitur in sex principijs, quod animalius est, brutum arbore, rationale vero irrationali, & hoc est quia nec*
sub

ub genere communi differunt secundum gradus perfectionis, licet alio modo, quam vere comparabilia secundum magis, et minus. Ad locum vero citatum Henrici in argumento dicendum intelligi debere secundum omnia ipsius dicta. Vnde immediate sequitur. Sicut tamen essentia unius Angeli non dicitur esse magis essentia, quam essentia alterius, sic unus Angelus nullo modo ratione essentia sua maioris dicitur maior respectu alterius, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. *Homo unus est altero magis discursiuus. Dicitur hoc provenire posse ex parte organorum corporalium, Vnde dicit Henricus loco citato in argumento art. 4. q. 4. In quantum anima sequitur dispositiones corporis, sed absolute negandum est, quatenus discursiuum se tenet ex parte formæ, & animæ. Vnde subiungit Henricus. Quantum vero est ex parte anima siue formæ, nisi esset corpore impedita, omnes equaliter scire appetere, secundum quod equaliter apti essent ad scientiam, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad quartam quod. *Qualitas etiam abstracta per miraculum a subiecto esset maior, vel minor.* Dicendum re vera ita esse, quod si duplex quantitas puta linea maior, & linea minor abstraheretur à suis subiectis, vna remaneret maior altera in abstracto, & rationem huius affert Henricus quodl. 14. q. 3. *Ipsa (id est quantitas) separata etiam eundem gradum extensionis secundum numerum retinet, quem habuit in materia eo quod, nec à materia, nec per materiam habuit illam, &c.* Quæ doctrina inuoluit difficultates, quæ huius loci esse non possunt. Interea dici potest sermonem esse secundum diuinam omnipotentiam, secundum quam non est negandum, quod abstracta quantitas à materia possit magis extendi. Fiet itaque miraculosè maior quantitas, sed non magis quantitas, si vero differentia propriissima possent suscipere magis, & minus, hoc non solum fieret maius quantum, sed etiam magis

quantum, quod est impossibile. Tam enim est quantitas vera palmaris, quam centum palmaris, sed naturaliter loquendo, nec abstrahitur, nec extenditur ut abstracta. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad quintam quod. *Vna substantia qualis est prima, magis subsistat, quam altera, qualis est secunda.* Dicendum illud subsistere non sumi eodem modo utrobique, nam per comparationem transumptiuam dicitur res primæ intentionis magis subsistere, quam res secundæ intentionis. Ita Henricus art. 5. 1. q. 2. ad primum, *Bene tamen in actu subsistendi, qui nominat rem secundæ intentionis, comparatur una substantia, alteri secundum magis, & minus; secundum quod prima substantia magis dicitur subsistere, quam secunda, &c.* Sed hoc non ad propositum. Debet enim respectu acceptæ eodem modo substantiæ, & differentiæ substantialis accipi intensio, & remissio, siue magis, & minus ut dictum est. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.



ARTICVLVS VII.

Circa septimum Articulum de Proprio, & Accidente quærebantur tria scilicet Definitio proprij, eiusdem Separabilitas, & Accidentis Definitio. Erat

QVAESTIO I.

Virum definitio Proprij sit bona.

DRO parte negatiua. Arguitur primo. Definitiones logicales debent tradi per secundas intentiones; sed hæc non traditur per secundas intentiones: ergo non est logicales, nec bona in proposito. Maior patet ex superioribus definitionibus Generis, speciei, & differentia, quæ datæ sunt per prædicabilitatem, tanquam per secundam intentionem, & art. 53. q. 5. dicebat Henricus logicum considerare secundas intentiones. Minor vero patet ex ipsa definitione, in qua non exprimitur ratio prædicabilitatis, neque vniuersalitatibus; sed potius definitur prima intentio, idest res ipsa, quatenus habet suum esse in ijs quibus conuenit.

Secundo. Frigiditas aquæ videtur esse proprietas ipsius; sed aqua non semper est frigida: ergo proprium non conuenit semper. Minor patet ipsa experientia in aquis calefactis, vel

calore ignis, vel calore solis virtuali. Maior vero est Henrici quodl. 8. q. 37. *Aqua principaliter frigida est.* Quod idem potest dici de igne respectu caloris, de terra respectu siccitatis, & de aere respectu humiditatis, &c.

Tertio. Inter substantiam, & accidens nullum debet dari medium, sed proprium est medium inter substantiam, & accidens: ergo non debet dari. Minor probatur, nam non potest dici accidens, quia est prædicabile ab illo distinctum, neque substantia, quia non prædicatur inquit, qualiter prædicatur substantia. Maior vero probatur nam ex Henrico art. 2. 1. q. 2. habetur. *Ens creatum primo significat substantiam, secundo vero accidens, &c.* Vbi nihil ponitur medium.

Quarto. Bona definitio non debet competere alijs à definito, sed hæc competit: ergo non est bona. Maior est certa, quia definitio debet esse suo definito adæquata. Minor vero probatur. Nam conuenit quantitati hominis, quam tamen nemo dixerit hominis proprietatem, Quod conueniat quantitas homini, & sine ipsa, neque miraculosè, possit homo existere, est doctrina Henrici quodl. 7. q. 17. *Dico quod impossibile est hominem esse sine quantitate, nec hoc est factibile, nec intelligibile, &c.*

Notatur primo. Proprium vel considerari præcisè, vt est aliquid fluens à principijs essentialibus rei, cui conuenit, & sic certum est de illo præcisè non agi in præsentī, quia tunc est solum consideratum secundum realitatem suam. vel accipi pro realitate substrata secundæ intentioni eo modo quo diximus de alijs prædicabilibus, quatenus scilicet respicit ea, quibus conuenit, vt de ipsis prædicabile secundum rationem proprietatis, & sic de proprio est sermo in præsentī, sed quia proprium dicitur aliquid tripliciter vt docet Henricus art. 54. q. 7. *Uno modo secundum quod distinguitur contra participatiuè; quemadmodum Deus dicitur esse proprie, quia essentialiter, & omnia alia participatiuè, alio modo contra commune quem-*

quemadmodum risibile dicitur proprium homini, quia non est ei cum aliquo alio commune. Tertio modo contra ab alio esse, quemadmodum ille proprie dicitur regnare, qui ex se habet esse Regem, à nullo alio habendo, quod regnet, &c. Loquimur nunc de proprio secundo modo accepto, quatenus scilicet distinguitur à communi; ita tamen est commune ut non sit secunda intentio, sed prima, non enim proprium ut prædicabile differt à communi id est vniuersali abstractione à suis singularibus, sed connotat distinctionem à communi cum illis, quæ non sunt eiusdem naturæ cum eo, cuius est proprium.

Notatur secundo. Proprium dici fluens à principiis essentialibus rei, cuius est proprium non autem esse ipsam rem, aut partem rei, unde extat illud Henrici dictum art. 56. q. 2. ad secundum. *Proprietas non dicit rem propriè, sed rationem rei.* Est enim proprium deductum ex intrinseco principio rei substantialis, quia quælibet natura, & essentia habet aliqua sibi propria, quæ ducunt originem ab intrinseco, licet formaliter sint accidentia, & rationes rei; Ut solet in exemplum dari risibilitas, quæ est ad ridendum aptitudo, ortum habens ab ipsa rationalitate, licet sit ipsi rationalitati quid superadditum.

Conclusio. Definitio proprii est optima.

Explicatur. Definitur optimè proprium ut quartum prædicabile, quod sit id quod conuenit omni, soli, & semper, & conuersim de eo prædicatur.

Est Henrici saltem deductiuè ex quodl. 4. q. 31. *Homo non habet esse quin sit risibilis, licet enim sit accidens eius, tamen essentia hominis in eo, quod homo non est, nisi sit habitus quadam ad actum ridendi, quod appellatur esse risibile, & proponendo aliud distinctionis membrum amplectitur primum, & puto quod risibile sit de primo genere, & art. 37. quæst. 8. *Commune proprium proprie dicitur de eo, cuius est proprium, &c.**

Pro-

Probatur ratione. Illud definitur bene, vt prædicabile, quod definitur in ordine ad sua indiuidua, & habet explicatum in definitione modum, quo in indiuiduis reperitur; sed hoc habetur in proprii definitione: ergo est optima. Maior patet ex definitionibus aliorum prædicabilium. Minor vero probatur quoad primam partem quod ly *omni*, quod est distributiuum indiuiduorum speciei, cuius est per proprium. Quoad secundam partem etiam patet per reliquas particulas definitionis sufficientissimè.

Ad primam obiectionem quod. *Non datur hac definitio per secundas intentiones.* Dicendum secundam intentionem implicite semper intelligi in illis, de quibus agit logicus. Definitur quidem natura, & quidditas proprietatis à logico, sed in ordine ad prædicabilitatem, & communiter essendi in suis indiuiduis, quibus competit. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Aqua habet propriam sibi frigiditatem, & tamen calefit. & non est semper frigida.* Dicendum aquam calefactam habere se aptitudinaliter ad frigiditatem. Vnde sibi relicta, & amoto calefaciente, se ipsam ad frigiditatem reducit quemadmodum supra dicebamus de igne, de quo bene Henricus quodl. 10. q. 9. *Si ignis secundum formam substantialem posset sustinere aliquod impedimentum, ne simul consequeretur eum caliditas, aut leuitas, & sic esset ignis, sed non calidus, aut non leuis; amoto impedimento statim se ipso agente secundum prædictum modum fieret calidus, aut leuis.* Quod vero aquam principaliter frigidam vocauerit Henricus non potest intelligi, nisi secundum naturalem aptitudinem, & exigentiam. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad tertiam quod. *Inter substantiam, & accidens non datur medium.* Dicendum non dari medium inter substantiam, & accidens, vt sunt res prædicamentales, sed bene posse dari

ri si considerentur substantia, & accidens, vt prædicabilia, quod patet ex modo, quo probatum est quinque esse prædicabilia, nec plura, neque pauciora. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad quartam quod. *Homo non potest esse sine quantitate, & tamen quantitas non est proprietas hominis.* Dicendum quod attinet ad Henricum quodl. 7. q. 17. illum fuisse in illa quæstione problematicum, vnde in calce quæstionis. Respondet ad argumentum concludens partem negatiuam. Sed quia magis in partem negatiuam videtur inclinare, Admisso, quod sine quantitate non possit esse homo, neque per miraculum, adhuc benè apparet, quomodo quantitas non sit proprietas hominis, nam non sufficit ad proprietatem illud *semper*, & illud *omni*, sed requiritur *soli*, itaut respiciat solam essentiam aliquam, cui sit proprium, & alijs præter ipsum non conueniat. Quantitas vero est omni corpori existenti communis, vt patet. Ad formam itaque argumenti negatur minor.



ARTICVLVS VII.

QVAESTIO II.

Virum repugnet à parte rei hominem esse non risibilem.



PR O parte affirmatiua. Arguitur primo. Quia idcirco res non potest fieri, quia Deus non potest illam facere: ergo non repugnat à parte rei hominem fieri non risibilem. Consequentia patet. Antecedens est Henrici quodl. 8. q. 3. *Ita quod non est verum dicere de impossibile simpliciter, quod Deus non potest illud facere, quia non potest fieri, sed potius non potest fieri, quia Deus non potest facere, sicut & in affirmatiua, non dicitur Deum possibile aliquid facere, quia illud possibile est fieri, sed è conuerso, quia Deus potest illud facere, ideo possibile est fieri, aut obiectiue, aut subiectiue, &c.*

Secundo. Homo potest intelligi non risibilis: ergo potest à Deo fieri non risibilis. Consequentia patet, quia plus potest Deus facere, quam homo cogitare, vnde dicit Henricus ar. 35. q. 6. *Absolute dicendum, quod potentia actiua Dei ex se simpliciter est infinita, &c.* At vero opus nostri intellectus est quid finitum. Antecedens vero patet, quia possum considerare hominem abstrahendo ab illius risibilitate, vt Philosophi omnes concedunt.

Tertio. Quicquid potest esse sine actu, potest esse sine respectu ad illum actum, sed homo potest esse sine actu ridendi, potest enim non ridere: ergo etiam potest esse sine risibilitate, quæ nõ est nisi respectus ad illum actum ridendi. Minor patet. Maior probatur, nam respectus, licet fundetur in aliquo, non tamen potest

potest esse sine termino . Ita relationes cessant deficiente termino . Desinit enim Socrates esse Pater, si moriatur Plato filius illius ad quem terminabatur relatio, & respectus . Quod multo magis videtur dicendum de potentia respectu vnius actus . Si enim valet illud dictū, *contrariorum eadem est disciplina*, etiam valebit dicere, quod si potest quis carere actu, possit etiam carere potentia ad illum, cum sint duo contraria ex Henrico quodl. 14. q. 2. *Dico quod re vera potentia est contraria actui non cuiuscumque sed illi, qui est complementum ipsius potentia.*

Quarto . Potest Deus facere hominem absque potentia ad exempli gratia generandum : ergo etiam absque potentia ad ridendum . Consequentia patet à simili, immò & à fortiori . Antecedens vero probatur de illis, qui de facto sunt homines, & generare non possunt, vnde Henricus art. 58. q. 4. *Negat Puerum esse potestatem generare per illa verba, sed non potens generare, &c.*

Notatur primo . Formas omnes determinare sibi aliqua propria accidentia, quæ vel sunt propriæ dispositiones illius, vel effectus eiusdem, vnde benè dicebat Henricus quodl. 7. q. 17. *Numerus determinat sibi quod sit par, vel impar, & forma hominis, quod ipse sit risibilis non autem, quod sit albus* (post pauca subdit) *substantia ab illis accidentibus quæ sibi determinant separari non possunt, sed solum ab alijs, &c.*

Notatur secundo . Impossibilitatem nihil aliud importare in re impossibili, quam rationem defectus, Quod enim est impossibile dicitur deficere à possibilitate, & hoc dupliciter, vel respectu agentis creati, & sic dicitur impossibile secundum quid, vel increati, & sic dicitur impossibile simpliciter, vnde habet Henricus quodl. 6. q. 3. *Quod est impossibile agenti, increato est impossibile agenti creato, & est simpliciter impossibile, &c.* Radix autem defectus impossibilitatis est contradictio quando scilicet contradictoria deberent in eodem secundum

Q

idem

idem verificari, tunc habetur repugnancia, & deducitur rei impossibilitas.

Conclusio. Non potest esse homo, quin sit risibilis.

Explicatur. Repugnat à parte rei, & sequuntur contradictoria, si ponatur homo possibilis sine risibilitate, siue aptitudine ad ridendum.

Est Henrici apertissima quod. 4. q. 31. citato in præcedenti quæstione. *Homo non habet esse, quin sit risibilis, & quodl. 7. q. 17. Determinat sibi forma hominis, quod ipse sit risibilis, &c.*

Probatur Conclusio. Dato homine non risibili, esset contradictorium respectu eiusdem in eodem: ergo est impossibile dari. Antecedens probatur, Nam esset rationalis, quia supponitur homo, & non esset rationalis, cum careat proprio effectu risibilitatis, siue aptitudinis ad ridendum, quæ est intrinsecè oriens ex ipsa rationalitate.

Ad primam obiectionem quod. *Omnis repugnancia est ex parte Dei.* Respondeo reuera Henricum quodl. 8. cit. q. 3. hoc tenuisse verbis apertissimis, & apertissime docuit oppositum quodl. 6. q. 3. Vnde aliqui ipsum inconstantem in sua doctrina dixerunt. Equidem potius dicerem in hoc problematicum. Præterquam quod quæstiones istæ vocantur Quodlibetales, fortasse non solum quoad ordinem non seruatum inter se, sed etiam quoad qualitatem affirmationis, & negationis, sed excepta quæst. 3. quodl. 8. semper reducit impossibilitatem in repugnantiam creaturæ. Vnde quodl. 4. q. 31. ait Henricus. *Circa naturas, quæ fundantur super potentiam diuinam, attendendum est, quid possibile est esse, vel fore, vel fuisse in creatura, super omne enim, quod tale est, potest Deus, & tale est omne, quod contradictoria non includit in se, aut repugnantiam aliquam,*

quam, quæ reducitur ad contradictionem, & sic non est querendum, quod Deus possit circa creaturas, sed quid circa eas fieri possit, &c. Vnde crediderim Henricum fuisse re vera huius sententiæ, licet ad ostendendum vbertatem suæ doctrinæ aliter aliquando locutus fuerit.

Cum vero dicitur. Idcirco res potest fieri, quia Deus potest illam facere: ergo etiam idcirco est impossibilis, quia Deus non potest facere. Dicendum alio modo esse philosophandum de possibilitate, ac de impossibilitate, quia ut dicit Henricus loco cit. quodl. 6. q. 3. *Possibile dicit aliquid pure positivum, & positio in effectu non est nisi à positione in sua per se causa. Impossibile nihil dicit, nisi privatiue, privatio autem, & defectus bene habet esse in effectu absque omni defectu, & privatione in sua per se causa; creatura enim ex se habet defectum, licet non profectum, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad secundam quod. *Homo potest intelligi non risibilis.* Dicendum illam propositionem habere duplicem sensum, vel potest intelligi præcisivè, & sic conceditur, vel negatiue id est negando de homine risibile, & sic est impossibile, quod intelligatur. Vnde Henricus quodl. 4. q. 31. *Intelligere non cointelligendo, quod sit risibilis non est intelligere quod sit, sed ad aliquid negatiue dictum; Vnde est in argumento figura dictionis, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad tertiam quod. *Potest homo carere actu ridendi: ergo etiam potentia, quæ est illi opposita.* Dicendum, Risibilitatem esse quidem respectum ad actum ridendi, sed tamen inseparabilem. Vnde ait Henricus ibidem. *Risibile non est nisi respectus in essentia, & natura hominis ad actum ridendi (& post pauca) essentia à suo essentiali respectu absolui non potest, sicuti neque materia à sua possibilitate ad formam, licet posset absolui à forma, &c.* Distinguendum igitur est de respectibus accidentalibus, & essentialibus, id est fluentibus ab essentia. Ad for-

mam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad quartam quod. *Potest esse homo non potens generare.* Dicendum, quod verum est, non tamen potest esse homo, quin sit generativus, & habens ad generandum aptitudinem. Henricus art. 58. q. 4. attulit hanc distinctionem. *Puer enim est aptus natus generare, sed non potens generare, &c.* Sumitur enim tunc potentia ut proxima, & cum omnibus circumstantiis ad agendum. Aptitudo autem à talibus circumstantiis videtur abstrahere. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

ARTICVLVS VII.

QVAESTIO III.

An definitio accidentis sit bona.



PRO parte negatiua. Arguitur primo. Definitio tunc est bona, quando omni definito conuenit: sed hæc non conuenit: ergo non est bona. Maior patet ex regulis bonæ definitionis. Minor vero probatur. Nam accidens inseparabile est verum accidens, & tamen sine subiecti corruptione separari nequit, quemadmodum nigredo ab Aethiope sine ipsius corruptione nequit auferri. Vnde dicit Henricus quodl. 7 q. 17. *Accidentia quæ subiectum sibi determinant, ut albedo superficiem ab illo separari non possunt, &c.*

Secundo. Si accidentis definitio esset bona, etiam Deo conueniret; sed hoc est maxime absurdum: ergo definitio mala. Minor est Henrici art. 29. q. 3. *Manifestum est, quod Deus non potest esse accidens.* Maioris vero sequela probatur, quia quicquid est in alio præter intentionem illius, est in illo ut accidens

dens eius, sed Deus est in omnibus rebus, nec commiscetur cum eis: ergo Deus esset accidens, cum enim sit præter intentionem essentię creaturarum potest illis adesse, & abesse ab illis sine ipsarum corruptione.

Tertio. Quod nullum habet esse secundum se absolutè, hoc non debet definiri per esse, sed accidens absolutè non habet esse: ergo male definitur per adesse, & abesse. Maior patet quia res definiri debet eo modo quo est: Minor verò est Henrici quodl. 3. q. 2. *Accidens quia non existit nisi in alio, ut in subiecto non dicitur esse in actu per se, & propriè nisi quia est in subiecto, quod existit in actu per se, & art. 75. q. 6. Vt ideo Philosophus intelligatur dicere, quod accidens non est ens, nisi quia est entis, &c.* Et alibi sæpius hoc idem habet.

Quarto. Combustio, & mors dicuntur vera accidentia, sed ista non possunt adesse sine subiecti corruptione: ergo nulla definitio. Minor probatur experientia, quod enim comburitur, vel moritur dicitur corrumpi. Maior verò est certa ex Henrico, quia mors ab ipso vocatur Vitę privatio quodl. 3. q. 8. *Itaque mors hominis nihil aliud est, quam carnis occasus.* Privatio vero, cum non sit substantia, debet esse accidens, quod vero dicitur de morte, dici de combustione potest proportionem servata.

Noratur primo. Accidentia non carere suo proprio esse, & existentia, licet illam habeant in subiecto semper secundum naturalitatem rerum, neque enim dicendum est esse accidentis, esse idem cum esse subiecti quandoquidem ut docte docet Henricus quodl. 10. q. 8. *Si enim accidens non haberet esse proprium in subiecto, sed solum esse subiecti nullo modo compositum esset unum eius per accidens, &c.* Concedendū est itaq. accidentia propriam aliqualem essentiam & existentiam habere, sed tamen dependēter ab existentia subiecti. Vnde dicitur naturalis inharrentia secundum aptitudinem considerata esse de intrinseca ratione ipsius accidentis, & dicit Henricus substantiam cade-

re in definitione accidentis art. 21. q. 2. *Substantia prior est accidente, quia est causa accidentium, & cadit in eorum definitione, &c.* Quatenus ens se extendit ad accidens in ordine ad substantiam, in qua accidens est.

Notatur secundo de accidente respectu suorum inferiorum eodem modo esse Philosophandum, ac de alijs prædicabilibus, si enim comparetur accidens ad sua inferiora differentia specie erit genus, si ad plura differentia numero erit species, semper tamen includitur modus talis prædicabilitatis, quæ non est inquit, sed in quale, vel separabiliter, vel inseparabiliter secundum rem, semper tamen separabiliter secundum rationem, quia illud adesse, & abesse, quod ponitur in definitione debet accipi pro affirmari, vel negari. In hoc enim accidentis quidditas est, quod ipsum habeat suum esse in alio, quod de conceptu suo esse ipsius accidentis non includat, ut innuit Henricus art. 75. q. 2. *In quibus subiectis sunt ea, quæ in aliquo subiecto esse dicuntur, sicut color, aut forma in corpore, &c.*

Conclusio. Accidens optime est à Porphyrio definitum.

Explicatur. Prædicabile accidentis optimè dicitur esse illud, quod ita se habet ad sua subiecta, ut si adsit, vel absit nullam essentialem mutationem in illis causet. Vnde siue affirmetur, siue negetur eius præsentia nihil habetur de intrinseca ratione ipsius subiecti.

Est Henrici art. 29. c. 3. *Accidens communiter sumitur pro eo, quod est dispositio aliqua circa rem extra eius intentionem, &c.*

Probatur ex regulis bonæ definitionis, nam per illam definitur, ut quintum prædicabile, ut vniuersale, & differens ab alijs, & explicatur natura illius, ut subiecta secundæ intentioni: ergo est optima, &c.

Ad

Ad primam objectionem quod: *Non conuenis hęc definitio accidenti separabili.* Dicendum, Immo conuenire, neque enim sumitur *ly* adesse, & abesse pro ipsa actuali inherētia, sed pro aptitudinali, & quatenus quis potest affirmare, vel negare hoc de aliquo subiecto præter illius corruptionem, si enim æthiops albus fiat non corrumpitur in hoc specifica quidditas, scilicet quod sit homo & hoc est, quod in definitione intenditur. Henricus uero loquitur de reali separatione. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Deus est in Creaturis præter essentiam illarum, & samē non est accidens.* Dicendum aliquid esse in alio præter intentionem illius, vel per inherētia, vel per modum dantis esse, & conseruantis simpliciter, quod est in alio primo modo est accidens; sed nō est accidens, quod est in alio secūdo modo Deus itaq. est idē in Creaturis extra illarū essentias, quia ipse Creatura non est, sed tamen est in illis per modum causæ primæ dantis illis esse, & conseruantis illas. Vt egregie habet Henricus loco citato in argumento art. 29. q. 3. *Deus in Creaturis est, non per inherētia qualiter accidens est in subiecto, sed per operationem tanquam dans esse, & conseruans, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur sequela maioris.

Ad tertiam quod. *Accidens nullum habet esse ex se absolute cum dicatur entis ens.* Dicendum dici quidem entis ens, sed non ad excludendum esse proprium accidentis, sed potius ad denotandam necessariam connexionem, quam habet suum esse ad essendum per inherētia in subiecto. Vnde Henricus apertissime quodl. 10. q. 8. *Propter hoc accidentia non dicuntur entia, nisi quia entis, neque essentia, nisi quia sunt illius essentia, quæ est substantia, non quia non habeant proprium esse, & proprias essentias, sed quia non habent sua esse, & suas essentias separatim, sed in substantia cum esse, & essentia substantia, & etiam causaliter ab illis, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad

Ad quartam quod . *Combustio, & mors sunt accidentia, nec possunt adesse sine corruptione.* Dicendum . Mortem, & combustionem si considerentur formaliter vt accidentia positiua, non esse nisi alterationem qualitatum præcedentem ipsam corruptionem , & sic considerata possunt adhuc affirmari, vel negari de subiecto absque illius corruptione, dummodò non sint in termino; sed communi vocabulo solent pro ipsa corruptionis mutatione sumi, & sic non sunt accidentia positiua, sed sunt priuatiuæ mutationes de esse ad non esse formæ , ad quam est consequens, immediate generatio alterius formæ , vt suo loco dicetur . Ad formam itaque argumenti distinguitur maior .



ARTICULVS VIII.

Circa octauum Articulum de Prædicamentis quærebantur quatuor, scilicet eorum pertractatio, Vniuocorum, & Aequiuocorum definitio, Prædicamentorum numerus, & entis Analogia ad ipsa. Erat autem

QVAESTIO I.

Vtrum agere de Prædicamentis spectet ad logicum.



PRO parte negatiua. Arguitur primo. Nam de Prædicamentis agit Metaphysicus: ergo non logicus. Consequentia patet, quæ enim sunt materia, & subiectum formale vnius scientiæ non possunt esse alterius, cum scientiæ debeant esse impermixtæ, & distinctæ; vnde dicebat Henricus art. 19. q. 1. in argumento in contrarium, *scientiæ distinguuntur pluraliter penes sua subiecta, quia secundum Philosophum tertio de anima secantur scientiæ, quemadmodum & res scilicet de quibus sunt.* Antecedens vero probatur, nam de ipsis agitur præcipuè in 5. metaph. & Henricus definiens prædicamentum art. 66. q. 1. ad secundum ait. *Prædicamentum significat aliquid cui conuenit esse sub tali, vel tali modo,* & nullo pacto mentionem facit de secundis intentionibus, sed solum de prima quæ omnino consideratur à Metaphysico.

Secundo. De illis debet agere logicus, quæ conferunt ad dirigendas intellectus operationes, sed per cognitionem præ-

R

dica-

dicamentorū non omnes operationes diriguntur: ergo de illis non debet agere logicus. Maior præsupponitur ex superius dictis, logicus enim cōsiderat secundas intentiones, vt operationū intellectus directiuas. Minor vero probatur; prædicamenta enim solum attenduntur penès subijci, & prædicari, quatenus sunt res quædam. Vnde dicit Henricus art. 32. q. 5. *Intentio igitur prædicamenti constituitur, ex re natura subiecta, quæ est res prædicamenti quasi materiale in ipso, & modo quo esse ei conuenit, scilicet non in alio esse, vel in alio esse, quæ est ratio prædicamenti circa rem ipsam, quasi. formale in ipso.* Quapropter vel nulla operatio dirigitur, vel solum secunda.

Tertio. Pars subiectiua alicuius scientiæ debet posse definiiri, sed prædicamenta non possunt definiiri: ergo non sunt pars subiectiua scientiæ logicalis. Maior patet, quia definitio est potissimum instrumentum scientiæ, per ipsum enim innotescunt rerum quidditates. Minor vero probatur. Nam prædicamenta sunt genera generalissima: ergo non habent super se aliud genus, per quod definiantur. Antecedens est Henrici quodl. 15. q. 5. *Decem prædicamenta in nulla re communi eis conueniunt, &c.*

Quarto. Frustrà multiplicatur in scientia subiectum illius; de quo enim semel tractatum sufficienter est, frustra noua pertractatio instituitur: sed de prædicamentis, cum sint vniuersalia, actum est, cum de vniuersalibus tractaretur: ergo frustra dicuntur esse peculiaris veluti pars subiecti logicalis. Maior debet supponi, vt tollatur difficultas frustratoria à scientijs. Minor vero probatur, quia prædicamenta continentur in vniuersalibus, vnde ipsa vniuersalia, & generalissima dicuntur ab Henrico art. 66. q. 1. ad secundum. *Sunt prima genera rerum, quæ significant decem prædicamenta, vt dicit Boetius, & bene, &c.*

Notatur primo. Prædicamenta dupliciter sumi posse scilicet primo, & secundo intentionaliter. Primo intentionaliter considerata

siderata sunt partes subiectiuę entis; In quo sensu loquitur Henricus art. 26. q. 2. *Ex quo patet, quod omnis res predicamenti contenti sub esse, est aliquid præter suum esse saltem intentione, & definitione, & si non re, & sic omnis res predicamenti per hoc, quod est res, & natura aliqua, substantia scilicet vel accidens, tenet in se entis determinationem, &c.* Sed secundo intentionaliter considerata prædicamenta dicunt inter se rationem conditionis rerum, in quibus fundantur genera, & sic loquitur Henricus art. 66. q. 1. ad tertium. *Dico quod decem prædicamenta dicuntur decem genera prima non aspiciendo ad ordinem eorum inter se, sed solummodo aspiciendo ad ordinem contentorum in qualibet linea prædicamentali inter se, &c.* Primo modo certum est illa spectare ad Metaphysicam. Logicus vero ea considerat secundariò, scilicet vt subiacent secundis intentionibus, vt sæpius diximus in præcedentibus.

Notatur secundo. Rem reponi in prædicamento sumpto secundo intentionaliter nihil aliud esse, quam rem concipi in ratione superioritatis, vel inferioritatis, nimirum secundum rationes sub, & supra. Quamobrem dicebat Henricus loco citato art. 66. q. 1. *Ille ordo, qui est contentorum sub eadem linea, non solum est secundum primum, & secundum, siue secundum prius, & posterius, sed etiam est secundum sub, & supra, vt art. 32. q. 5. ad tertium dicebat rationem vniuersalitatis esse illam, qua conuenit toti prædicamento, non nisi ex ordine, quem habent prædicamenta inter se secundum sub, & supra in linea prædicamentali.* Quatenus scilicet vnum quodque prædicamentum habet esse generalissimum super suis contentis, vt substantia de corporea, & incorporea, & continet sub se suas species, vt hominem respectu huius, vel illius hominis, &c.

Conclusio. *Prædicamentorum tractatus spectat ad logicum.*

Explicatur. Prædicamenta quatenus fundant secundas intentiones, & habent coordinationem suarum rerum secundum sub, & supra, habent esse subiectum partiale facultatis logicalis.

Est Henrici ubicumque ait logicum considerare secundas intentiones ut art. 53. q. 5. *Consideratio secundarum intentionum circa res, quæ sunt expressibiles vocibus, & hoc quoad intentiones logicales, &c.*

Probatursic. Logicus agit de ijs, quæ spectant ad operationes intellectus dirigendas, sed tractatus prædicamentorum ad hoc spectat: ergo de prædicamentis agit logicus. Maior patet. Minor vero probatur, nam dirigitur per ipsa prima operatio quatenus determinatur, ne per totam entis latitudinem vagetur. Dirigitur secunda, quia prædicamenta dantur in ordine ad sub jci, & prædicari, dirigitur tertia, quia cognitio supremis generibus bonitati consequentiæ intellectus assentitur.

Ad primam obiectionem quod. *Prædicamenta sunt quid primo intentionale, et spectant ad Metaphysicum.* Dicendum verum esse secundum illam rationem, qua entia sunt realia talis, vel talis naturæ. At vero eadem prædicamenta secundo intentionaliter considerata, ut directiva operationum intellectus spectant ad logicum; ex diuersis enim modis considerandi idem est subiectum plurium scientiarum ut habet Henricus art 19. q. 2. *Est enim subiectum metaphysica ens in quantum ens, non in quantum tale ens est, et ideo extra hoc quod considerat illa scientia uniuersalis de quolibet genere entis, in quantum ens, debent esse scientia particulares, &c.* Ad formam itaque

itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad secundam quod. *Per cognitionem predicamentorum dirigitur sola secunda operatio non autem prima, & tertia.* Dicendum dirigi omnes operationes, vt dictum est in probatione conclusionis. Querenti tamen, quam principalius dirigat, Respondeo principaliter dirigere primam quæ admodum enim vniuersalia ipsa habent vt primam dirigant principalius, cum spectent ad illam partem logicæ, quæ est pertractatio de terminis simplicibus, ita & categoriæ; licet deindè cum omnes operationes intellectus sint subordinatæ; directæ vna, reliquæ suo modo dirigantur, quatenus enim dirigitur prima actu, aliæ incipiunt esse in potentia proxima ad directionem, quia hoc idem concludit Henricus de discente, qui dum vnum discit, est in potentia proxima ad aliud addiscendum ita art. 1. quæst. 10. *Habet enim addiscens in tota transmutatione sua, qua vadit ad scientiam, imperfectam notitiam cum potentia ad notitiam perfectam.* Ita habita directione primæ operationis per cognitionem terminorum perceptam, statim dirigitur secunda constituendo ex terminis bonas enunciationes, & ex istis dirigitur tertia componendo bonum, & concludentem syllogismum. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiã quod. *Predicamēta nō possunt definiri, unde nō possunt esse partes subiectiue in scientia.* Dicendū illa constare ex genere denominatiuo vt dicebamus de genere ipso, quod definitum est in vniuersalibus. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad quartam quod. *De predicamentis actum est pertractando de vniuersalibus, unde frustra repetuntur.* Dicendum, quod habita cognitio de vniuersalibus est solum quantum ad coordinationem rerum secundum sub, & supra, & est imperfecta cognitio, nisi cognoscantur ea, in quibus debent vniuersalia fundari, quæ sunt res ipsæ, in quibus vniuersalia fundamentaliter reperiuntur. Cognitio itaque quid sit vniuersale, debet

cognosci in quotuplici, quasi fundamento sint vniuersalia generalissima, & sic constituuntur prædicamenta quæ vniuersalissima genera rerum omnium appellantur. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

ARTICVLVS VIII.

QVAESTIO II.

Utrum vniuoca, & æquiuoca bene definiantur.



ROR parte negatiua. Arguitur primo contra *ly nomen*, nam æquiuoca, & vniuoca etiam conueniunt verbis, & non solis nominibus: ergo male ponitur *ly nomen*, quod est à verbo distinctum. Antecedens vero probatur. Quia tam vniuocè dicitur de hominibus pluribus, & tam æquiuoce de homine, & de prato rillus, quam ridere.

Secundo contra *ly Ratio substantiæ*, nam æquiuoca, & vniuoca, non solum sunt in substantijs, sed etiam in accidentibus: ergo male ponitur *ly Ratio substantiæ*. Consequentia patet, nam substantia est omnino cõtra distincta ab accidente cum substantia sit per se, accidens autem inhæreat. Antecedens vero probatur. Nam ex Henrico art. 73. q. 4. habetur quod eadem res, quæ per nomen significatur, habet rationem vel substantiæ, vel accidentis. *Putat eadem res significatur nomine substantiæ, & accidentis, &c.*

Tertio Contra definitionem æquiuocorum. Aequiuoca non possunt defini: ergo nulla definitio allata. Probatur antecedens, nam definitio debet vniuocè competere definitis, æquiuoca autem non habent quid sibi vniuocum commune.

Quarto. Multa sunt nomina eadem, & idem significantia, quæ

quæ sunt imposita ad significandas diuersas substantias, & tamē non sunt æquiuoca : ergo nulla definitio . Antecedens probatur de nomine v. g. *populus*, quod dictum de gente, & de arbore, non est æquiuocum, vt communiter solet dici .

Notatur primo ex Henrico loco citato art. 73. q. 4. *Aequiuoca propriè, & rigoroſe sunt illa, quæ dicuntur à casu, vt sub hoc nomine Alexander duo viri nuncupantur, quia absq. causâ & ratione ad hoc inducente ex natura rerum significatarum eò, quod nullam habitudinem habent, neque inter se, neque ad tertium, propter quam vnum nomen habeant.* (Et hæc propriè vocatur æquiuocatio) vt ait Henricus ibidem ad primum . *Non declinans in aliquo ad vniuocationem.* Aequiuoca vero habentia inter se aliquam habitudinem congruentius appellantur Analoga : quorum modi ex Henrico ibidem sunt quatuor scilicet. *Proportione, vt principium dicitur unitas, & punctus. Relatione vt salutaris dicitur veltio, & esca: similitudine vt homo verus, & pius. Defensu vt animal dicitur sanum, & vrina, &c.* (Paulo post) *& vocatur talis æquiuocatio, quæ est in istis quatuor modis propriè analogia, quia nomen prius, & posterius dicitur de pluribus, & per prius, & posterius significat illa.*

Notatur secundo ad vniuocationem veram non solum requiri similitudinem, & nominis identitatem, sed multo magis eandem rationem substantiæ, quatenus inquit Henricus art. 73. q. 3. ad secundum. *Vniuocationem non operatur conuenientia nisi sit secundum naturam, &c.* Quamobrem vniuocatum dicitur animal ad rationale, & irrationale, & vniuocus est homo ad Socratem, & Platonem, quia importatur secundum nominis significationem eadem naturæ genericæ, & specificæ ratio; æqualiter enim illa participant de tali genere, & de tali specie .

Conclusio . Definiuntur optime æquiuoca , & vniuoca .

Explicatur . Aequiuoca à casu in nulla parte declinantia ad vniuocationem , optimè , *dicuntur esse quorum nomen commune est , ratio vero substantiæ diuersa .* Et vniuoca rigorose sumpta optime , *dicuntur quorum nomen commune est , & ratio substantiæ secundum illud nomen eadem , &c .*

Est Henrici locis citatis art. 73. q. 3. & q. 4. *Dico quod licet omne nomen æquiuocum significet plura non sub vna ratione rei , quia nihil significat commune reale , siue singulare , siue vniuersale ad illa , quale est omne nomen vniuocum , &c .* Vbi expresse amplectitur allatas æquiuocorum , & vniuocorum definitiones .

Probatum autem Conclusio , quia per has definitiones optimè explicatur natura eorum , vt dictum est .

Ad secundam quod . *Etiam verba sunt vniuoca , vel æquiuoca , & tamen de solo nomine fit sermo in definitionibus allatis ,* Dicendum quod , per ly nomen significatur siue nomen , siue verbum , ex quo fortasse vt talem æquiuocationem euitaret Henricus art 73. q. 7. eodem modo de nomine , & verbo locutus est , & sic , *cum verba vocalia non sint propriè nisi hominum , dico , quod nomina , siue verba vocalia , &c .* Et loco nominis agendo de æquiuocis , & vniuocis art. 73. q. 4. vsus est signo vocis , vt abstraheret à nomine , & verbo , & vteretur signo communi . *Si vero aliquam habent habitudinem propter quam voxillis communiter imponitur , &c .* Ex quibus clare patet indifferenter sumendum nomen , & verbum in proposito . Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens .

Ad secundam obiectionem quod . *Etiam accidentia sunt vniuoca , vel æquiuoca , unde male ponitur ly ratio substantiæ .* Dicen-

endum similiter, quod per ly *ratio substantia*. Intelligitur omne illud, quod significatur voce imposita. Ex quo ortum habuit distinctio illa celebris apud Logicos de vniuocis vniuocantibus, & vniuocis vniuocatis, & de æquiuocis æquiuocantibus, & æquiuocatis. Nam vniuocans, siuè æquiuocans est ipse terminus siue vox, vniuocatum vero, siue æquiuocatum est ipsum significatum per nomen, siue terminum, quod in præsentī appellatur ratio substantiæ, id est eius, quæ stat pro subiecto, & sic dicebat Henricus ibidem art. 73. q. 4. *Quæ quidem ratio est alia, & alia secundum modum, quo conceptus ab imponente circa rem est alius, & alius.* Itaque ly *ratio substantiæ*, stat pro eo, quod vel vniuocatum est, vel æquiuocatum. Ad formam itaque argumenti distinguitur consequens.

Ad tertiam quod, *æquiuoca nequeunt definiri*. Dicendum quod etiam æquiuoca conueniunt in hoc, quod omnia habeant, quod sint eodem modo, & sic possunt definiri secundum illam communitatem, quam habent. Quando vero solet dici æquiuoca non posse definiri, intelligitur de hac, vel illa æquiuocatione, in qua æquiuocata nequeunt conuenire, & sic non potest dari definitio de ijs, quæ æquiuocè sunt sub aliqua voce, nisi prius diuidantur ab inuicè, & sit facta distinctio de quonam velimus loqui. Communitas tamen æquiuocorum non est nisi per rationem, & quidditas illorum non est nisi per intellectum, vnde ipsa non possunt dici vniuersalia, quemadmodum dici possunt analogæ, & multo verius vniuocæ. In hoc egregiè habuit sermonem Henricus art. 75. q. 6. ad tertium. *Commune analogum pro tanto habet rationem vniuersalis, quod possit vnica distributione distribui per hoc signum omne in omnia sua significata quasi in supposita, sicut potest vniuersale verum in sua verè supposita. Quod quidem non continet sua significata æquè principalia, neutrum scilicet per rationem aliquam sicut continet æquiuocum casu propter quod nullam habet rationem vniuersalis, nec aliquid participat de ra-*

tionem uniuoca, &c. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad quartam quod. *Est aliquod nomen ut populus significans gentem, & arborem, & tamen non esse æquiuocum.* Dicendum attendi debere particulam illam positam in definitione, & secundum illud nomen. Vnde requiritur nominis, siue uocis perfecta identitas. Variatur autem vox siue nomen sit, siue uerbum per oppositionem aspirationum vni, & non alteri per productionem syllabarum in vno, & non in altero, & sic de cæteris. Vnde licet sint eadem syllabæ debet attendi prolationis regula. Quia uero populus primam habet productam in significando arborem, & breuem in significando gentem, potius habet rationem duplicis nominis, quam nominis æquiuoci. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

ARTICVLVS VIII.

QVAESTIO III.

Vtrum prædicamenta sint decem.



PRO parte negatiua. Arguitur primo. Vnicum est prædicamentum substantiæ: ergo etiam unicum erit prædicamentum accidentium. Antecedens patet. Consequentia uero probatur. Quia oppositorum debet esse eadem disciplina, & quadrat illud, quod ex Boetio affert Henricus art. 73. q. 3. ubi loquens de subiectis prædicamentorum ait. *Nam eorum pars in reliquorum prædicatione substantia est, pars in accidentium numero est*, quasi dicat duo principalissima esse prædicamenta scilicet substantiæ, & accidentis

tis. Vnde accidentia nouem sint potius species accidentis generis, quam genera generalissima.

• Secundo. Motus est accidens: ergo debet constituere prædicamentum ab alijs distinctum, & sic plura erunt quam decem. Antecedens patet ex Henrico quodl. 1. 1. q. 6 *Motus supponit accidens in subiecto, quia est à contrario, vel à priuatiuo in contrarium, quemadmodum dealbatio præsupponit nigredinem, & contrarium albedinis producenda.* Consequentia vero probatur, quia non videtur in quo prædicamento sit; quia neque potest dici esse in prædicamento aliquo absoluto; cum ipse sit respectus termini ad terminum, neque in relatiuo cum afficiat suam substantiam per modum accidentis absoluti; quia est idem realiter cum termino, qui acquiritur. Vnde Henricus art. 50. q. 2. *Albedo reipsa est dealbatio, qua quis dealbatus est, &c.*

Tertio. De concretis, & abstractis eodem modo est philosophandum; sed actio, & passio, quæ sunt abstracta constituunt duo prædicamenta: ergo etiam agere, & pati; quæ sunt concreta. Minor patet ex Philosopho, & Henrico art. 32. q. 5. *Actio, & passio. Distinguuntur per solos respectus qui sunt esse ab alio, & in alium, & Paulo post. Vnde huiusmodi duo prædicamenta.* Maior vero patet ex Henrico art. 74. q. 4. *Aequè perfectè explicant rem significatam de subiecto concretum, & abstractum.*

Notatur primo. Numerum prædicamentorum optimè desumi ex diuersitate modorum prædicandi, qualiter diuerso modo aliquid prædicatur de altero, quæ distinctio, licet sit à posteriori, est tamen optima, & nobis apertissima. Modus substantiæ est prædicari in quid, quantitatis in quantum. Relationis est prædicari in hoc quod est ad aliud se habere. Qualitatis in quale de prima substantia, actionis prædicari in quod agit, passionis prædicari à quo patitur. Vbi prædicari in quo; qua, ubi, vnde &c. Quomodo est prædicari in esse in

tempore. Situs prædicari in qualiter situatum, & habitus in qualiter habituum. Sunt tamen modi intrinseci, ratione quorum differunt inter se prædicamenta, sed à priori, & sunt ipsæmet formalitates constitutiue ipsorum. Vnde dicit Henricus art. 32. q. 5. *Res prædicamenti est quicquid per essentiam, & naturam suam est contentum in ordine alicuius prædicamenti.* Ratio prædicamenti est proprius modus, essendi eorum, quæ continentur in prædicamento ex quibus duobus scilicet ex re prædicamenti, & ratione essendi eius, quæ est ratio prædicamenti constituitur ipsum prædicamentum, & diuersificatur vnum prædicamentum ab alio, &c.

Notatur secundo. Ea poni in prædicamentis, quæ sunt entia realia, & quæ considerantur secundum rationem superioritatis, & inferioritatis. Vnde principaliter illa solummodò in prædicamentis ponuntur, quæ sunt res primæ intentionis finitæ, limitatæ, vniuoçæ, & principaliter significatæ ponuntur in prædicamento per primam conditionem excluduntur à prædicamentis entia rationis. Per secundam Deus, per tertiam ens, per quartam complexa vt Petrus homo, & per quintum termini, & voces, quæ solum secundariò sunt in prædicamento. Qualiter scilicet significant res prædicamenti talis. Et hæc sit regula constituendi res in aliquo prædicamento. Nam aliqua constituuntur in prædicamento diuersè, vt genera, species, & indiuidua. Quædam vero in diuersè, vt differentia, & quædam reductiue, vt passionis, partes, siue essentialis, siue integrales, priuationes, & cætera huiusmodi, quæ reducuntur ad prædicamentum illius rei, cuius sunt. Quæ omnia videntur virtualiter contineri in ijs, quæ docet Henricus art. 66. q. 1. *Res distinguuntur in diuersis prædicamentis penes diuersos modos reales, quibus, siue secundum quos illis conuenit esse, siue quibus esse participant diuersimode, &c.*

Conclusio. Prædicamenta sunt decem.

Explicatur. Prædicamenta ita sunt decem genera generalissima omnes res complectentia, vt nullo pacto possint esse plura, vel pauciora.

Est Henrici quodl. 15. q. 5. *Prædicamentum substantia diuiditur contra nouem prædicamenta accidentium*, & art. 32. q. 5. & latè art. 66. q. 1. & vbi cumque de prædicamentis fit mentio semper numerus illorum decem supponitur, vt art. 73. q. 3. & alibi.

Probatur vero ratione. Tot sunt prædicamenta quot sunt modi, quibus res habent rationem superioritatis, vel inferioritatis ad inuicem, sed isti modi sunt decem ex primo notabili: ergo & decem prædicamenta.

Probatur secundo. Ratione quæstorum, quæ possunt fieri de aliquo, vt quid sit, quantum, cuius, quale, quid agat, quid patiat, vbi nam sit, quando, qualiter situatum, & qualiter habitatum.

Ad primam obiectionem quod. *Vnum est prædicamentum substantia, ita Accidentis*. Dicendum non esse paritatem, neque enim substantia, & accidens considerantur vt opposita, sed vt disparata. Accidens vero, licet videatur esse commune suis nouem prædicamentis, vel est commune transcendente, vel est solum commune communitate rationis non realitatis, ita testatur Henricus quodl. 15. q. 5. *Prædicamenta accidentium, vt distinguantur contra substantiam, in vna ratione communi conueniunt, licet non in vna realitate, &c.* Quod vero adducitur in argumento ex art. 73, quæst. 3. *pars in substantia est quantum ad vnitatem accidentis, per rationem non per realitatem*, dicuntur enim prædicamenta nouem esse partes accidentis secundum quod intellectus se solo concipit in omnibus

nibus prædicamentis rationem illam effendi in alio, quæ secundum realitatem non conuenit propter modos intrinsecos, & formales quibus constituuntur diuersa prædicamenta. Ad formam itaque argumenti negatur consequentia.

Ad secundam quod. *Motus non est in prædicamento relatione neque absoluto.* Dicendum motum reductiuè esse in prædicamento sui termini, immo secundum diuersas rationes in diuersis prædicamentis constituitur si enim consideretur motus, ut est quid successiuum, est in prædicamento quantitatis ut habet Henricus art. 66. q. 1. *Motus secundum se consideratus est in prædicamento quantitatis, & art. 59. q. 3. ad secundum. Vnde etiam dicunt aliqui, quod motus nec est de genere actionis nec de genere passionis, sed quantitatis, ut uult Philosophus 5. Metaph.* Si uero consideretur motus ut subintrans rationem respectus, est de genere actionis, uel passionis, ita Henricus art. 66. q. 1. *Motus est de prædicamento actionis in quantum subintrat rationem respectus, scilicet ut est ab agente, &c. & art. 59. q. 2. ad tertium. Motus magis pertinet ad passionem quam actionem, & quodl. 15. q. 5. fundamentum actionis, & passionis, cuiusmodi est motus, &c.* Quia uero, ut dicitur in argumento, & bene, non distinguitur motus realiter à termino ad quem, erit etiam in prædicamento sui termini, unde motus localis erit in ubi, motus ad qualitatem erit in qualitate, & hoc inquit Henr. art. 50. q. 2. *Dicitur dealbatio, ut est in acquisitione, albedo uero, ut iam acquisita, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur consequentia; sufficit enim si reducat ad prædicamentum sui termini.

Ad tertiam quod. *Si abstracta habent diuersa prædicamenta, etiam concreta.* Dicendum quod tam abstracta, quam concreta in eodem prædicamento sunt. Non enim abstracta ut huiusmodi, sunt directè in prædicamento. Sed solum reductiuè, unde etiam concreta habebunt hoc idem. Non sunt directè, quia sunt uoces significatiuæ eorum, quæ in prædicamentis

mentis sunt. Quamobrem habeat reduci ad id cuius sunt. Actio vero, & passio sunt diuersa prædicamenta, quia licet sit eadem res, est tamen ratio ipsius diuersa, quia actio dicit esse ab alio, & passio dicit recipi in alio. Quod vero assertur ex Henrico, quod aque perfectè explicant rem, &c. Intelligendum est ex parte rei significatæ, sed concretum, & abstractum habent diuersum modum significandi, vnde subdit Henricus ibidem. *Modus concretionis magis congruit cum ratione prædicati, quam modus abstractionis, eo quod prædicatum habet rationem quasi informantis subiectam, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

ARTICVLVS VIII.

QVAESTIO IV.

Virum ens ad decem prædicamenta sit Analogum.

RO parte negatiua. Arguitur primo. Quod habet vnum modum essendi in aliquibus illud est vere, & proprie vniucum ad illa, sed ens habet vnicum modum essendi in substantia, & accidente: ergo ens est vniucum rigoroſe ad substantiam, & accidens. Maior patet ex Henrico art. 73. q. 3. ad secundum. *Vniucationem non operatur conuenientia nisi secundum naturam, &c.* Id est penes modum essendi in suis inferioribus. Minor vero probatur, quia accidens est ens per se formaliter in suo esse formali, non dependens à substantia, vt patet ex Henrico quodl. 10. q. 8. In composito per accidens ex substantia, & accidente quotquot sunt in eo essentia diuersæ substantiæ, & accidentis, tot sunt in eo esse vtroque modo, ex quibus patet, quod cum accidens habeat suum

suum esse distinctum omninò ab esse substantiæ, habet etiam cum eadem substantia conceptum entis communem, & consequenter vniuocum.

Secundo. Quicquid habet conceptum omninò distinctum à conceptu suorum inferiorum, illud habet rationem generis vniuoci: sed ens habet conceptum omninò diuersum, & distinctum à suis inferioribus puta à substantia, & accidente: ergo ens est genus vniuocum ad illa. Minor patet. Nam ex antiquis nonnulli cognouerunt lumen esse ens, nescientes an esset substantia, an accidens. Alij cognouerunt animam esse quidem ens, sed ignorauerunt an esset substantia, vel accidens, & his similia. Fauet huic minori Henricus art. 3. q. 1. *Vnumquodque scitum primo est cognitum sub ratione qua ens est.* Maior vero probatur ex eodem Henrico art. 26. q. 2. *Esse & quidditas cuiuslibet speciei, vel indiuidui sub genere est aliquid in ipsa specie, vel indiuiduo præter esse, & quidditatē generis, &c.* Quod multo magis de conceptu dicendum est, cum modus intelligendi sequatur modum essendi.

Tertio. Quodcumque formaliter est de pluribus prædicabile, illud habet rationem generis vniuoci; sed ens de substantia, & accidente prædicatur formaliter: ergo ens est vniuocum ad illa. Maior patet in omnibus generibus per inductionem. Nam aliter est genus vniuocum, quia formaliter prædicatur de speciebus hominis, leonis, &c. Minor vero probatur ex ipsis propositionibus, nam istæ sunt formales; substantia est ens, & accidens est ens ex Henrico loco citato. *Quod non habet quidditatem non habet genus. Genus enim respondet ad interrogationem factam per quid, &c.* Ex quo sic arguitur si quærratur quid sit substantia, responderetur, quod est ens: ergo ens est genus, quia per ipsum responderetur ad interrogationem factam per quid est.

Quarto. Sinegetur vniuocatio de ente, hoc erit præcipue, quia per prius ipsum participat substantia, quam accidens; sed hæc ratio

ratio est omnino inualida: ergo ens erit genus vniuocum. Maior (vt videbimus) est optima, & Henrici in pluribus locis. Minor vero probatur. Quia omne genus etiam vniuocum hoc habet, vt per prius contrahatur ab vna differentia, quam alia; vnde nobiliori, & perfectiori modo contrahitur genus per rationale, quam per irrationale, in quo sensu dixit sapius Aristoteles, in generibus latere æquiuationes, & Henricus art. 66. q. 1. *Aequiuocatio semper latet in genere, vt scribitur 7. Phys. & art. 75. q. 6. ad tertium explicat melius quid sit illa æquiuationis, quæ in genere reperitur. Dicente Philosopho 7. Physicorum, quod æquiuationes latent in genere, & hoc tam in quolibet subalterno, quam in generalissimo, quia secundum quod idem dicit in 10. Met. semper in diuisione generis dignius, & nobilius est alterum extremum contrarietatis, scilicet alterum differentium diuisentium genus, puta rationale, quam irrationale, & animatum quam inanimatum, & spirituale, quam materiale, & incorporeum quam corporeum: semper autem dignius, & nobilius participat formam generis species, quæ participat illam mobiliori differentia, quam illa, quæ participat eam differentia minus nobili, &c.* Cum itaque hoc reperiat in omnibus generibus, & talis æquiuationis non pugnet cum vniuatione illorum; neque pugnet cum vniuatione. Entis ad substantiam, & accidens; licet nobiliori differentia participet formam entis substantia, quam accidens.

Quinto. Accidens est genus respectu omnium nouem prædicamentorum suorum, & dicitur vniuoce de illis: ergo etiam ens de substantia, & accidente vniuoce dicitur. Consequentia probatur, quia ens est magis essenziale prædicatum, quam quodcumque aliud reperiri possit, cum per ipsum respondeatur ad interrogationem quid est, vt dicebamus paulo supra. Antecedens vero probatur. Nam esse in subiecto est commune omnibus accidentibus æqualiter, qua ratione accidens dicitur habere suam vnitatem, & esse prædicabile saltem se-

T

cundum

secundum rationem. Vnde dicebat Henricus quodl. 15. q. 5. *Ratio autem communis illis nouem predicamentis accidentium, &c.*

Notatur primo. Certum esse, & indubitatum, quod ens non est æquiuocum, quod scilicet se habeat solum commune ad substantiam, & accidens secundum nomen, & quod habeat diuersitatem secundum illud nomen in rebus significatis; ratio quod ens non sit æquiuocum, illa est potissima, quia in æquiuocis non est contradictio, cum æquiuocatio contradictionem excludat. Quemadmodum si quis dicat, canis latrat, & canis non latrat, non dicit contradictorium, quia secundum diuersas rationes utrumq. saluatur; at eius admittit contradictionem, ut si quis dicat Socrates est ens: Socrates non est ens; ex quo habetur aliqua maior cõmunitas in ente quam solius nominis; nec tamen recurrendum est ad genus logicum à naturali distinctum, quia Henricus quodl. 7. q. 8. ait genus logicum. *Non est ex natura forme secundum se, nec ab aliquo esse eius in materia, sed ab opere rationis.* Tota itaque difficultas est de vera uniuocatione secundum naturam; vel potius de analogia; quæ inter æquiuocationem, & uniuocationem est media.

Notatur secundo. Analogiam accidentis ad substantiam in eo præcipue consistere quia accidens, licet habeat suam essentiam secundum se, illa tamen non est apta nata ad habendam existentiam nisi dependenter à subiecto substantiali, ut bene notat Henricus art. 21. q. 2. circa finem. *Accidens quia participat esse per substantiam, quia est dispositio eius. Ideo est aliqua communicatio analogia eorum in ente, quæ quidem non esset si accidens non haberet esse per substantiam, sed per esse non existendo in substantia, tunc enim pure æquiuoce diceretur ens de substantia, & accidente, &c.* Tota itaque radix Analogiæ est illa dependentia accidentis, quatenus est mediante substantia ipsam sustentante, cum accidens sit eius dispositio, & ad ipsam ordinatum.

CON-

Conclusio. *Ens est Analogum ad substantiam,
& accidens.*

Explicatur. Ens consideratum, ut commune ad substantiam, & accidens, cum nullo pacto sit æquiuocum, neque propriè uniuocum uniuocatione secundum conuenientiam in natura, debet dici analogum, quatenus id, quod nomine entis partim habet rationem eandem, partim vero diuersam.

Est apertissima Henrici in locis penè innumeris quodl. 10. q. 8. *Astratum ab ente, quod est substantia, & qualitas, & huiusmodi, est ens, quod analogicè predicatur de decem predicamentis, art. 21. q. 2. Ens creatum primo significat substantiam secundario accidens, & c. art. 26. q. 1. Esse in creaturis simpliciter est esse analogum essentijs decem predicamentorum, & c. art. 26. q. 2. Quod significatur hoc nomine ens, non potest habere rationem generis secundum, quod probat Philosophus 3. & 4. Metaph. quia tunc haberet differentias, quibus contraheretur ad substantiam, & accidens; sicut ad species, quod esse non potest, quia ratio & intentio generis non est de ratione, & intentione differentia, sed oportet quod ratio, & intentio differentia sit alia extra rationem, & intentionem generis, non inclusa in illa. Aliter enim idem ut ratio generis bis poneretur in definitione, & esset omnis definitio nugatoria, & c. art. 29. q. 1. Ens analogum ad substantiam, & accidens alio modo est substantia respectu accidentis, & c. art. 75. q. 3. Ens immediatiore significatione significat substantiam, & accidens, non autem aliquid commune ad illa, quia nullum est præter hoc, quod ens non æquè primo significat substantiam, & accidens, & c. art. 75. q. 6. ad tertium. Propter analogiam esse, quæ est inter substantiam, & accidens, & c.*

Probatur ratione vnica sic. Illa sunt verè, & propriè analogo-

ga ad plura, quæ participantur ab illis non vniformiter, sed ab vno principali, & à reliquis per dependentiam à primo. Sed ens ita participatur à substantia, & accidente: ergo ens est analogum ad substantiam, & accidens. Maior patet ex illis, quæ de analogia dicta sunt. Minor vero probatur, quia accidens non habet existere, & esse ens, nisi dependenter à substantia, vt innuit sæpius Henricus, vt quod. 3. q. 2. *Accidens, quia non existit nisi in alio, vt in subiecto: non dicitur esse in actu per se, & proprie, nisi quia est in subiecto, quod existit per se, &c.* & art. 7. q. 3. *Accidentia quæ entia dicuntur per attributionem, quam habent ad substantiam, vt dicit 4. Metaph. 5. quia sunt dispositio entis, quod est substantia vt dicitur in septimo, &c.* & art. 73. q. 5. *Ens imponitur substantiæ, & accidenti: dignius conuenit substantiæ quam accidenti, quia substantia ex se ipso conuenit, accidenti autem per substantiam, quia scilicet est aliquid substantiæ. Vnde & secundum Philosophum accidens non proprie dicitur ens, sed entis, &c.*

Ad primam obiectionem quod. *Ens habet eundem modum participari à substantia, & accidente, quia accidens ex Henrico est independenter ens à substantia.* Dicendum accidens habere esse independenter à substantia, sumi posse dupliciter, vel ita vt sit aptum natum esse sine illa, & hoc est falsum, vel ita, vt essentiam suam habeat in ordine ad ipsam substantiam, quæ tamen essentia non sit essentia substantiæ, sed dispositio illius, & sic dicitur habere entis participationem accidens, & sic subiungit Henricus loco citato in argumento quodl. 10. q. 8. *Sicut dicitur aliquid ens, vel vnum simpliciter à forma substantiæ, in eo quod comunicat toti composito ex materia, & forma substantiæ suum esse, & unitatem: sic dicitur aliquid esse ens, & vnum per accidens à forma accidentali in eo, quod comunicat toti composito ex substantia, & accidente suum esse, et suam unitatem, &c.* Quod ergo habet accidens hoc totum est in substantia, & per substantiam, non tamen est substantia.

stantia . Hoc indicat Henricus art. 73. q. 8. *Accidens dicitur improprie ens respectu substantia, et creatura respectu Dei, etc.* Ad formam itaque argumenti negatur minor :

Ad secundam quod. *Conceptus entis est omnino distinctus, & diuersus à substantia, & accidente* : Dicendum hoc multas, & difficiles habere considerationes, quarum nec præsens est locus, nec tempus. Interea negetur illa minor. Quod vero ex antiquis multi ignorauerint de anima, & de lumine, an essent substantiæ, vel accidentia, cum tamen dixerint illa esse entia. Dicendum, quod hoc fuit, quia ignorabant quid nominis ipsius substantiæ, & accidentis; & ille conceptus entis secundum se non erat perceptibilis nisi sub ratione, vel substantiæ, vel accidentis. Quod autem dicat Henricus primum scitum esse ens. Dicendum (quantum ad præsens potest facere difficultatem) Henricum ibi sermonem habere de ente non simpliciter, sed ut contradistincto à non ente, ut patet ex verbis sequentibus art. 3. q. 1. *Sicut unumquodque scitum primo est incognitum sub ratione qua ens est, ita unumquodque ignoratum primo est incognitum sub ratione qua non ens, &c.* Non autem agebat ibi de modo nostræ intellectiōis. Dicit etiam potest, quod ut primo intelligatur ens, sufficit quod habeat rationem analogi communis sub qua ratione dicitur habere unitatem, & esse obiectum metaphysicæ. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam, quod *ens predicatur de substantia, & accidente formaliter in quid*. Dicendum concedendo hoc, sed cum addito, ita tamen, ut non æqualiter à suis inferioribus participetur, sed primo à substantia, & secundario per attributionem ad substantiam ab accidente modo explicato. Etenim etiam analogum predicatur in quid, quemadmodum & uniuocum, sed cum differentia penès ipsa inferiora non æquè primario participantia ex parte enim habet analogia conuenire cum uniuocis, & ab eisdem differre. Conuenit enim qua-

quatenus analogia prædicatur in quid; differt quatenus analogia non æque primo omnibus conueniunt. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, cum analogia etiam sufficiat.

Ad quartam quod. *Omne genus habet suas æquiuationes quatenus nobiliori, vel ignobili modo participatur.* Dicendum genera vniuoca dici ab Aristotele continere æquiuationes, quatenus genus, vt tale habet rationem indeterminati. Vnde dicebat Henricus art. 26. q. 2. *Per differentiam generis natura determinatur ad speciem, &c.* Indeterminatum autem vt huiusmodi, est fundamentum æquiuationum. Quod vero Henricus explicet æquiuationes huiusmodi per nobilius, vel ignobilius participari à speciebus, æquiuationis nomine intellexit analogiam, quam ipse vocat, siue similitudinis, siue proportionis. Sed aduertendum maxime est per nobilitatem, & ignobilitatem non tolli vniuocationem, cum qua stat analogia proportionis. Tunc tollitur omnino vniuocatio quando vnum non participat æque primo, sicut aliud. Quod enim incorporeum sit differentia nobilior, quàm corporeum, non facit, quod corporeum sit substantia per incorporeum, sed æque primo ipsam substantiam sibi diuidit, sicut incorporeum, & sic ratione solius dependentiæ tollitur vniuocatio vt satis dictum est. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad vltimam quod. *Accidens ad nouem predicamenta est genus.* Dicendum hoc negando, est enim duntaxat aliquid commune secundum nomen, & illam rationem, quam dicit Henricus loco citato in argumento esse solum per opus ipsius intellectus sine omni realitate. Dici etiam potest. *Accidens esse* quid transcendente; cum per omnia nouem illa genera discurrat & transcendat illimitatè, & tunc admittitur paritas concedendo similiter se habere ens ad substantiam, & accidens. Equidem solitus fui dicere. *Accidens ad nouem predicamenta se habere analogicè.* Neminem hoc dicentem audieram, plures vero hoc idem reprobantes. Tandem aliqua ex parte

Art. VIII. Quæst. IV. 151

parte opinioni meæ Henricum inueni subscribentem, cuius verba referendo breuiter habebitur modus ponendi, ratio, & auctoritas. Henricus itaque art. 2. q. 2. in calce absolute habet, quod accidens de quantitate, & qualitate est æquiuocum; sed ne absolute videatur loqui de æquiuoco simpliciter, sed potius de analogo addidit. *Nisi forse qualitas habeas esse in subiecto mediante quantitate, & secundum hoc ens per prius dicatur de vno, quam de altero, & de vno per alterum, & ita quodammodo analogicè, &c.* Quod ait de quantitate, & qualitate potest dici de reliquis accidentalibus prædicamentis. Ad formam itaque argumenti negari potest maior, cum dicatur analogicè.



ARTICVLVS VIII.

Circa nonum Articulum quærebantur sex scilicet substantiæ Definitio, Quidditas, Finitas: Dei, & Angelorum Inclusio, & denique Proprietates. Erat autem

QVAESTIO I.

Vtrum definitio substantiæ sit bona.

RO parte negatiua. Arguitur primo. Omnis bona definitio debet tradi per affirmatiuum, non autem per negatiuum. Sed hæc traditur per negatiua: ergo non est bona. Minor probatur in terminis. Neque in subiecta est, neque de subiecto dicitur vbi ly, *neque, & neque* sunt negatiua. Maior vero est Aristotelis in Topicis, & Henrici art. 74. q. 3. vbi vult, quod prædicatum sit ad modum formæ etiam in definitione. *Prædicatum eo quod se habet in ratione formæ, debet significare per modum informantis, vel formaliter ad modum, quo partes definitionis sunt formæ, & definiti, vt animal, & rationale hominis, &c.* Si itaque definitio non detur per affirmationem, & in ea prædicatum non sit ad modum positiui informantis, non potest bona esse definitio.

Secundo. Bona definitio debet dari per aliquid significans essentiam non autem per proprietates; sed hæc datur per proprietates: ergo non est bona. Minorem in sequenti habebimus claram, & euidentem. Maior vero est Henrici art. 24. quæst. 1.

Se-

Secundum Philosophum, Definitio est sermo quidditatis, & essentia, &c. Sic itaq. per definitionem debet manifestari quidditas, & essentia rei, & debet per differentias essentielles tradi, non autem accidentales aut proprias.

Tertio. Singularia nequeunt definiri: sed prima substantia est singularis: ergo nequit definiri. Minor probatur, nam prima substantia est illa, in qua fundantur secundæ substantiæ, quæ sunt genera, & species, unde necessario est singularis. Maior vero probatur, nam de ipsis non potest haberi scientia, quemadmodum nec directa cognitio, unde dicebat Henricus certitudo finem nostræ cognitionis haberi non stando in sensibus ita art. 2. q. 1. ad primum. *Certitudo aliqua veritatis ex sensibus haberi potest non stando in sensibus, & eorum iudicio, quia facillimè decipiuntur sensus, &c.* & tamen ea, quæ certò cognoscuntur, egent definitione, & certitudine secundum se, sensus autem sistit in singularibus.

Quarto. Ea quæ sunt realiter idem, non debent habere oppositas definitiones, sed individuum, quod est realiter idem cum prima substantia, habet pro definitione, quod de vno dicitur: ergo non potest dici de prima substantia, quod non dicitur de subiecto. Maior satis est nota ex ipsa definitionis natura, cum enim per definitionem manifestetur quidditas, rei non videtur quomodo ea, quæ habent eandem quidditatem, possint habere, non solum diuersas, sed oppositas definitiones. Minor etiam est euidens ex ipsis definitionibus individui, & primæ substantiæ, vt videre est hic, & in cap. de specie. Nec est recurrendum ad aliquam rationis distinctionem, quandoquidem constat ex Henrico art. 53. q. 1. ubi ponens distinctionem inter subsistentiam, & substantiam, ait illam conuenire etiam vniuersali, *substantia vero in diuiduis tantum*: ergo sunt omnia idem etiam secundum rationem.

Notatur primo. In substantia duo esse maximè attendenda, quorum primum est subsistere, secundum vero substare. Dici-

tur namque substantia, & à subsistendo, & à substando; subsistere nihil amplius videtur significare, quam sistere se ipsum, siue continere se ipsum, ne in aliud diffundatur, & hoc habet competere etiam generibus, & speciebus; genera enim, & species ita sunt in se, vt non sint in alio. Quod penè iisdem verbis confirmat Henricus art. 53. q. 1. *Dicitur enim subsistere, siue subsistentia, quasi seipsum tenendo sistere, & conuenit omni ei, quod est in predicamento substantiæ, in quantum substantia est, &c.* Subsistere autem est in ordine ad accidentia, quibus subiicitur sola prima substantia; siue indiuiduum, vnde ibidem habet Henricus. *Itaq. genera, & species subsistunt tantum, neq. enim accidentia generibus, speciebusue contingunt. Indiuidua vero non solum subsistunt, verum etiam substant, &c.* Quodnam inter ista duo sit principalius, in sequenti examinabitur.

Notatur secundo. Alio modo dari rei definitionem essentialem, & aliò descriptiuam. Illa enim solet semper dari per differentias propriissimas, quemadmodum definitur homo, quod sit animal rationale, ista vero etiam per proprietates. Sufficit autem, vt per ipsas proprietates, & accidentia in definitione posita sufficienter deuenire possimus ad rei cognitionem, & eius quidditas fiat manifesta à posteriori nobis, qui semper habemus magis cognitos effectus, quam causas: ita docebat Henricus art. 24. q. 8. *Quod quid est in creaturis, & ratio cognoscendi id, quod quid est in Deo, &c.* Loquendo tamen de cognitione eius, quod verum est, non de veritate ipsa apprehensa, quia tunc res ex opposito se habet, vt suo loco dicemus. Ad saluandas itaque descriptiones, vt optimas, sufficit, si benè per ipsas ducamur in cognitionem, quod quid est definiti. Quibus positus sit.

Conclusio. Prima substantia est optimè definita.

Explicatur. Prima substantia quatenus, & subsistit, & habet

bet, quod accidentibus substat, optimè describitur, quod sit illa, quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur.

Est Henrici expressa art. 53. q. 1. *Propter quod in prædicamentis maximè, & principaliter prima substantia dicitur, quæ nec est in alio, nec dicitur de alio, sed alia sunt in ipsa, & dicuntur de ipsa, &c.* ubi hæc vltima verba, *sed alia, &c.* se habent solum ad explicationem maiorem.

Probatur conclusio ratione sic. Illa est optima definitio, siue descriptio, per quam optimè explicatur tota natura definiti, vt differens ab omnibus alijs: sed hæc definitio est huiusmodi: ergo est optima. Maior patet ex regulis bonæ definitionis. Minor vero probatur. Nam per *ly neque in subiecto est*, differt ab accidentibus, & per *ly neque de subiecto dicitur* differt à secundis substantijs scilicet generibus, & speciebus: ergo est optima.

Ad primam obiectionem quod. *Definitio traditur per positivum, non autem per negativum.* Dicendum descriptiones habere peculiarem rationem, vt dentur per ea, quæ magis ducunt nos in cognitionem quidditatis rei definitæ, siue descriptæ. Quotiescumque enim dantur descriptiones per aliquod priuativum, quod ducit nos in cognitionem affirmatiui, tunc optimè dantur. Vnde Henricus art. 74. q. 5. ad secundum dicebat priuationes in creaturis significare aliquid, quod est existens, quod in diuinis non significant. Eius verba sunt hæc. *Nomen priuativum, aut predicatum priuativum diuinis applicatur ad insinuandum emens positivum, à quo deficit positivum in creaturis, quod ratione predicati à Deo priuatur non ad significandum, quod quid est aliquid existens in eo, sicut significant de creaturis priuationes, quæ sacriò propriè dicuntur esse in creaturis.* Vbi expressè habetur, quod prædicata priuatiua ponuntur ad significandum aliquid positivum, nimirum oppositum ei, quod priuatur, vt si dicam, Socrates non cæcus, significo videntem Socratem. Ita plane definitio hæc primæ

substantiæ est intelligenda. *Non est in substantia, id est ipsa est substantia, siue subsistens ad differentiam accidentium, neque de subiecto dicitur, id est non prædicatur formaliter de alijs, ut primæ substantiæ prædicantur. Unde dicebat idem Henricus art. 26. q. 2. Cum substantia, quæ est prædicamentum, dicitur, quod est aliquid, quod non est in subiecto, ut per esse aliquid designetur propria ratio quidditatis per non esse vero in subiecto remoueat ab eo omnis ratio accidentis, & clarius art. 32. q. 5. Oportet imaginari rem cum ratione esse, non in alio, sed in se, ad hoc ut substantia sit genus prædicamenti, &c.* Sub tali itaque modo negationis intelligi debet affirmatiuum, & positiuum; quod satis est, ut bonitas descriptionis appareat, ita Henricus ex Auicenna art. 28. q. 3. *Esse non in alio, non potest esse genus in prædicamento substantia, sed res aliqua habens quidditatem stabilem, cuius est esse, quod non sit in subiecto, &c.* Cum vero ex Henrico adducitur. Quod homo non definitur per negationem, sed per affirmatiuas definitionis partes. Dicendum hominem ibi definiti proprie non describi: Aristoteles tamen maluit hic substantiam primam describere, quam definire, quia facilius poterat per descriptionem percipi ab ijs, qui non dum perfecta intelligentia sunt imbuti. Ad formam itaque ue argumenti distinguitur maior.

Ad secundam quod. *Definitio debet manifestare rei quidditatem, & ideo debet dari per differentias essentielles, non per proprietates.* Dicendum sufficere si per tales proprietates, & accidentia manuducamur ad cognitionem ipsius quidditatis, quæ tanto facilius intelligitur, quanto per notiora nobis manifestatur. Quas per substantias incorporeas à nobis cognosci docebat Henricus art. 3. q. 3. ad primum. *Quantum potest manuducere connexio à sensibilibus ad insensibilia procedendo, &c.* Ita etiam facile ex eo, quod altera pars oppositi negatur, potest quis manuduci ad alterum cognoscendum. Quemadmodum immediate à se dictum est, illud enim negatiuum est vir-

tua-

tualiter positivum . Ad formam itaque argumenti distinguitur maior .

Ad tertiam quod. *Singularia nequeunt definiiri* . Dicendum omninò secundum quod dictum est superius , ad eandem obiectiorem factam de indiuiduo . Habent enim singularia denominatiuam quandam rationis solius communitatem , secundum quam talium singularium natura explicatur , & definitur . vide ibi . Quod vero dicat Henricus procedendum esse vltra sensum , verum est , nam iudicium est ipsius intellectus . Non tamen negat ibi Henricus , quod singularia cognoscantur . Vnde dicit ibidem art. 2. q. 1. ad primum . *Certitudo aliqua veritatis ex sensibus haberi potest non stando in sensibus , & eorum iudicio , &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior .

Ad quartam quod. *Indiuiduum , & substantia sunt idem re , & ratione , est vnum predicatur debet , & alterum , &c.* Dicendum . Indiuiduum fuisse definitum in ordine ad speciem , & quatenus qualemcumque habet etiam ipsum prædicabilitatem , quia vero est prædicabile solum per identitatem , non autem per formalitatem , hinc factum est , vt diceretur prædicari , & dici de vno solo . Hic vero explicatur natura primæ substantiæ , & ipsius indiuidui , quatenus non est prædicabilis de aliquo formaliter , vt de subiecto , quia scilicet prima substantia inferiores substantias sub se non habet , de quibus dicitur . De secunda illa intentione , qua indiuiduum , siue prima substantia dicitur de hac , vel illa per identitatem realitatis dicebat Henricus art. 53. q. 7. *Et consistit illa intentio in respectu quodam , & modo se habendi huiusmodi rei in comparatione , & respectu ad essentiam communem , & ad quodlibet aliud , quod consimilem habet distinctionem , siue in vna essentia singulari , vt contingit in diuinis , siue in vna essentia specifica vt in hominibus , &c.*

Quia vero deficit realitas communitatis fundamentalis in qua

qua conueniant singularia respectu conditionum singularium, quibus distinguuntur ad inuicem, dicitur intentio omnino secunda nullius realitatis eo modo, quo etiam nomen personæ dicitur de Petro, & de Paulo, *qua habet rationem* (inquit Henricus ibidem) *accidentis non existentis in re, sed solum in conceptu intellectus, etc.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

ARTICVLVS IX.

QVÆSTIO II.

An perfectas sit essentia substantiæ.



PRO parte negativa. Arguitur primo. Illud est de essentia substantiæ à quo substantia talis formaliter dicitur, sed substantia tam dicitur à subsistendo, quam à substando: ergo vtrumque est essentia illius. Maior patet. Nam formalitas rei est essentia ipsius, ita ut in tantum rei quidditas innotescat, in quantum innotescit eius formalitas. Minor vero est Henrici art. 32. q. 5. *Ut tale prædicamentum non solum dicatur substantia, ab in re existendo, sed ab alteri se substituendo.* Quasi dicat vtrumque ex æquo conuenit ad substantiæ prædicamentum constituendum, scilicet & esse per se, & alteri substare.

Secundo. Si perfectas, siuè esse per se, esset essentia substantiæ, tunc quod est per se, esset in prædicamento substantiæ. Sed Deus est per se, & tamen non est in prædicamento substantiæ: ergo perfectas non est essentia substantiæ. Maior probatur; quia participantia rationem formalem alicuius, in prædicamento illius esse debent. Minor vero concedi debet ex dicendis

dis, quia non substat accidentibus, & patet ex dicto ipsius art. 32. q. 5. *Est enim Deus verissimè existens in se, licet non alij ut accidenti subsistat, &c.* Ex defectu vero huius secundi connotati Deum à prædicamento excludit Henricus.

Tertio. Substare accidentibus est principalius constituens substantiam prædicamentalem, quam per se existere: ergo substare, & non per se esse, est essentia substantiæ. Consequentia non eget probatione, cum formalitas constitutiva prædicamenti sit ipsa formalitas rei constituendæ in prædicamento. Antecedens vero est Henrici art. 26. q. 2. *De ijs enim rebus rectè intelligitur substantiam dici, in quibus juns ea, que in aliquo subiecto esse dicuntur.* Ex quibus verbis colligitur substantiam dici potius à substando, quam à subsistendo. Imò ibidem explicando quomodo accipi debeat illa definitionis pars, *non est in subiecto*, quod nos explicamus de esse per se Henricus ibidem ait. *Per hoc habet, quod possit esse subiectum alteri, ut accidenti, &c.*

Notatur primo. Perseitatatem, siue esse, vel existere per se, siue subsistere, posse in proposito capi dupliciter, vel esse actu, vel esse fundamentaliter, & aptitudine. Quod res sit actu per se existens, certum est esse aliquid huic rei essentiale, non tamen potest dici essentia ipsius substantiæ, quia quatenus huiusmodi habet sibi accidentale, quod hoc, vel illud actu sit. quodl. 10. q. 7. ait Henricus non constitui prædicamentum per existentiam. *Tunc enim essentia rerum seipsis ex suo esse essentia non constituerent prædicamentum, sed suo esse existentia, nec esset aliquod prædicamentum, nisi essentij existentibus in natura, cuius contrarium vult Avicen.* Debet itaque abstrahi ab hic & nunc, & considerari in substantia illa radicalitas aptitudinis, quam habet ad essendum per se, itaut si detur illi existentia, illam recipiat non per modum inherētis alteri, sed secundum se absolutè, & quemadmodum essentia accidentis consistit in aptitudinali inherētia, ita essentia substantiæ de-
bet

bet desumi ex aptitudinali perfectitate, secundum quem modum intelligitur quod substantia semper sit prior accidente, vnde Henricus art. 21. q. 2. *Substantia prior est accidente, quia est causa accidentium, & cadit in eorum definitione.* Quia licet per miraculum possit sine substantia esse accidens, illa tamen perfectitas est secundum quid, quia reperitur in accidente naturalis aptitudo ad inaleitatem, siue inhærentiam, & ita proportionaliter de substantia loquendum est, si enim miraculosè sit substantia non subsistens in se, sed in alio, vt Christi humanitas, illa est inaleitas secundum quid, & impropria, cum habeat talis substantia in se radicaliter modum perfectitatis, quæ potest per se ipsam subsistere.

Notatur secundo. Absoluta semper esse priora reatiuis, cum sint veluti ipsorum fundamenta. Nihil enim reatiuum, vt tale, cum sit accidens, potest esse de essentia alicuius absoluti; cum debeat temper prius concipi res in se, quàm in ordine ad aliud. Vnde relationes fundantur in absolutis, de quibus loquens Henricus art. 66. q. 2. ait de illis, *quæ consequuntur ex natura rerum, secundum hoc dicuntur fundari super res absolutas, &c.* Et in hoc capite de substantia ait Philosophus, quod de structis primis substantiis, nihil remanet; quatenus scilicet reliqua omnia sunt in primis substantiis quoad realitatem existentiam fundatæ, vnde deserviunt omnes respectus reales, & omnia accidentia realia, quæ in ipsis repetiebantur ex eo, quia omnia, quæ sunt quid secundarium, præsupponunt, quod primarium, & absolutum est. Quibus positus sit.

Conclusio. Perfectitas est essentia substantiæ.

Explicatur. Habere in se fundamentaliter, siue aptitudinaliter rationem existendi per se, siue subsistendi, est ipsa ratio substantiæ, & essentia eiusdem, non autem substantiæ acciden-

dentibus, quod solum est proprietas illius.

Est Henrici art. 21. q. 2. *Nomen substantia dicit aliquid; quod est ens, non existens in alio, ut in subiecto, &c.* art. 26. q. 2. ad tertium. *Esse substantia est in eo, quod esse subsistendi participat*, art. 32. q. 5. Dux sunt rationes, quarum vna est esse in se, non in alio, alia vero esse in alio. *Quarum prima est propria ratio substantia, secunda est ratio communis accidentiũ, &c.* & post plura. *Propria ratio predicamenti substantia est secundum se existere, & predicamenti accidentium communiter inherere alteri*, art. 66. q. 1. *Modus essendi secundum se, & absolute, aut est modus essendi secundum se, & est proprius predicamento substantia, &c.*

Probatur ratione sic. Essentia alicuius rei est illud, quod habet rationem absoluti, & respicit formalitatem constituti- uam illius distinctè ab omni alio, sed esse per se, est huiusmodi in substantia; ergo est essentia substantiæ. Minor probatur ex art. 66. q. 1. quemadmodum & maior.

A primam obiectionē quod. *Substantia dicitur non solū à per se existendo, sed à substituendo se alteri*, Dicendū. Ibi accipi substantiam secundum totum aggregatum ex essentia, & proprietate, vnde immediatè loco citato art. 32. q. 5. subiungit Henricus. *In quo consistit duplex ratio predicamenti substantia, prima in se absolute, secunda in respectu ad predicamenta accidentiũ, &c.* Et hanc rationem à prima ait separabilem esse, quia non est connexa cum illa, nisi in substantia creata. Ex quo patet, quod cum per Henricum distinguatur talis ratio in absolutam, & respectiuam, & hanc non necessario cum prima connexam, recognosci pro essentia ipsius substantiæ perfectitatem, siue subsistere, & ibidem explicat sic. *Corpus enim subsistat, & ideo substantia est, & ita, quia non est hoc ei esse, quod illam, vel istam formam, coloremue retinere, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad secundam quod. *Deus excluditur à predicamento substantia*

stantia, quia non substat accidentibus. Dicendum rationem huiusmodi esse inadæquatam. Excluditur Deus, quia est subsistens habens necessarium suum esse, excluditur quia infinitus est in essendo, & quia non est compositus ex esse, & essentia, ut suo loco dicitur. Quod vero deficiat hoc connotatum, signum est, quod subsistere Dei est alterius rationis, & ordinis à subsistere creaturæ. Unde habet Henricus art. 32. q. 5. *Res predicamenti substantia nullo modo Deo attribuitur, nisi secundum modum eminentiorem, &c.* Affert vero disparitatem inter Deum, & Creaturam. *Quia illi (idest Creaturæ) ratio esse essentia non convenit ratione rei secundum se, sed solum in quantum est diuinum exemplatum. Deus autem est res, quæ est ipsum esse essentia sua, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Ex Henrico illa est substantia, cui convenit aliquid, ut substantia inharens.* Dicendum ibi accipi substantiam secundum suam qualitatem, non autem secundum essentiam suam. Quemadmodum si quis diceret, homo est cui convenit risibilitas, diceret de homine proprietatem duritiam, & hoc ex ipso textu Henrici clare apparet loco citato art. 26. q. 2. *Substantia habet rationem generis, hoc est, quia dicit essentiam, de cuius ratione est, ut sit id, cui convenit, quod negatur esse in subiecto, ratione cuius essentia habet deinde, quod possit esse subiectum alteri, ut accidenti, &c.* Loquendo vero de hac proprietate subiungit, quæ adducuntur in argumento. Remanet itaque indubitatum essentiam substantiæ consistere præcipue in subsistendo, & perfectitate; In substando autem habere proprietatem suam, quemadmodum per rationalitatem habetur quidditas hominis; per risibilitatem vero eius proprietas. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

ARTICVLVS IX.

QVAESTIO III.

Virum Deus sit in prædicamento.

R O parte affirmatiua. Arguitur primo. Quicquid continetur sub ente, vel est substantia, vel accidens, sed Deus continetur sub ente: ergo vel est substantia, vel accidens, & sic erit in prædicamento. Maior patet, quia ens non habet conceptum diuersum à suis differentijs contrahentibus; ex quo dictum fuit in præcedenti ipsum non esse genus ex Henrico, Minor vero est Henrici art. 26. q. 1. in argumento contra, ubi habet, quod Deus est ens, quia certitudo, res; & natura aliqua dicitur de ente, quæ omnia Deo conueniunt.

Secundo. Inter Deum, & creaturam est aliqua vnitas saltem minima: ergo Deus cum illa est in prædicamento. Probatur consequentia, quia prædicamentum includit ea, quæ saltem genericè sunt vnum. Antecedens vero patet, quia esse creaturæ est quædam participatio esse Creatoris. Vnde dicebat Henricus art. 75. q. 6. ad tertium. *Vnum quid sunt esse creata, & increata, & esse creati, & increati, &c.*

Tertio. Quæ conueniunt in ratione analogæ entis, illa ponuntur in prædicamentis; sed Deus, & creatura conueniunt in ratione analogæ entis: ergo Deus, & creatura ponuntur in prædicamentis. Maior nota est ex præcedenti, ubi conclusum est ens esse analogum ad prædicamenta substantiæ, & accidentis. Minor vero probatur ex Henrico art. 29. q. 1. *Esse autem simpliciter est commune analogum creaturæ, & creatori, &c.*

Quartò. Omne produçens produçit sibi simile, & vniuocatur cum illo; sed Deus est produçens creaturam: ergo vniuocatur cū illa, & ponitur in prædicamento. Maior apud Philosophos est certa. Nec est recurrendum ad produçionem æquiuocam, qualis est solis respectu sublunarium, nam vt habet Henricus art. 27. q. 2. ait. *Sicut aliquod generatum a sole, & si non accedat ad similitudinem speciei cum sole, vs recipias formam solis, accedit tamen ad aliquam imitationem speciei solis, vs recipiat formam aliquo modo proportionabilem, & correspondentem formæ solis, &c.* Minor vero est de fide. Quod si dicas Deum produçere quidem creaturas, sed non assimilare sibi eas, Contra est Henricus ibidem. *Quare cum forma diuina sit ipsum esse, a quo omnis creatura mutuatur nomen essendi in quantum est causa eius; necesse est dicere, quod saltem in esse, Conuenientia imitationis communicet creatura cum Creatore, &c.*

Quinto. Deus & creatura differunt à non esse, siue non ente per entitatem suam: ergo talis entitas erit illis communis. Antecedens patet, neque enim sunt non entia. Consequentia vero probatur, Nam illa, quæ faciunt duo differre ab alio, sunt communia ipsis differentibus, quæ cum differant ab alio, non differunt inter se. Explicatur sic. Socrates, & Plato differunt per rationalitatem ab equo, & ideo rationalitas est communis Socrati, & Platoni, nam per ipsam non differt Socrates à Platone. Cum itaque per suam entitatem differant Deus, & Creatura à non ente, iam entitas illa erit communis Deo, & Creaturæ, & quemadmodum per ipsam constituitur creatura in prædicamento, ita & Deus ad quod adduci posset Henricus art. 75. q. 6. *Deus est de numero omnium entium simpliciter, & absque determinatione diſto ente: & comprehenduntur sub una distributione Deus, & Creatura, &c.*

Sexto. Quicquid verè, & propriè est substantia, illud est in prædicamento substantiæ, sed Deus est verè, & propriè substantia: ergo est in prædicamento substantiæ. Minor patet ex

Hen-

Henrico art. 32. q. 5. *Ratio prædicamenti substantiæ, quæ est in se subsistere, vel potius existere, verissimè Deo conuenit, quanto uerius in se subsistit, quam alia, &c.* Minor uero probatur ex eodem art. 26. q. 2. ad tertium. *De substantia, quæ est prædicamentum, dicitur, quod est aliquid, quod non est in subiecto, &c.*

Septimo. Tandem & difficilior arguitur. Nam sunt in prædicamentis illa, quibus aliquod genus prædicamentale uniuocè conuenit. Sed Deo, & Creaturis conuenit uniuocè aliquod genus prædicamentale: ergo Deus etiam est in prædicamento. Maior supponitur tanquam fundamentum veræ sententiæ Henrici probandæ statim. Minor uero probatur, quia ex Henrico Relatio est uniuocè conueniens Deo, & Creaturis. Ita habetur art. 73. q. 3. *Quoad id, quod de proprio habent relationes in sua significatione, uniuocè significant in diuinis, & in creaturis, &c.*

Notatur primo. Tamquam certissimum, & indubitatum, apud omnes, & præcipuè apud Henricum, quod esse creaturæ est esse participatum ab esse diuino, quatenus Deus per creationem dedit tale esse creaturæ, à se productæ, ratione cuius esset creatura aliquo pacto suo Creatori conformis. Vnde egregiè Henricus quodl. 1. q. 9. *Creatura participat esse Dei in eo, quod est in sua essentia quadam diuini esse similitudo; sicut imago sigilli, si esset in se subsistens extra ceram in sua essentia, esset quadam similitudo sigilli non per aliquod additum ei, &c.* Ratione uero huius participationis, & essentialis dependentiæ, quam habet creatura à suo Creatore dicitur esse composita ex esse & essentia, & essentia illius non est ipsum esse creaturæ, unde Paulo post subiungit ibidem Henricus. *Esse enim habet in quantum alterius effectus est. Non esse autem habet de se, & in illud non esse cadit, quando ille, qui fecit, quod est, conseruare desinit, &c.*

Notatur secundo. Attendendam maximè esse in Deo ratio-
nem

in nem actus puri, & necessitatis, essendi, quam habet à quibus deficit omnino creatura; *Essentia enim diuina* (inquit Henricus art. 32. q. 5.) *dicitur aliquid, quod est necesse esse, & essentia creatura dicitur aliquid, cui ab alio contingit esse, &c.* Ex summa itaque actus puritate, & essendi necessitate oritur infinitas perfectionis diuinæ essentia, quemadmodum ex opposito ex dependentia sua, & ex propria defectibilitate habet creaturam, quod sit finitæ perfectionis, ita ut neque de potentia absoluta Dei censeatur posse infinitam perfectionem recipere, quod tamen est alterius speculationis. Interim hoc sufficiat dixisse, quod ad rem nostram innuit Henricus quodl. 5. q. 3. *Non enim solum est inconueniens, quod uniuersitas creatura, aut aliqua creatura æquetur in omnibus diuina infinitati. Immo inconueniens est, quod secundum aliquam rationem infinitatis ei equiparetur, &c.* Quibus breuiter habitis sit

Conclusio: Deus non est in prædicamento.

Explicatur. Cum Deus cum Creatura non conueniat in ratione communi entis uniuoce, sed analogicè, non potest dici, quod in aliquo prædicamento constituatur.

Est Henrici quodl. 15. q. 5. *Decem prædicamenta in nulla re communi eis conueniunt, tamen in una ratione communi cõueniunt, quæ est esse ab alio, ut effectus a causa in quo generaliter differretatio omnis eius, quod est in prædicamento a ratione diuina natura, &c.* art. 21. q. 2. *Esse non est aliquid commune reale, in quo Deus communicet cum Creaturis: & ita siens, aut esse prædicatur de Deo, & creaturis, hoc est sola nominis communitate, nulla rei, & ita non uniuocè per diffinitionem uniuocorum, nec tamen purè æquiuocè secundum definitionem æquiuocorum a casu, sed medio modo, ut analogicè, & eodem art. 21. q. 3. *Ens quod est primum non est nisi purus actus, ens autem principiatum quantum est de se non est nisi in potentia pura, esse**

in potentia nullo modo conuenit Deo; nec in esse hoc communicat
 cum creatura, esse enim esse secundum quid, quia ens in potentia
 solum in quantum huiusmodi simpliciter est non ens: quale ens
 quantum est de se, est omne creatum, &c. art. 26. q. 2. ex pro-
 fesso tractat propositam difficultatem, & concludit. Deus non
 est res alicuius predicamenti, sed res predicamenti solummo-
 do sunt, quae sunt ab ipso, &c. Quod deinde multis modis effi-
 caciter probat, quod nobis posset sufficere, sed ad vberiore
 doctrinam addam alia eiusdem loca art. 29. q. 1. *Esse autem
 simpliciter est commune analogum creaturae, & Creatori*, art.
 32. q. 5. diffuse probat, res predicamenti secundum proprietate-
 tem non esse Deo attribuendas. *Es propter illam rationem rei,
 contingit, quod nulla res predicamenti cuiuscumque ad diuina
 translata manet, sed mutatur in diuinam substantiam, quae est
 suum esse*, & probat de singulis predicamentis, &c. art. 43.
 q. 4. *Cum omne imperfectum, & diminutum habeat reduci ad
 perfectum oportet ascendere ad creatorem in ipso ponendo com-
 pletam rationem totius, & perfecti, & quia nihil est completius,
 & perfectius, vniuersitas creaturae cum ipso, quam ipse per se,
 quia nihil melius, &c.* & denique art. 75. q. 6. ad tertium. *Pro-
 pter analogiam esse, quae est inter Deum ex una parte, & crea-
 turam simpliciter, &c.* Ex quibus breuiter in forma

Probatur conclusio. Illud non est in predicamento, quod
 non communicat vniocè in aliquo cum constitutis sub præ-
 dicamento, sed Deus non communicat in aliquo vniocè cum
 creaturis: ergo non ponitur in predicamento. Minor probatur:
 quia Deus est actus purissimus. Creatura vero secundum se
 est ens in potentia; Deus est infinitus, creatura finita, &c. Ma-
 ior vero supponitur ex dictis superius.

Ad primam quod. *Deus continetur sub ente vnde vel est sub-
 stantia, vel accidens.* Dicendum de ente posse nos loqui du-
 pliciter; primo accipiendo ens secundum aliquam sui determi-
 nationem, & sic re vera concedi debet illa maior. *Omne quod
 est*

*est ens vel est substantia, vel est accidens. Quia si enti apponatur aliqua limitatio, siue determinatio, vt puta creati, vel participati, tunc hoc ens creatum, vel participatum habet necessario, quod sit vel substantia, vel accidens, & sit analogum, aliquod, ex quo prædicamenta constituuntur. Secundo accipiendo ipsum ens indeterminate, & illimitate, & sic illa maior est falsa, vnde bene dicebat Henricus art. 28. q. 3. *Ensi in quantum ens est, nulla potest esse differentia informans ipsum.* Et loquitur de ente sumpto communissime, & art. 26. q. 2. ad primum. *Ens analogum Creatori, & Creaturae est ens communissime dictum, & sub intentione simplicissima, siue omni additione accepta, & diuiditur per puram negationem, & affirmationem sic. Entium quoddam est non ab alio existens, quoddam est ab alio existens. Ens analogum substantia, & accidenti est ens sub determinatione, id est ens quod est aliquid participans esse, quod diuiditur in substantiam, & in accidens per esse in subiecto, & non esse in subiecto. Deus itaque licet dicatur esse sub ente, non tamen est sub ente analogo substantia, & accidenti, quia neque Deo conuenire potest esse in subiecto, neque esse subiectum. Ad formam itaque distinguitur maior.**

Ad secundam quod. *Inter Creatorem, & Creaturam est aliqua vnitas, & identitas saltem generica. Dicendum vnitatem attendi posse, vel secundum vniuocationem generis, vel secundum solam analogiam imitationis, & dependentia. Vnitas constitutiua prædicamenti est vnitas vniuocationis, & conuenientia secundum esse; At vnitas inter Creatorem, & creaturam non est huiusmodi, sed solius imitationis. Vnde non concluditur, quod Deus cum sua Creatura in prædicamentis debeat reponi. Deducitur hæc doctrina ex Henrico eodem, art. cit. 26. q. 2. ad secundum. *Creator, & Creatura sunt vnum analogia imitationis, quia creatura omne esse, quod habet ex imitatione, & participatione diuini esse.* Quod vero dicat Henricus in loco citato in arg. art. 75. q. 6. ad tertium. *Quod*
vnum*

unum sunt esse creata, & increata, statim se declarat, sed differens in hoc, quod increatum est per essentiam suam, creatura vero solummodo est ab illo secundum quod effigies Dei est (& Paulo post) In quantum creatura est effigies increati, est quoquo modo ipsum increatum, & esse suum similiter esse illius, & quoad hoc ens uniuocè significat illa duo. In quantum autem ipsum creatum deficit à veritate increati, omnino est aliud ab illo, & quoad hoc æquiucè significat illa duo, & per hunc modum analogia media est inter simpliciter uniuocationem, & æquiocationem puram. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad tertiam quod. *Quæ conueniunt in ratione analogæ entis illa sunt in predicamento.* Dicendum verum de illis omnibus, quæ sunt sub analogia entis limitati per creationem, & per participationem. Falsum de illis quæ sunt sub ente omnino simplicissime sumpto, vt dicebamus etiam ad primam. Dicit fortasse quis, analogiam illam entis ad creatum, & increatum esse solius nominis, cum sit ratio solius similitudinis, quæ non habet facere, nisi quid extrinsecum; est enim similitudo secundum se accidens; & tamen dicendum est in aliquo alio magis quam in solo nomine conuenire creaturam cum Deo. Respondeo vtique plusquam in nomine solo conuenire, & cum dicitur similitudinem non esse nisi accidens; dico verum esse, nisi fundetur in rei dependentia essentiali. Vnde benè ad propositum Henricus art. 2 1. q. 2. ad 2. arg. in opp. *Vnde si talis imitatio non esset esse creaturæ ad esse Creatoris, nulla diceretur esse inter eos communitas in ente, nisi vocis solum, & esset ens purè æquiucum ad Creatorem, & Creaturam, cum modo sit analogum; secundum etiam, quod accidens, quia participat esse per substantiam, quia est dispositio eius, ideo est aliqua communicatio analogiæ eorum in ente, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad quartam quod. *Omne produçens uniuocat sibi produ-*

*Etum, assimilando sibi ipsum, exemplificando de sole. Dicendum re vera omne agens aliquo modo agere ad assimilandum: & quemadmodum agens naturale assimilat sibi suum productum in natura, ita agens voluntarium assimilat sibi suum productum, non ut habenti tale esse, sed ut volenti tale esse, & in hoc sensu conceditur Deum assimilare sibi creaturam suam, quatenus secundum exemplar, & secundum modum diuinæ voluntatis producit, sed talis productio est omnino dicenda æquiuoca, ut etiam productio solis respectu sublunarium. Vnde Henricus art. 73. q. 3. ad primum. *Disco ergo, quod sicut Deus, & Creatura in nullo uniuocantur, sic non est uniuoca, sed æquiuoca productio, qua producit Creaturam, & necessario præsupponit uniuocam, quæ est filij ad intra, &c.* Quod vero adducitur ex art. 21. q. 2. de sole sibi assimilante aliquo modo productum à se, intelligendum est de productione æquiuoca. Vnde ibidem subdit Henricus. *Neceesse est dicere, quod saltem in esse conuenientia imitationis communicet Creatura cum Creatore, & ita quamuis in nulla conuenientia realis similitudinis in aliqua forma significata nomine entis communicet; conueniunt tamen in ente conuenientia imitationis forma ad formam, quarum unam significat ens in quantum conuenit Deo, aliam uero in quantum conuenit Creatura, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.*

Ad quintam quod. *Per suam entitatem, tam Deus quam Creatura differunt à non ente: ergo in entitate conueniunt.* Dicendum. Alio modo Deum differre à non ente, & alio modo Creaturam; Ille differt à non ente per suam essentiam, & per esse necessarium omnino, cum sit simplicissimus actus. Creatura uero differt à non ente per entitatem participatam ab ipso Deo, & per conuenientiam imitationis ad illum. Ita Henricus art. 21. q. 2. ad primum. conueniunt Creator, & Creatura in ente per quod differunt à non ente; ait. *Verum est conuenientia imitationis forma creatura ad speciem Dei hinc inde*

de significatum nomine entis, non autem conuenientia reali alius similitudinis, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad sextam quod. *Deus est verè, & propriè substantia: ergo est in predicamento.* Dicendum nomine substantiæ duo intelligi primum subsistere, secundum substat. Certum est, quod Deus subsistit perfectissimè, & ex hac parte potest vocari substantia, sed non substat, & tamen vtrumq. substantiæ prædicamentali est necessarium. ex eo itaque, quod Deus est in se perfectissime suum esse, non potest esse substantia prædicamentalis, quæ composita est ex esse, & essentia, ex actu, & potentia; & his similibus. Quod vero subsistat, & ideo sit substantia, dicit Henricus art. 26. q. 2. ad tertium. Deum melius dici essentiam, quam substantiam. *Quia ergo nomen essentia Deo attribuitur ratione esse affirmati, nomen vero substantia ratione negationis essendi in subiecto, verius & perfectius attribuitur Deo nomen essentia, quam substantia.* Quod si adhuc contendatur nomen substantiæ bene Deo attribui dicitur ex Henrico art. 32. q. 5. *Non cadit in Deo res prædicamenti substantia, quia ipsa compositionem facit cum esse, quod in se recipit. Deus autem nequaquam, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad septimam quod. *Relatio conuenit Deo, & Creaturis vniuocè.* Dicendum. In relatione duo consideranda. primum est realitas ipsius, qua dicitur quid reale in alio, qua ratione ponitur inter prædicamenta, & sic nominat quid commune Deo, & Creaturis. Secundum vero est sola significatio secundum rationem conueniens prædicamento Relationis, & sic dicit esse Ad. & habet significationem vniuocam in Deo, & Creaturis Henricus ipse se explicat loco citato in argumento ar. 73. q. 3. *Relationes, quia proprias res non dicunt, sed manent secundum rationem illam in diuinis, quam tenuerunt in creaturis, & ideo quoad id, quod proprium habent relationes in sua*
Y 2
signi-

significatione, uniuocè significant in diuinis, & in Creaturis non sic prædicamenta absoluta, sed aspiciendo ad relationem, quàm relationes contrahunt in suo significato ex prædicamentis superque fundantur, bene mutantur relationes translata ad diuina sicut, & alia. in diuinis substantia non est substantia scilicet talis qualis est in creaturis, sed super substantia, sic in diuinis paternitas non est paternitas talis, scilicet qualis est in Creaturis, sed super paternitas, &c. Ut vero aliquid dicatur uniuocè, & trahat sua contenta ad prædicamenta, debet considerari potius secundum realitatem, quam secundum solum significandi modum. Omnia ergo nomina dicta de Deo, & Creaturis æquiuocè sumenda sunt, ut ibidem subiungit Henricus. Dico generaliter, quod nomen significans communiter Deum, & Creaturam aut aliquid, quod est in Deo, & in Creatura necessario significat illa æquiuocè, & non uniuocè, &c. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

ARTICVLVS IX.

QVAESTIO IV.

An Deus saltim reductiue sit in prædicamento substantiæ.

RRO parte affirmatiua Arguitur primo. Si Deus etiam reductiue à prædicamentis excluditur, præcipua ratio erit eius infinitas, sed ratio infinitatis eius non obstat: ergo Deus est in prædicamento substantiæ saltim reductiue. Maior videtur superius concessa, & admissa; nam infinitas Dei est veluti omnium perfectionum radix, cum definiatur ab Henrico art. 44. q. 1. *Quære vera nihil aliud est, quam*
iux.

immensitas quadam, & magnitudo specialis absque termino, qua omnia in se continet, & omnem perfectionem, &c. Minor vero probatur de quantitate, quæ est vniuoca ad finitam, & infinitam, vnde data per impossibile quantitas infinita, esset proculdubio in prædicamento quantitatis. Quod loco proxime citato non negat Henricus. Nam ad propositionem. *Ratio infiniti quantitati congruit* (Respondet) *Discendum, quod istud intelligitur de infinito per extensionem, vel partium multitudinem, vbi amplectitur quantitatem infinitam esse veram quantitatem.*

Secundò. Illud reductiuè in prædicamento poni debet, quod habet communicationem, & conuenientiam, cum prædicato proprio eorum, quæ sunt in prædicamento, sed Deus per communicationem Idiomatum dicitur mortuus, quia est mortuus Christus: ergo etiam dicitur esse reductiuè in prædicamento, in quo directè est Christus. Maior probatur, quia ex conuenientia in prædicatis, arguitur conuenientia in prædicamentis Minor vero est Theologorum, & Henriciquodl. 1.0. q. 3. ex Augustino. *In cruce idem Deus homo factus iacuit, & ab inferis idem Deus homo tertia die resurrexit.* Quod dici nequit, nisi, quia erat suppositum Christi suppositum diuinum, & ratione naturæ assumptæ, quicquid operabatur Christus dicebatur operari Deus.

Tertio. Mensura saltem reductiuè est in prædicamento sui mensurati. Sed Deus est mensura omnis substantiæ: ergo saltem reductiuè est in prædicamento substantiæ. Maior probatur ex Philosopho 4. Metaph. *Vnumquodque mensuratur aliquo sui generis.* Minor verò est Henrici art. 26. quæst. 2. *Deus potest dici primum, & minimum, siue mensura in genere entis, &c.*

Notatur primo. Illa ad prædicamentum esse reducibilia, quæ habent rationem partis, quemadmodum sunt materia, forma, vel quasi partis, vt passionis, & priuationes. Ita etiam

re-

reducibilia sunt principia, quæ sunt quid imperfectū secundū se, ut punctus, & unitas reducuntur ad quantitatem, quia sunt aliqua terminatiua, vel copulatiua illius partis. Quæ vero excedunt rem prædicamentalem, & non contrahuntur ad esse limitatum specierum vel partium, vel alicuius huiusmodi, Non possunt neque reductiue esse in prædicamento. Ita transcendentia dicuntur esse extra prædicamenta omnino, quia vel communia sunt omnibus prædicamentis, vel illa excedunt, itaut nullo modo conceptus ipsorum sit ad prædicamenta contrahibilis. Ens ipsum non est in prædicamento, quia nequit esse genus teste Henrico art. 26. q. 2. *Quod significatur hoc nomine ens, non potest habere rationem generis secundum, quod probat Philosophus 3. & 4. Metaph.* Immo ex iplo ente per substantiam importato habetur opposita ratio ad prædicamentum. Vnde si dicatur substantia est ens, per ly ens tollitur à substantia ratio prædicamenti. Ita Henricus ibi Paulo post. *Cum igitur dicitur, quod substantia est ens, quod non est in subiecto ex affirmatione signata nomine entis in ipsa, non potest habere rationem generis prædicamenti, &c.*

Notatur secundo. Quicquid in genere ponitur etiam reductiue saltim improprie debere esse, vel genus, vel speciem, vel indiuiduum illius prædicamenti, in quo quid ponitur. Nec est assignabile aliud, quod possit esse. Quamobrem Henricus hoc idem docens loco citato art. 26. q. 2. ait. *Omne quod est in genere est species sub ipso, vel indiuiduum sub specie eius aliqua consentum, &c.* Ut vero ita sit, debet necessario per aliquas differentias contrahi, & limitari, sicut subiungit ibidem Henricus. *Quicquid autem est in genere, habet in se determinationem esse generis, &c.*

Conclusio. *Deus neque reductiue potest in prædicamento substantiæ poni.*

Explicatur. Deus ita est extra omne genus, & supra genus substantiæ, vt neque reductiue possit sub illo contineri, cum omnimodam, & simplicissimam habeat essentiæ, infinitatem.

Est Henrici apertissima art. 26. q. 2. vbi habet. *Manifestum est Deum abusiue substantiam vocari, &c.* & post aliqua clarius ait. *Deus verissimè potest dici substantia, licet non dicatur nisi abusiue substantia secundum rationem prædicamenti.* Quod autem abusiue dicitur non potest habere reducibilitatem ad illud.

Probatur. illud reductiue ponitur in prædicamento substantiæ; quod est pars ipsius, vel essentialis, vel integralis, vel passio, vel cætera huiusmodi. Sed Deus nullum istorum potest esse: ergo Deus omnino neque reductiue est in prædicamento substantiæ. Maior, & minor patent satis ex dictis, &c.

Ad primâ obiectionē quod. *Quantitas est uniuoca ad finitâ, & infinitam; ergo etiam infinita substantia potest ad prædicamentum substantiæ reduci.* Dicendum, alio modo se habere infinitatem simpliciter in genere entis, & alio in genere quantitatis. Infinitas enim quantitativa, si daretur, esset duntaxat infinitas secundum quid, quatenus scilicet haberet rationem partis, & imperfecti. Deus vero habet infinitatem perfectionis, quatenus ab ipso est omne aliud esse. Vnde non est par ratio. Disparitas, quam assigno, est Henrici art. 44. quest. 1. *Infinitum in Deo habet rationem totius, & perfecti; infinitum vero in creaturis habet rationem imperfecti, & partis, &c.* Et vt rem melius explicet, subiungit post pauca differentiam inter infinitum quantitatum, & substantiale, quale est diuinum. *Quantum infinitum in vno simplici non habet inconfusibiliter*

liter, & vnite rationem omnis quanti; sed diuisibiliter, & distincte (Paulo post) Infinita vero substantia cuiusmodi est Deus in vno simplici esse secundum quod est infinitum, quod est sua substantia, inconfusibiliter, & vnite habet omnem rationem essendi, etc. Quamobrem data quantitas infinita esset vniucè quantitas cum finita, sed substantia infinita, à qua est omnis alia substantia finita, non potest se habere vniucè ad illam neque reduci ex rationibus assignatis. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Deus dicitur homo, et dicitur mori, quia suppositum diuinum terminat humanam naturam Christi: ita cum Christus sit in prædicamento, etiam Deus dicitur reduci ad prædicamentum.* Dicendum quod aliqui habent concedere, quod ea ratione, qua Deus ob idiomatum communicationem dicitur mortuus mortuo Christo, ita possit dici, Deus per Christum esse in prædicamento, sed hoc est maximum inconueniens; nam dicere Deum esse in prædicamento, est dicere Deum non esse infinitum, non esse actum purissimum, & non carere compositione generis, & differentię. Attendenda maxime est differentia inter terminos prædicationis realis, & prædicationis intentionalis. Nam in prima prædicatione non potest esse error, quia Deus dicitur mortuus, quatenus Christus cuius suppositum diuinum est, dicitur mortuus, & hæc est idiomatum communicatio tenens solum in prædicationibus realibus. At vero prædicatio intentionalis cadit super purum subiectum, & illud simpliciter tale denominat. Vnde bene Henricus argumentum Aduersariorum vocaret fallaciam accidentis, vt vocauit illam art. 75. q. 2. ad quintum. *Tali enim prædicatione esset fallacia accidentis sicut si per inbarentiam diceretur Petrus est homo: homo est species, siue vniuersale: ergo Petrus est species, siue vniuersale, & fundamentum huius fallacię est, quia prima propositio est de quid est: secunda vero de quo est.* Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad

Ad tertiam quod. *Deus est mensura omnis substantiæ, mensura autem est saltem reductiuè in genere mensurati* Dicendum distinguendo de mensura vniuoca, vel æquiuoca; Deus dicitur quidem mensura substantiæ, sed in ratione analogâ, non autem vniuoca, & ideo non est reducibilis ad prædicamentum substantiæ. Vnde loco citato art. 26. q. 2. ait. *Henricus respondendo ad tertium argumentum. Deus dicitur mensura substantiarum non quia sit aliquid in genere substantiæ, quod prædicamentum est, nec quia solum sit mensura substantiæ, sed quia perfectissimè in se continet rationem illam, &c.* Ex quibus latet Deum nullo modo ad prædicamenta esse reducibilem. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, &c.

ARTICVLVS IX.

QVAESTIO V.

Vtrum Angeli sint in prædicamento substantiæ.



RO parte negatiua. Arguitur primo. Illud non est in prædicamento, cui ratio generis nequit competere; sed Angelis non competit ratio generis: ergo Angeli non sunt in prædicamento substantiæ. Maior est nota ex eo, quod diximus ex Henrico art. 26. q. 2. ubi habet, *sub genere continetur quicquid est res alicuius prædicamenti, &c.* Cum enim prædicamenta sint genera generalissima, debent se extendere in omne id, quod in ipsis continetur; neque est verum genus, quod habet sub se aliquid, quod non sit, vel eius species, vel indiuiduum. Minor vero probatur, nam ratio generis non competit nisi rebus materialibus. Vnde dicebat Henricus art. 28. q. 2. *Genus sequitur materiam in rebus*

materialibus, & forte non sequitur nisi materiam, ita quod non possit esse ratio generis, nisi in rebus materialibus. Et aperte asserit, non esse reponenda in prædicamento substantiæ, nisi materialia, siue composita ex materia, & forma, & sic omne compositum ex materia, & forma est species sub genere in prædicamento substantiæ. Angeli autem non sunt compositi ex materia, & forma: ergo nequeunt habere rationem generis, & esse in prædicamento substantiæ.

Secundo. Corruptibile, & incorruptibile non possunt esse in eodem prædicamento, sed Angeli sunt incorruptibiles: ergo non possunt esse in prædicamento substantiæ, in quo sunt corruptibilia. Minor est certa, corruptibilitas enim sequitur materiam physicam, & corpora. In Angelis autem nihil tale reperitur. Maior vero præterquam quod est Philosophi 10. Metaph. est etiam Henrici quodl. 9. q. 8. ubi ait. *Non esse univocationem inter corruptibile, & incorruptibile, quia non sunt circa eandem materiam differentia eorum, &c.*

Tertio. Cui non possunt competere proprietates substantiæ, illud non est in prædicamento illius, sed Angelis non potest competere suscipere contraria, quod est proprium substantiæ: ergo Angeli non sunt in prædicamento illius. Minor patet nam susceptio contrariorum inducit corruptibilitatem. Angeli autem sunt incorruptibiles. Maior vero est certa, quia cui non posset competere risibilitas, illi nec competeret esse hominem, cum hæc duo sint inseparabilia etiam de potentia Dei absoluta, ut conclusum a nobis est cum de proprio quarto prædicabili ageremus, quod idem sensit Henricus quodl. 7. q. 17. *Deserminat sibi forma hominis, quod ipse sit risibilis, &c.*

Notatur primo. Ad hoc ut aliquid sit in genere, requiritur necessario, quod sit ex genere, & differentia compositum scilicet ex genere contrahibili, & differentia contrahente. Sæpius enim diximus, genus habere rationem determinabilis. Immo genus ipsum sine differentijs contrahentibus se ad speciem

ciem, non est genus, vt benè notat Henricus art. 28. quæst. 3. *Intentio quam significat hoc nomen genus, non est genus, nisi quantum ad informationem, si enim non fuerit informatum alio non erit genus, &c.* Illud itaque, quod sub prædicamento constituitur debet ex ipso genere prædicamenti esse compositum, & sub differentia aliqua speciei constitutiva collocatum. Quod proprie vocatur esse in prædicamento, & ratione huius compositionis Deus in prædicamento non ponitur, né dicatur habere in se rationem generis, & differentia, quod implicare ex parte generis, ex parte differentia, & ex parte speciei, ibidem, probat diffuse Henricus.

Notatur secundo. Angelos esse omninò incorporeos, & immateriales, quod ex eo facile potest deduci, quia sunt omninò intellectuales; operatio autem intelligendi requirit immaterialitatem in operante, & hæc ratio vocatur summa ab Henrico quod l. 4. q. 16. *Cuius probatio est summa ex ratione operationis intellectualis, & hoc per ea, quæ dicit Philosophus circa intellectus nostri immaterialitatem, &c.* Cum enim Angeli sint superiores in gradu nature, & magis separati, quam intellectus nostri, oportet quod sint maioris simplicitatis, & immaterialitatis. Nihilominus Angeli carentes materia, & forma Physicè componentibus habent aliquid per modum formæ, & materiae Metaphysicæ; componuntur enim ex actu, & potentia in quantum (vt ibidem ait Henricus) *Omnis creatura deficit à diuina simplicitate, &c.* Componuntur quoque ex genere, & differentia in quantum (ibidem subdit Henricus) *Apprehenditur essentialis quædam similitudo in natura cõmuni super omnes Angelos secundum conceptum intellectus nostri qui idem simplex bene diuisis per diuersos conceptus, &c.*

Conclusio. Angeli sunt in prædicamento substantia.

Explicatur. Angeli, cum sint puri, immateriales, & incorporei

porci habent tamen differentias per quas contrahuntur ad vnum genus commune generalissimum substantiæ, quod unocè de illis prædicatur, & de substantijs corporeis.

Est Henrici quodl. 7. q. 8. *Ab homine, & Angelo est abstrahere unam intensionem communem substantiæ non æquiuocam, quemadmodum ens est æquiuocum ab substantiâ, & accidens.* Aduerte ly æquiuocum significaret analogum, vt sùo loco explicatum est. Ibidem etiam clarius. *In Angelis necesse est ponere compositionem ex genere, & differentia, & esse super illos genus aliquod commune ad corporalia, & ipsos, &c.*

Ad primum quod. *Genus sequitur materiam, & non potest esse in Angelis.* Dicendum opus esse distinctione generis lógici, & generis naturalis, quam alibi attulimus. Genus naturale sumitur à materia simul tamen cum forma, quæ sit materia generabilium, & incorruptibilium, qua ratione dicebat Philosophus. Genus esse eorum, quæ communicant in materia, & hoc genus attenditur penes diuersas transmutabilitates, non enim dicitur aliquid in aliud transmutabile, nisi penes idem genus materiæ generabilium. Et in hoc sensu semper loquitur Henricus, quando cum Philosopho dicit, genus sequi materiam, & non esse nisi in materialibus. Genus autem Logicum est in quantum consideratur intentio secunda, quæ nomine generis exprimitur, & de hoc genere loquimur in præsentî, & dicimus hoc sequi materiam solum Metaphysicam, scilicet compositionem ex esse, & essentia; ex actu, & potentia, & ex genere, & differentia. Quapropter Henricus loco citato quodl. 7. q. 8. *Vnde in Angelis ponimus verum genus logicum, licet non naturale, &c.* Ea præcipue de causa quia Angeli habent, quod per se existant, & conueniant in natura generica substantiæ, differunt autem per differentiam incorporitatis à substantia corporea, & habent distingui in varios ordines specierum secundum diuersas perfectiones ipsorum. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad

Ad secundam quod. *Corruptibile, & incorruptibile habens differre secundum genus.* Dicendum. Verum secundum genus naturale scilicet circa ipsam realitatē solam. Nam genus illud dicitur naturale (inquit Henricus ibidem) quia naturalis considerat formam generis, & est res præcisè, falsum autem de genere logico. Corruptibile enim etiam cum incorruptibili convenit generi logico; reddit rationem Henricus ibidem, quia significat communem intensionem realem ad illa duo, &c. Ex quibus patet, quid dicendum sit de Cælo; Si enim incorruptibile incorporeum ponitur in prædicamento, multo magis corporeum incorruptibile ratione generis logici. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam, quod. *Angelus non est susceptivus contrariorum, & non habet proprietatem substantia.* Dicendum secundum aliquos; Angelos esse susceptivos contrariorum accidentium suo modo, quatenus modo intelligunt hoc, modo verò oppositum, & possunt velle hoc, & velle oppositum, sed in hoc aliquam difficultatem habet Henricus, qui nullam in Angelis transmutationem recognoscens ait quodl. 4. q. 16. de intellectu nostro secundum commentatorē. *Quod non habet de intensione passionis, nisi hoc tantum scilicet, quod recipit formam, quam apprehendit, etiam in potentia ad eam nec transmutatur à forma quam apprehendit, quemadmodum sensus, quia non est materialis, &c.* Quæ multo magis de Angelo dici potest suscipere namque contraria arguit transmutationem aliquam in suscipiente, etsi intellectus noster non dicitur transmutari recipiendo, & apprehendendo formaliter, melius dicitur non transmutari Angelos neque proprie contraria suscipere. Dicendum etiam videtur secundum alios, Angelos habere ex diuersis, & oppositis volitionibus transmutationem aliquam non corruptivam, qualem habent corporalia, sed perfectivam suo modo, quatenus aliter se habet nunc volens hoc, & nunc volens illud, quod patet præcipuè si velit localiter

moueri, & locum iam acquisitum deserere. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

A R T I C V L V S I X.

Q V A E S T I O VI.

An proprietates substantiæ sint bene assignatæ.



PRO parte negatiua Arguitur primo contra primam. Nam Anima est vera substantia, sed anima est in corpore vt in subiecto: ergo aliqua substantia est in subiecto. Maior est certissima, & constat ex quodl. 1. quæst. 3. Vbi Henricus vocat animam aliquid. *Principalissimum in homine, vt ex hoc ipse intellectus, quodammodo possit dici homo, sicut vult Philosophus, &c.* Minor vero probatur. Nam ipsa informat corpus: ergo est in ipso, vt in subiecto, ex informatione enim sequitur denominatio, vnde ibidem subiungitur. *Impossibile est quod forma sit informans, & non denominans, vt quod aliquid sit informatum albedine, & non sit album, &c.* Ab Anima autem dicitur corpus animatum, quia scilicet ipsum corpus est animæ subiectum informantis, vnde quodl. 1. q. 4. de corpore Christi ab anima separato ait Henricus. *Potuit illud totum quoaamodo dici corpus substantia, non tamen sub tam perfecta ratione sicut cum informabatur ab anima, &c.*

Secundo contra secundam. Dantur propositiones optimæ, in quibus substantia prædicatur per accidens: ergo substantia non prædicatur inquit; Consequentia patet nam prædicari inquit, & prædicari per accidens opponuntur. Antecedens vero probatur. Si dicam Nautis est lignea, Cymbalū est argenteum, & his

& his similia, vbi lignum, & argentum sunt substantię, & tamen de naui, & Cymbalo dicuntur per accidens, cum neque nauis, neque Cymbalum sint indiuidua speciei ligni, aut argenti, neque vt species sub genere, & tamen hoc requiritur vt aliquid de alio dicatur per se. Vnde bene dicebat Henricus art. 26. q. 2. *Omne quod est in genere, est species sub ipso, vel indiuiduum.*

Tertio contra tertiam. Illud non est proprietas substantię, quod accidenti potest conuenire; sed esse hoc aliquid, significare potest hoc accidens pura hoc album: ergo significare hoc aliquid non est proprietas substantię. Maior probatur: substantia enim, & accidens sunt omnino diuersa, nec possunt in suis proprietatibus conuenire, quemadmodum conuenire non possunt in suis formis substantialibus, ex quibus oritur necessitas connexionis inter essentiam, & proprietates vt docet Henricus quoad. 10. q. 9. *Generans ignem, quia leuitas, & caliditas sunt per se proprietates sequentes formam ignis, simul disponit materiam ignis, vt sit necessitas ad recipiendum leuitatem, & caliditatem.* Minor vero probatur ex terminis. Nam hoc album dicitur hoc aliquid, & est aliquid singulare, singulare autem habet, quod non solum conueniat substantijs, sed etiam accidentibus, ita Henricus loquitur de singulari art. 53. q. 1. *Singulare inuenitur communiter in accidentibus, & in substantijs,* & Paulo ante loquens de indiuiduo ipso ait. *Non enim dicitur indiuidua natura, siue essentia, vt humanitas, vel albedo, &c.* Vbi rationem indiuidui tribuit etiam accidenti albedinis.

Quarto contra quartam. Differentię essentialis vt rationale, & irrationale sunt contrarię: ergo substantię aliquid est contrarium. Consequentia probatur; nam rationale est substantia, & contrariatur irrationali, quod est substantia, vnde substantia substantię erit contraria. Antecedens vero probatur. Nam semper hactenus dictum est differentias generis con-

tractiuas esse oppositas; & contrarias; & fauet Henricus quodl. 7. q. 8. *Ex contrario modo se habent differentia in latere corporis incorruptibilis, & corruptibilis, &c.* Vbi contrario modo se habere, sonat contrarietatem inter ipsas differentias; & præcipuè, cum vna sit negatio alterius vt patet ex terminis. *Rationale, & irrationale, vbi irrationale est non rationale.*

Quinto contra quintam. Quod est causa alteri, vt sit tale illud multo magis tale debet esse ex regula illa. Propter quod vnumquodque, &c. Sed propter substantiam. Qualitas suscipit magis, & minus: ergo etiam ipsa substantia. Maior patet. Minor vero probatur. Quia in quantum calor in ferro est magis intensus, quam in ligno, in quantum substantia ferri est densior, quam substantia ligni, & Henricus quo il. 10. q. 9. omnes operationes accidentium refundit in substantiam. *Causa proxima agens salium accidentium, & operationum sunt ipse forma rerum, siue totum compositum ratione forma tantum.* A formis ergo substantialibus habebitur remissio, vel intensio accidentium, & consequenter susceptio magis, & minus.

Sexto denique contra sextam. Non est proprietas substantiæ illa, quæ conuenit etiam quantitati, sed suscipere contrarias qualitates conuenit superficiæ, quæ est species quantitatis: ergo non est proprietas substantiæ. Maior ex ipsa proprii naturæ satis constat. Minor vero est Henrici art. 2. 1. q. 2. *Qualitas habet esse in substantia mediante quantitate, & quodl. 7. q. 17. Albedo nullo modo habet esse per se, & primo nisi in superficie, &c.*

Notatur primo circa explicationem singularium proprietatum. Prima proprietas, quæ est. Non est in subiecto, debet intelligi de subiecto inhesionis, neque enim substantiæ potest competere essentia accidentis, cuius essentia est aptitudinaliter alteri inherere: secundæ substantiæ si dicantur esse in alio, sunt quidem, non inherendo; sed potius veluti constituendo illius esse in intrinsecum, qua ratione dicitur omnis substantia

stantia creata consistere ex genere, & differentia. Secunda vero proprietas est quod secundæ substantiæ, & ipsius differentia uniuocè prædicantur, quia nomine, & ratione dicuntur de primis, hæc autè proprietas solū conuenit secundis substantijs, & nullo modo primis. Tertia proprietas, quod significet hoc aliquid, conuenit primæ substantiæ, quatenus est res determinata. Quarta proprietas; substantiæ nihil est contrariū. Contrarietas est duplex vna large sumitur pro quacumque repugnantiā, & sic possunt duæ formæ substantiales dici contrariæ, quatenus non se compatiuntur in eadem materia, sed est minus propria contrarietas. Alia est contrarietas strictè sumpta, quatenus intercedit inter duas formas se inuicem propria virtute expellentes ab eodem subiecto, & sic non est nisi inter primas 4. qualitates scilicet caliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem, & de hac proprietas ista substantiæ intelligenda est, quod scilicet substantia non potest alteri substantiæ esse opposita, vt sua virtute ab eodem subiecto illam expellat, & inuicem expellatur ab illa. Quinta proprietas est quod substantia non suscipiat magis, & minus; non quod ipsa non suscipiat qualitates magis, vel minus intensas, sed quia ipsa met non habet partes, secundum quas intendatur, & remittatur. Sexta tandem est, quod substantia susceptiua sit contrariorum; quatenus eadem manens potest exempli gratia modo esse alba, & modo nigra.

Notatur secundo, Proprietates non semper rigorosè sumendas vt semper sint propriæ quarto modo, sed satis est si aliquo modo ex illis quatuor conueniant illis, quibus vt proprietates ascribuntur. In quo sensu dicunt plerique, quod suscipere contraria, est proprietas conueniens seii substantiæ, sed non omni, quatenus non potest conuenire substantiæ incorporeæ, quæ qualitatū primarum, & accidentium realium non est susceptiua. In quo sensu loquitur Henricus de Angelis, quomodo sint receptiui alicuius accidentis quodl. 4. quæst. 16.

Licet Angelus recipiat, non tamen modo, quo materia recipit scilicet formas sub ratione particularis hic, & nunc, sed recipit formas sub ratione, qua formæ sunt simpliciter in vniuersali, & hoc obiectiue in cognoscendo non autem subiectiue. Sufficit itaque si aliquo modo proprietates conueniant substantijs, vt verificentur dicta Aristotelica.

Conclusio. Proprietates assignatæ substantiæ sunt optimæ.

Explicatur. Sex proprietates, quas assignat Aristoteles substantiæ prædicamentali, ita illi conueniunt, vt omnes aliquo modo Proprij dicantur illi competere.

Est Henrici varijs in locis vbi obiter de ipsis pertractat. De prima proprietate habetur locus art. 26, quæst. 2. ad tertium. *De substantia, quæ est prædicamentum dicitur, quod est aliquid, quod non est in subiecto, vt per esse aliquid designetur propria ratio quidditatis, per non esse vero in subiecto, remouetur ab eo omnis ratio accidentis.* De secunda ait art. 73. q. 3. ad secundum. *Vniuocationem non operatur conuenientia nisi secundum naturam, &c.* Agebat de secundis substantijs quomodo vniuocè prædicentur. De tertia art. 53. q. 1. *Hoc aliquid cum indiuiduo idem nominat secundum rem, &c.* De quarta quodl. 4. q. 15. *Dicit Philosophus. Inest substantijs nihil esse contrarium: non est autem subiecto proprium, sed aliorum multorum cuius causam subiungit, &c.* De quinta ibidem. *Vnaqueque substantia hoc ipsum, quod est, non dicitur magis, & minus, vt hæc substantia non est magis, & minus neque ipsa a se, neque altera ab altera, &c.* De sexta tandem quodl. 11. q. 6. *Motus supponit accidens in subiecto, quia est à contrario, vel à priuatiuo in contrarium, quemadmodum dealbatio præsupponit nigredinem, & contrarium albedinis producenda, vt videbitur in Phisicis.*

Pro-

Probatur vero ratione. Illæ dicuntur proprietates alicuius rei benè assignari, per quas habentur diuersi effectus illius, sed per assignatas habentur effectus substantiæ: ergo bene sunt assignatæ sex ille proprietates. Maior est nota. Minor vero patet ex notatis, & explicatis.

Ad primam obiectionem quod. *Anima est in corpore, ut in subiecto.* Dicendū aliquid esse in alio dupliciter posse intelligi, vel in aliquo, cui, quod inest, inhæreat, vel quod essentialiter componat illud, siue cum illo. Esse in subiecto proprie loquendo non conuenit nisi accidentibus, & aptitudinaliter consideratū est de essentia ipsorum, ut ex Henrico suo loco explicatum est. Itaque sit proprietates substantiæ, ab accidente condistingui. Inhærare autem alteri arguit compositionem accidentalem. Anima vero est in corpore componens cum illo essentialiter hunc numero hominem, unde concludit Henricus quodl. 1. q. 3. *Quod Christus non dicitur homo ex unione corporis, & anima in diuino supposito, sed solum ex unione ipsorum ad inuicem.* Quapropter concludi nequit animam esse in corpore veluti in subiecto, sed potius esse componentem cum corpore hominem. Quod verò dicitur. Anima informare, & habere subiectum; intelligendum est de informatione substantiali in genere substantiæ, non autem de accidentali, si vero exemplificatur de albedine, non debet tale exemplum in omnibus tenere, sed solum quantum ad informationem, & denominationem. Quod autem subiungitur de corpore Christi remanente eodem secundum numerum in sepulcro, separata anima, non facit, ut corpus illud debeat dici subiectum inhæssionis, sed bene subiectum formæ substantialis ordinatum ad componendum essentialiter cum illa hunc hominem, & ita Henricus ponit corpus Christi mortuum differre à se ipso uiuo, non secundum numerum, sed sicut incompletum à completo quodl. 1. q. 4. *Et nota quod ista æquiocatio est incompleta ad completum, quod in se continet ipsum incompletum.* Vtitur vero no-

mine æquiuocationis more suo pro sola differentia. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad secundam quod. *Alique substantia prædicantur non in quid. Vt nauis est lignea.* Dicendum utique prædicationes huiusmodi esse per accidens. Poteest enim ex pluribus etiam substantijs fieri vnum per accidens, vt sunt ea, quæ cum plura sint, non sunt inuicem essentialiter ordinata, quæ faciunt aggregationem solummodo accidentalem. Materia in artefactis licet sit quid substantiale, facit tamen cum forma accidentali vnum per accidens, & hanc Henricus vocat. Materiam ex qua fit aliquid, & vocatur materia factiois. Ita art. 19. q. 1. ad secundum. *Est enim quadam materia, ex qua fit aliquid quæ est materia factiois, ex qua fit aliquid operatum, quod manet cessante operatione, & agente, vt verbigratia lana est materia ex qua textor operatur telam, quæ manet ipso cessante, &c.* Hæc vero materia cum forma artificiali facit vnum per accidens, & consequenter, si prædicetur de illo composito, prædicatur per accidens, cum modus prædicandi sequatur modum essendi. Proprietas itaque substantiæ secundæ, quod vniuoce prædicetur, in eo verificatur, quatenus habet descendere in subse contenta, & de illis prædicari in quid, quemadmodum animal descendit per differentiam rationalis in hominem, & in hunc & illum hominem, de quibus inquit mediante specie prædicatur, & de ipsa specie immediate. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad tertiam quod. *Significare hoc aliquid, conuenit etiam accidentibus vt huic albo.* Dicendum quod, quemadmodum accidens causatur à suo subiecto substantiali, ita etiam habet quod sit hoc, vel illud ratione huius, vel illius suppositi substantialis in quo est, ita Henricus quodl. 10. q. 8. *In hoc omnis forma substantialis est principiu essendi composito in quo est, & materia quoniam cum huiusmodi forma consequuntur in composito proprietates, & passiones, & omnia accidentia illius. &c.*

Et

Et sic si dicatur hoc album, nihil aliud erit, nisi connotatio quædam suppositi albi, in quo albedo est hæc. Et non ratione sui, sed ratione eius, in quo est. Quod vero adducitur ex art. 53. q. 1. quod Individuum reperitur etiam in accidentibus: facile soluitur, distinguendo de individuatione mediata, vel immediata; Individuum enim primo, & per se conuenit substantijs, secundo vero accidentibus, quibus conuenit mediante ipsa substantia. Se ipsum optime declarauit Henricus ibidem explicando quid per, hoc aliquid, intelligi debeat, ait enim. *Cum dicitur hoc, intelligitur res, siue natura esse, quid indiuisum, siue indiuiduum in se propter demonstrationem rei qua oculis conspici potest, cum vero additur ly Aliquid, exprimitur quod sit à condiuiso aliud quid, & in natura, & essentia indiuidua, & in supposito.* Vbi notatū est ly in supposito, quicquid enim hoc aliquid dicitur, ratione suppositi dicitur. Ad id vero, quod tandem subsumitur, quod Henricus ibidem vocat indiuiduam albedinem. Dicendum breuiter hoc esse destructiuum sui ipsius per ipsum textum, ait itaque Henricus. *Non enim dicitur indiuidua natura, siue essentia ut humanitas, vel albedo, nisi quia est indiuidui suppositi, quia humanitas non est hæc, nisi quia est huius, neque similiter albedo.* Et hoc est maximè aduertendum, quoties de accidentium individuatione fit sermo, semper enim indiuiduantur per subiectum, ut suo loco ostendetur. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor, nam conuenit accidenti ratione substantiæ.

Ad quartam quod. *Differentiæ essentiales diuisiue, generis sunt contrariæ, ut rationale, & irrationale.* Dicendum contrarietatem huiusmodi minus propriè sumi, cum non sint tales differentiæ in eodem secundum numerum subiecto, & lex contrariorum sit, quod sint circa idem, & in eodem. Licet vero videantur contrariæ differentiæ huiusmodi, non tamen sunt rigorosè sumpta contrarietate, quia non se expellunt inuicem ab eadem specie, vel ab eodem subiecto, quod verè contrarietatis

rietatis est argumentum, sed de ipsis potest dici illud Henrici quodl. 8. q. 37. *Philosophus dicit in predicamentis, quod contraria nata sunt fieri circa idem; nisi alterum naturaliter insit, ut igni calidum.* Quod idem repetit art. 46. q. 3. ad primum. Potest inquam dici, quia naturaliter vnaquæque differentia est suæ speciei determinatiua, cuius est constitutiua, vnde cum non sint circa idem, non sunt propriè contrariæ. Immo cum vna differentia sit nobilior, & altera vilior, videtur quod nobilior contineat virtualiter ignobiliorem, vt optimè notauit Henricus quodl. 7. q. 8. *In generabilibus, & corruptibilibus descendit genus in species per differentias duas, nobiliorem scilicet, & viliozem constituendo duas species, quarum illa, qua constituitur per viliozem differentiam sistit in esse simpliciori, & illa, qua constituitur per nobiliorem differentiam fertur in vtiliorem compositionem continendo id, quod nobilitatis superaddit generi differentia constitutiua alterius speciei etiam sub nobiliori gradu, & cum hoc addendo aliquid nobilitatis vltioris de ratione formali propriæ differentia, &c.* Exemplum vero huius dicti sumi potest ex eo, quod paulo superius ibidem dixerat. *Si corpus mixtum diuidatur in animatum, & in inanimatum. Animatum habet in se virtute, quod habet inanimatum, & addit rationem propriam differentia, &c.* Si vero formaliter essent contrariæ huiusmodi differentia, vna alteram virtualiter continere non posset, quemadmodum caliditas virtualiter nequit continere frigiditatem, cum qua perpetuo pugnat. Ad id vero, quod ex Henrico adiungitur, qui quodl. 7. q. 8. habet, quod contrario modo se habent differentia in latere corporis corruptibilis, & incorruptibilis, dicendum ly contrario modo, non ponere propriam contrarietatem, sed solum illam, quam immediatè ante attulimus de specie nobiliori, & viliori, quæ per differentias constituuntur, vt facile patet textum inspicienti. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad

Ad quintam quod. *Forma substantiales sunt cause, cur accidentia intendantur, & remittantur: ergo ipsa multo magis dicuntur esse huiusmodi.* Dicendum. Qualitates intendi, & remitti in substantia ita tamen, ut substantia non sit causa formalis intensionis, & remissionis illius, cum sit sola causa materialis, & sustentans ipsum accidens. Causam vero remissionis, vel intensionis formę quasi formalem puto esse illius in determinationem, quatenus est forma in sua latitudine indeterminata, & sic susceptiva maioris, vel minoris dilatationis; sicut ex opposito forma consistens in indivisibili non est susceptiva magis, & minus. Ita docet Henricus apertissime quodl. 4. q. 15. *Quęcumque sunt forma, secundum qua aliqua dicuntur magis, & minus; Natura speciei in latitudine quadam consistit, ut talium specierum ratio nullo modo habeat se secundum rationem numeri, cui nihil potest specie manente abstrahi vel apponi, &c.* Licet formę huiusmodi neque intendantur, neque remittantur, nisi sint in subiecto ut constat ex eodem, certum tamen est etiam, quod à substantia non est talis intensio, ut ibidem ait. *Non bene enim à quibusdam dicitur, quod à subiecto evenit, quod dicantur aliqua secundum magis, & minus; hoc enim non convenit accidentibus per subiecta, sed è conuerso.* Sed alibi fusius de his redibit sermo.


Ad id vero, quod adducitur ex quodl. 10. q. 9. *Quod forma rei est causa omnis operationis.* Dicendum, quod verum est, quatenus à subiecto debent causari accidentia, & non amplius. Cum enim habeant accidentia suas proprias rationes, & modos, inconueniens esset dicere, quod quicquid faciunt illa, faciat etiam subiectum, ut si intendatur calor, dicatur intendi subiectum. Hęc enim sunt in ipsis accidentibus veluti proprii effectus, quę licet non habeant esse extra subiectum, habent tamen in subiecto proprium esse, & consequenter operationes ad ipsum.

Ad id quod dicebatur de calore, qui est intensior in ferro, quam

quam in ligno; satis patet etiam apud idiotas, hoc prouenire non ex formis substantialibus ligni, & ferri, sed ex accidentibus densitatis, & raritatis ipsorum. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad sextam quod. *Suscipere contraria conuenit quantitati quoque.* Dicendum comperere quantitati, ut dicitur subiectum quo, non autem ut subiectum quod, quemadmodum competit substantiæ. Ipsa enim substantia est sustentatiua, & quantitatis, & omnium accidentium mediante quantitate, ut bene dicitur in argumento ex Henrico art. 2 1. q. 2. quodl. 7. q. 17.

Quæ omnia confirmant quantitatem esse veluti medium, quo reliqua accidentia in substantia subieciuntur. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.



ARTICVLVS X.

Circa decimum Articulum de Quantitate, quærebantur octo, scilicet. Definitio, Essentia, Extensio in ordine ad locum; Distinctio à substantia; Vniuocatio continuæ, & discretæ; Specierum positio in continua, & discreta, & Proprietatum ipsius assignatio. Erat autem

QVÆSTIO I.

An definitio quantitatis sit bona.

IRO parte negatiua Arguitur primo. Si quantitas esset congruè definibilis, illam definitam haberemus ab Aristotele hic in suo prædicamento, sed non est hic definita ab ipso: ergo non potest definiri. Maior facillè patet inspicienti, quam exactè de ipsa quantitate, hic egerit Aristoteles adducens eius partitiones, & proprietates: ex quo habetur improbable esse ipsum defecisse in definitione assignanda, cum melius non possit res innotescere, quam per suam definitionem, vt habet Henricus quodl. 10 q. 8. & art. 24. q. 1. vbi habet definitionem secundum Philosophum esse. *Sermonem quidditatis, & essentia rei*, vt alibi diximus. Minor vero est nota ex ipso contextu, in quo nunquam apparet talis definitio.

Secundo. Illa debent definiiri, quæ se habent vniucè ad suam definitionem, itaut natura definibilis sit vniucè conueniens suis inferioribus, sed quantitas non est vniuoca ad continuam, & discretam: ergo definiiri non debet. Maior est certa non enim debet dari definitio de æquiuocis, cum ad euitandam æquiuocationem dicatur, quod res prius debet diuidi, & deinde definiiri, vt definitio cadat vniucè super definita, & habetur talis vniuocatio semper in definitionibus quotquot afferuntur ab Aristotele. Minor vero est constans ex ratione multitudinis, & magnitudinis, quatum vna ab altera dependet, vt bene docet Henricus quodl. 4. q. 5. *Secundum abstractionem intellectus prior est simplicitate quantitas discreta in numeris, quam continua in magnitudine (& reddit rationem) quia intellectus continuatus in continuo, non est nisi ex continuatione discretorum.* Cum itaque dependeat magnitudo à multitudine, & ista illi præsupponatur, videtur tolli vniuocatio conuenientia in genere quantitatis, & consequenter non posse definiiri.

Tertio. Partes, in quas dicitur diuisibilis quantitas, vel insunt actu, vel potentia. Neutrum potest dici: ergo male ponitur in definitione ly. *In ea, quæ insunt.* Maior tenet à sufficienti diuisione, nihil enim medium est inter actum, & potentiam, quod esse possit id, quod neque actus, neque potentia est. Minor vero quoad primam partem scilicet, quod non insunt actu, patet, quia actu daretur infinitum, cum in infinitas partes continuum habeat posse diuidi, vt docet Henricus art. 43. quæst. 3. *Vnita in continuo, non numerantur, nisi in potentia, qua possibile sunt ad diuisionem,* & alibi hoc idem habet passim cum communi Philosophorum doctrina. Quoad secundam partem verò, quod scilicet non insunt secundum potentiam, probatur. Non enim dicuntur partes, nisi actu componant, cum corpus debeat beneficio quantitatis habere partem extra partem actu, vt actu dicatur extensum. Qua ratione de corpore Christi

sti

si mortuo ait Henricus quodl. 1. q. 3. *Continebat in se partes materia prima extensas sub partibus quantitatis.* Vbi habetur actualiter informari materiam per dimensiones quantitatis, & actualiter extendi. Vnde partes debent dici actuales, & tamen hoc est inconueniens ponere, nè scilicet ponantur partes actuales infinitæ: ergo nullo pacto in sunt.

Quarto. Difficultatem faciunt contra definitionem multæ, quanta, quæ diuisibilia non sunt in ea, quæ in sunt: ergo non est bona definitio.

Antecedens probatur primo. De Tempore, quod cum sit verè quantum, non est diuisibile in suas partes, cum nihil sit diuisibile in id, quod non est, partes autem temporis non sunt, præteritum enim, & futurum non sunt, quemadmodum Henricus quodl. 3. q. 11. absolute ait illa non esse. *Si enim præteritum, & futurum considerentur ut instantia inter sua instantia, iam omnino præterita, & futura verum est, quod non sunt, &c.* Probatur secundo de linea, quæ non est diuisibilis in puncta, nec superficies in lineas, quia hoc habetur expresse ex Philosopho 6. Phys. & potest adduci, quod ait Henricus art. 70. q. 1. *Multitudo componitur ex unitatibus non sic magnitudo ex punctis,* & art. 70. q. 2. *Punctum additum puncto nihil auget, & ideo tantum est unum punctum quantum duo, & tria.* Indiuisibilia itaque non componunt, & non possunt esse partes, in quas diuidatur continuum. Probatur tertio de numero qui non est diuisibilis in unitates, cum diuidi debeat in ea, quæ sunt numerus, unitates autem non sunt numerus, sed principium numeri ita Henricus art. 63. q. 1. *Sub minori in diuisione est unus quilibet numerus, quam sit unitas, quæ est principium eius, &c.*

Notatur primo. Quantitatis definitionem ita esse explicandam, vt sumatur ly diuisibile non quatenus sit ratio formalis constitutiua ipsius quantitatis, sed quatenus est proprietas supponens essentiam extensionis partium, quæ in sequenti

statim examinabitur; cum vero proprietates, licet formaliter consideratæ habeant rationem accidentis, radicaliter tamen habent sumi pro ipsa essentia, à qua fluunt. Merito hic sumitur diuisibilitas radicaliter sumpta, quatenus per ipsam connotatur essentia quantitatis, quæ melius innotescit per respectum ad diuisionem eo modo, quo semper ex operationibus, & accidentibus proprijs rei venatur intellectus noster quidditatem ipsius. Dicitur verò in ea quæ insunt, quatenus scilicet ea, in quæ diuisibilis est quantitas, debent esse partes actu habentes esse in ipso toto diuisibili. Sed sciendum dupliciter posse sumi aliquid esse actu in toto. Primo quatenus excluditur per esse actu, esse in potentia, ex quo consurgit propositio de possibili, vt si dicatur; partes sunt actu in toto, quatenus totum non est in potentia ad habendas in se tales partes, & sic absq. dubio dicitur, quod partes in sunt actu. Secundo sumitur esse actu, quatenus cõdistinguitur ab esse in potentia eo modo, quo dicuntur partes esse in toto quatenus existunt per esse totius, non autem sunt separatæ, nec habent esse seorsum, & diuisim, & sic dici non potest, quod partes quantitatiuæ continui sint actu in continuo, in quo sensu dixit Henricus absolutè partes esse in potentia in continuo art. 43. q. 3. *Vnita in continuo non numerantur, nisi in potentia, qua possibilia sunt ad diuisionem, & ideo sunt vnum, &c.* De actualitate vero partium primo modo accepta potest ad propositum benè intelligi id, quod dicit Henricus art. 39. q. 3. *Totum verò semper est, vt aliquid perfectum actu existens, in quo suam actualitatem, & perfectionem habent omnes partes eius.* Si namque partes actu existant non possunt existere nisi per actualitatem totius, cum hæc sit natura partium, vt partes sunt. Aliud itaque est partes esse actualiter in toto, aliud est illas actualiter proprie, & peculiariter seorsum, existere; respectu huius secundi partes dicuntur inesse potentialiter, in quo sensu dicebat Philosophus 8. Phys. *Quod pars aut nihil est, aut in potentia, &c.* Relatus ab Henrico loco pro.

proxime citato. Respectu vero primi modi dicuntur partes actualiter existere, quia actualiter est hoc totum, quod ex partibus huiusmodi coalescit.

Notatur secundo. Per particulas definitionis assignatæ bene excludi omnia, quæ non debent cum quantitate in alio conuenire, & sic bene constitui declarationem quidditatis quantitatiuæ. Vt enim excludantur ea quæ simplicia sunt, quæ aliquo modo videntur habere quantitatem perfectionis, de qua quantitate ait Henricus art. 70. q. 1. *Alia vero est magnitudo virtutis, siue perfectionis, quæ est in spiritualibus, & non in solis spiritualibus, immo & in corporalibus circuit omne genus, &c.* Vt inquam excludantur hæc simplicia, dicitur *ly diuisibile*. Quod est proprium omnino quantitatiuis corporeis, & materialibus compositis, & quia partes essentielles reperiuntur in composito substantiali, & in eas compositum resoluitur, Idcirco ad excludendas has dicitur *ly Insunt*, vt denoretur quantitatem non habere partes nisi integrales, & denique ad excludenda indiuisibilia ponitur, *quorum singula apta sunt esse vnum quid diuisibile*, & sic bene explicata definitione sit

Conclusio. Definitio quantitatis est optima.

Explicatur. Bene dicitur ab Aristotele, quòd. *Quantum fit id, quod est diuisibile in ea qua insunt, quorum singula apta sunt esse vnum quid diuisibile*. Cum per has partes optime habeatur natura ipsius quantitatis.

Est Henrici & colligi potest ex quodl. 15. q. 7. *Ratio diuisibilis dimensionalitatis est, quod habeat partem extra partem*. Vbi virtualiter reperitur Aristotelica definitio vt patet.

Probatur vero ratione, quia illa est optima definitio per quam definitum differt à quocumque, & per quam definiti natura fit manifesta, sed in definitione allata habetur vtrumque: ergo est optima. Minor patet ex his, quæ adnotauimus.

Ad

Ad primam obiectionem quod. *Aristoteles hic non definiuit quantitatem, quia fortasse ipsa non est definibilis, ne dicatur Aristoteles defecisse.* Dicendum in prædicamentis Aristotelem non egisse exacte de singulis, quæ erant in Metaphisicis, & alibi expositurus; Voluit vero aliqua duntaxat faciliora propinare, ut ex terminorum cognitione fieret facilius ad reliquas scientias progressus. Nec tamen dicendus est defecisse in non assignata definitione quantitatis ille, qui tam exactè loco opportuniori Metaphisicæ illam definiuit. Nos vero hanc in præsentii proposuimus non quia esset necesse, poteramus enim illam cum Aristotele præterire, & ad Metaphisicam differre, sed quia duximus aliquam in esse etiam circa hoc exercitium utilitatem, licet multa agerentur, quæ ex acte non nisi in Physicis examinantur, vel etiam in Metaphisicis. Illud vero semper oblectabitur, quod docet Henricus art. 5. q. 5. *Examinanda scilicet à nobis omnia secundum dispositionem possibilitatis nostræ, & hoc ut non extra plurima fiant opera, & multiplicetur super nos inquisitio eius, quod excedit opus negotij,* ut dicitur 1. 2. ethic. Definitiones rerum non solum opus non excedunt, sed sunt maximè nobis utiles, ut ea percipiamus intellectu de quibus acturi sumus. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad secundam quod. *Quantitas ad continuam, & discretam non se habet uniuoce. Illud autem solum debet definiri, quod uniuocum est.* Dicendum peti difficultatem examinandam inferius. Interea dicimus quantitatem esse uniuocam ad continuam, & discretam. Quod vero ex Henrico affertur ex quodl. 4. q. 5. Quod scilicet intellectus habet cognoscere prius quantitatem discretam, quam continuam. Non obstat uniuocationi. Nam subiungit Henricus in alio sensu dici quantitatem continuam esse priorem discreta ibidem. *Re tamen, & natura prior est quantitas continua quam discreta.* Si enim aliquid consideretur secundum dependentiam essentialem ab alio

alio, tunc tollitur rigorosa vniocatio, sed si solum dependeat secundum quid, tunc non tollitur. Per accidens est, quod hoc continuum diuidatur in partes, licet secundum se sit diuisibile. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Partes quantitatiua in sunt vel actu, vel a p titudine, sue potentia. Vtrumque vero est contra Henricum.* Dicendum partes esse in quantitatiua dimensione potentia, non quatenus ad ipsas recipiendas dicatur totum in potentia, sed quatenus ipsas habet in se existentes existentia totius. Vnde, licet sint actu in continuo tales partes, non tamen dicentur actu separatae, vel diuisae; sed solum separabiles, & assignabiles per ipsius continui diuisibilitatem, vt videbitur in 6. Phisicorum, vnde egregie Henricus quodl. 4. q. 5. *Per formam continuitatis, qua totum est aliquod vnum accidentaliter indiuisum secundum actum, tam quoad separationem realem partium ab inuicem, quam quoad distinctam signationem earum; in ipso tamen natum diuidi, vel signari in plura, qua ante diuisionem, & signationem actu in se continet continuata.* Ad id quod adducitur ex Henrico quodl. 1. q. 4. quod scilicet partes actu sunt in composito; Conceditur, non tamen actu sunt distinctae, & separatae, sed actu vnitae. Vnde melius dicuntur esse in potentia, quam in actu, quantum ad ipsarum multitudinem, licet non quantum ad ipsius compositi constitutionem. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad quartam quod. *Multa sunt inconuenientia scilicet de tempore, de linea, & de numero.* Dicendum hæc inconuenientia esse nullius momenti, Tempus consideratum secundum, quod partes suæ continuantur, habet illas reales; secundum, quod distinguuntur illæ partes secundum rationem prioris, & posterioris, vt habet Henricus loco citato quodl. 3. q. 11. Hic vero non est in hoc immorandum, cum longiori disputatione indigeat. Linea vero non est diuisibilis in puncta, quia puncta non sunt diuisibilia, neque superficies est diuisibilis in lineas quia

quia respectu superficiæ linea habet rationem indiuisibilis, nec indiuisibilia componunt, vt bene probatur in argumento, & ait Henricus art. 70. q. 1. *Multitudo componitur ex vnitatibus, non sic magnitudo ex punctis.* Quia scilicet diuisibile debet habere partes diuisibiles in alias partes in infinitum, vt suo loco videbitur. Numerus quoque non debet diuidi in ea, quæ sint numeri, sed in vnitates, & indiuisibilia, quia hanc habet differentiam à magnitudine, quod iste constet ex vnitatibus, magnitudo vero ex diuisibilibus. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens quoad omnia.

A R T I C V L V S X.

QVAESTIO II.

An extensio partium sit essentia quantitatis.



PRO parte negatiua Arguitur primo. Illa est quantitatis essentia, siue formalis ratio, per quam quantitas formaliter dicitur constitui in esse, & per quam species ipsius quantitatis sub ipsa collocantur, sed per rationem mensuræ hoc habetur: ergo ratio mensuræ est ratio formalis quantitatis, non autem extensio partium. Maior probatur ex ipsis terminis. Minor vero in qua, est tota difficultas, probatur primo quia in hoc capite de quantitate probat Aristoteles orationem esse quantitatiuam, quia est mensura syllabarum. Probatur secundo, quia superficies & locus ex eo dicuntur esse species quantitatis differentes, quia illa mensurat intrinsecè, iste vero mensurat extrinsecè, & probatur tertio ex Henrico art. 26. q. 2. *Ratio quantitatis, vt quantitas est, est ratio mensuræ.*

Se-

Secundo. Quantitatis illa est ratio, quæ per definitionem est illi assignata cum *definitio*. vt dicit Henricus art. 21. q. 3. *Sit oratio indicans quid est esse, &c.* Sed ex definitione probatur, quod ipsa diuisibilitas est quantitatis explicatiua: ergo diuisibilitas est ratio formalis quantitatis. Minor probatur ex terminis allatæ definitionis in præcedenti quæstione, & in fauorem diuisibilitatis videtur esse textus apertissimus Henrici quodl. 15. q. 7. vbi loquens de formis substantiæ, ait eas esse, *sed tamen non nisi in quanto, & indiuisibili, &c.* Quasi diuisibile, & quantum conuertantur vt ratio, & id cuius est ratio.

Tertio. Extensio partium, vel consideratur in ordine ad ipsas inter se, vel in ordine ad aliquid extrinsecum puta locum; sed in vtraque consideratione implicat, quod extensio partium sit ratio quantitatis: ergo non est hoc asserendum. Maior patet à sufficienti diuisione: Minor vero probatur, Quantitas est accidens absolutum: ergo non potest habere pro sua ratione formali aliquod relatiuum sed tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum semper extensio illa est respectus: ergo nullo modo potest esse ratio quantitatis. Quod quantitas sit accidens absolutum probatur expresse, & est Henrici art. 66. quæst. 1. ad primum. Loquens de modo essendi secundum se absolutè ait quatenus. *Conuenit tribus predicamentis absolutis, quæ sunt substantia, quantitas, & qualitas*, sed hac probatione non indiget. Quod relatiuum non possit esse ratio absoluti, ex eo probatur, quia relationes in absolutis fundantur, & vt inquit Henricus art. 64. q. 1. ad primum. *Ab illis rationes suas formales trahunt originaliter, & completiud, &c.* Vnde cum præsupponant relationes absoluta, non possunt esse intrinseca ratio ipsorum. Quod vero extensio partium sit respectus, probatur quia est plurium coordinatio inter se, dicit enim extensio partium, quod vna sit extra aliam, & sic quod adsit respectus inter illas. Facit Henricus art. 62. q. 1. dicens.

Quæcunque habent communionem in aliquo vno absoluto siue re sint diuersa, siue ratione tantum secundum rationem communicandi illud, necessario habent habitudinem communem, & conformem inter se, &c. Inter partes autem quantitatuas non videtur esse alia habitudo, quam ipsa extensio: ergo extensio est respectus, nec poterit esse ratio quantitatis.

Notatur primo. Quætere quantitatis rationem propriè nil aliud est, quam inuestigare quid quantitas addat super conceptum entis; Cum enim prædicamenta dicantur ex participatione ipsius entis ad ipsa analogicè se habentia, si constituantur aliquod prædicamentum, hoc non erit nisi per modum, & rationem peculiarem addendi aliquid super entis conceptum. Ita Henricus art. 66. q. 1. *Res cum hoc, quod est diuersa, & alia, atque alia in prædicamentis realiter inter se distinctis, distinguitur etiam in diuersis prædicamentis penes diuersos modos reales, quibus, siue secundum quos illis conuenit esse, siue quibus esse participant diuersimode.* Quantitas itaque, vt sit prædicamentum ab alijs distinctum, debet habere peculiarem modum, & rationem participandi ipsum esse, & eius ratio ex eo præcipuè erit deducenda secundum quod ad ens se habet quantitas, quæ habet cum quantitate hoc commune, quod sit in alio per modum alicuius absoluti ita Henricus quodl. 15. q. 5. loquens de ratione essendi in alio absolute ait. *Quod est. Communis duobus prædicamentis absolutis scilicet quantitati, & qualitati.*

Notatur secundo. Diuisibilitatem posse considerari dupliciter, vel pro suo fundamento, & radice, vel pro sua formaitate. Primo modo considerata est omninò eadem cum partium extensione, quemadmodum risibilitas radicaliter est ipsa rationalitas. At si secundo modo sumatur, dicitur potius habere rationem alicuius priuatiui, quam positiui. Ita Henricus expresse docet art. 43. q. 3. ad tertium. *Est tamen aduertendum, quod diuisio secundum modum nominis positiue significat secundum*

dum

dum rem tamen non nisi priuationem dicit . Diuisio enim non est nisi aliquorum ad inuicem amotio , &c. Quod ergo dicitur de diuisione , dicitur de diuisibilitate, quæ est diuisio aptitudinalis, & sic potest congruè dici definitionem quantitatis in præcedenti assignatam esse similem omninò definitioni substantiæ . Quia concordant in eo, quod utraque per aliquid formaliter priuatiuum datur. substantia dicebatur esse. *quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur, & quantum esse . Quod est diuisibile in ea quæ insunt, &c.* Quemadmodum vero ex illa negatione perfectas potuit commodè innotescere, ita per diuisibilitatem commodè innotescit extensio partium, ratione cuius habetur diuisibilitas. Ita Henricus quodl. 15. q. 7. esse quantitatis *Consistit non nisi in ratione dimensionali, & diuisibili. Ratio autem diuisibilis dimensionalis est, quod habeat partem extra partem.* Quasi per gradus paulatim ascendat ad assignationem formæ rationis ipsius quantitatis, quæ licet diuersis nominibus vocetur, ut diuisibilitatis, & dimensionalitatis, re tamen vera non est nisi illa, ad quam omnes aliæ rationes inadæquatæ reducentur, quæ est extensio partium, quæ vocatur habere partem extra partem; & sic faciliè apparet rationem mensuræ, & diuisibilitatis se habere potius secundariò consecutiue, & veluti effectum duplicem ipsius quantitatis. Quibus adnotatis sit

Conclusio . Extensio partium est essentia quantitatis .

Explicatur. Ratio formalis quantitatis non est, nisi hoc, quod rationi entis addit quantitas nimirum, quod illud ens, quod est in alio per modum absoluti, sit extendens ipsius subiecti partes, constituendo vnã extra aliam .

Est Henrici apertissimè loco citato quodl. 15. q. 7. & art. 70.

q. 1. *Quantitas continua corporaliter extensua substantia corporalis ut partem extra partem habeat, &c.* Et quodl. 7. q. 17. tribuit necessitatem quantitatis formæ organizationis. *De numero autem talium dispositionum una principalis est quantitas, quia sine ipsa non habet esse organizatio.* Quasi innuat, non posse dari organizationem, nisi per quantitatem extendentem partes substantiales ad organizationem suscipiendam.

Probatur ratione. Essentia alicuius absoluti debet esse quid absolutum positivum conueniens omnibus speciebus illius, sed in quantitate nihil est absolutum conueniens omni quantitati, nisi extensio partium: ergo hæc sola extensio est ratio formalis quantitatis. Maior ut certa debet supponi, quia essentia rei talis debet esse, qualis est res. Minor vero probatur per exclusionem mensuræ, quæ non est conueniens omni speciei quantitatis, si enim daretur linea infinita, illa esset species quantitatis, & tamen non esset mensura, & per exclusionem diuisibilitatis formaliter sumptæ, quia ipsa non est nisi priuatio, vnde non est quid absolutum positivum. Remanet itaque sola partium extensio, quæ sit vera quantitatis ratio; cum sit absoluta, positiva, & conueniens omni quantitatis speciei etiam possibili, & imaginabili.

Ad primam obiectionem quod. *Ratio mensura est ratio quantitatis, ut probatur ex oratione loco; & Henrico.* Dicendum ex eo colligi orationem esse quantitativam, quia habet rationem mensuræ, non quatenus mensura sit ratio formalis, sed quatenus est veluti proprietas, quæ conuenit soli, sed non omni. Valet autem consequentia etiam ex proprietatibus his, & sic dicere. Oratio est mensura: ergo quantitas: Est arguere à posteriori ad prius. Quod vero locus, & superficies distinguantur ex modo mensurandi intrinsecè, & extrinsecè hoc est intelligendum penès distinctionem logicalem dumtaxat, nam locus & superficies solum secundum rationem distinguuntur. Immo secundum aliquos locus est in ipsa superficie, ut inferius

in

in suo superiori. Quia superficies ponitur in eius definitione loco generis. Ad huiusmodi vero distinctionem sufficit ratio discriminis alicuius effectus, & ita distinguuntur superficies, & locus ratione mensuræ. Sed de hoc alibi. Henricus vero loco citato art. 26. q. 2. sermonem habet de mensura, & in gratiam ipsius dixit, illam esse rationem quantitatis, non quatenus quantitas constituatur per ipsam formaliter, & primo, sed quatenus mensura non conuenit nisi quantitati, & ubi ponitur mensura, necesse est ponere quantitatem formalissimam: hoc patet ex ipso discursu, nam agit de mensura in ordine ad quantitatem discretam. *Verissima, & discretissima ratio mensuræ in quantitate discreta inuenitur, & ita perfectissima ratio quantitatis.* Loquendo de ratione consequente, & veluti proprietate ipsius quantitatis. Qua ratione à simili dici posset in animali rationali reperiri perfectissimam rationem discursiui, & discursuum esse rationem ipsius. Posset etiam dici ad argumentum. Mensuram posse sicut & diuisibilitatem sumi radicaliter, & sic cum extensione esse omnino idem, secus verò, si formaliter sumatur, ut habet rationem respectiui ad mensurabiles substantias, in quibus quantitas subiectatur. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad secundam quod. *In definitione ponitur diuisibilitas, & ideo debet dici essentia quantitatis.* Dicendum in definitionibus siue potius descriptionibus poni ea, quæ facilius nos ad cognitionem rei ducunt. Per effectus quærimus causas, per proprietates, & accidentia, quærimus formas substantiales: & per negationes, & priuationes quærimus positiuæ, & his similia. Non semper sumitur rigorosè terminus in definitione, sed sæpius attendendum quid significat, & pro quo supponat. Quemadmodum de rationali, quod significat differentiam speciei humanæ constitutiua, potest pro supposito supponere, ut ait Henricus art. 75. q. 1. *Rationale in quantum supponit pro supposito est subsistens, &c.* Et nomina positiua,

us, ut diuisio, supponere potest pro priuatio, sic in proposito. Ponitur in definitione quantitatis ratio diuisibilitatis, ut per ipsam intelligatur eius fundamentum, quod est extensio partium, sicut positum est negatiuum in definitione substantiæ ad significandam perfectitatem, & hæc bene aduertantur, ne repetitione noua ad omnes definitiones opus sit. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Extensio partium est quid respectiuum, quia dicit coordinationem ipsarum.* Dicendum. In omnibus coordinatis haberi habitudinem, & habitudinis respectum, ut bene ex Henrico afferebatur. Sed aduertendum maximè est prius attendi debere id, quod est absolutum, quam quod est relatiuum in aliquo. Multa enim videntur relatiua, quæ talia non sunt, in quo sensu fortasse dixerat Henricus non omne genitum esse filium, licet omnis filius sit genitus. Ita art. 59. q. 3. *Genitus non habens secum in esse illum, qui eum genuit, sicut dici possit genitus, non tamen dici potest filius.* Extensio partium fert quidem secum habitudinem inter partes, sed non est ipsa præcisa habitudo, ut contenditur in argumento; est enim prius significans hoc extensum in suis partibus, & deinde importat partium ordinarum habitudinem, quæ tamen ratio non est, nisi secundum dici, ut habet Henricus art. 64. q. 1. ad primum. *Relatio, secundum dici qualis est inter partem, & totum.* Vnde non est ratio realis, neque rationis inter partes, & totum, neque inter ipsas unitas, cum non habeant existentiam nisi illam totius. Relationes itaque quæcumque, sicut habent trahere suam realitatem ab absolutis in quibus fundantur, ita semper absolutè debent præsupponere. Vnde admissa inter partes extensas aliquali relatione debet prius in ipsis, quod est absolutum, recognosci. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

ARTICVLVS X.

QVAESTIO III.

Virum extensio partium in ordine ad locum sit essentia quantitatis.



RO parte affirmatiua Arguitur primo Ex Henrico qui loco citato art. 70. q. 1. ait. *Quantitas continua corporaliter extensiuâ substantia corporalis, ut partem extra partem habeat, & repleat spatium.* Quo posito sic arguitur. Illa est essentia quantitatis, quæ est intrinseca extensioni partium. Sed quantitas dicitur partium extensiuâ, ut repleat spatium: ergo aptitudo illa ad replendum spatium est ipsa essentia quantitatis. Minor probatur ex Henrico adducto. Maior vero constat ex eo, quia quicquid est intrinsecum essentia, est ipsamet essentia.

Secundo. Si non esset ratio formalis quantitatis extensio partium radicaliter in ordine ad locum, esset ratio ipsius extensionis partium in ordine ad se; sed hæc nequit esse: ergo est illa. Maior supponitur ex bona diuisione, & ex dictis in præcedenti. Minor vero probatur, quia habere partem extra partem conuenit etiam substantijs independentes à quantitate. Quod probatur multipliciter, primo quia si à Sorte existente auferat per miraculum Deus omnem quantitatem, Tunc adhuc in Sorte caput non erit manus, nec manus caput, & sic erunt partes extra partes sine quantitate. Secundo ex Henrico quodl. 10. q. 8. hoc idem habetur apertissime in illis verbis. *Aliquid extensionis habent materia, & accidentia in natura, & essentia sua.*

Ter-

Tertio. Quod primo, & per se dicitur tale, hoc videtur habere illud vt essentiam suam. sed solæ demensiones quantitativæ dicuntur primo, & per se esse in loco, reliqua vero per ipsas: ergo esse in loco radicaliter erit essentia quantitatis. Maior probatur, si fiat inductio per omnes prædicationes, quæ fiunt primo, & per se. Minor vero est Henrici quodl. 1. q. 5. *Aliquid habet esse in situ determinato, vel per se, & primo, vt dimensiones quantitativæ, vel per se, sed non primo, vt materia & formæ materiales.* Cum ergo dimensiones quantitativæ dicantur esse per se in loco, habebunt hanc rationem sibi intrinsicam, & essentialem.

Notatur primo. Aptitudinem essendi in loco commensuratiuè, & propriè, dubio procul esse à quantitate; non enim sunt proprie in loco circumscriptiue nisi ea, quæ corporea quantitativa sunt, quemadmodum non possunt esse in loco ea, quæ sunt incorporea secundum modum essendi in loco proprie, & rigorosè sumptum. Vnde orta est distinctio illa essendi in loco circumscriptiue, quod est commensurari loco, & essendi in loco definitiue, quatenus aliquid est ita hic, vt non alibi. Quam docet Henricus quodl. 4. q. 17 veram circumcriptionem attribuendo illis, quæ quantitativa sunt. Continenti, & circumscribi à loco. *Hoc proprium est magnitudinum extensarum,* & Paulo post. *Alio modo dicitur esse aliquid in loco extendendo rationem loci ad situm, vt dicatur esse in loco, quod situm aliquem sibi determinat, in loco in quo est nunc, vel tunc, &c.* Quod solet dici esse in loco definitiue. Hoc ergo esse in loco improprium dicitur, cum in loco simpliciter loquendo sint ea, quæ à loco dependent, & ab ipso circumscribuntur, & continentur. Quando itaque queritur, an aptitudo essendi in loco sit essentia, siue ratio quantitatis, intelligi debet quæ situm de aptitudine ad essendum in loco circumscriptiue, non autem de eo; quod est in loco quatenus est hic, & non alibi; de quo loco non est sermo in presenti.

Notatur secundo. Circumscriptiuè esse in loco, posse dupliciter accipi, vel pro potentia ipsa ad essendum in loco, siue pro ipsa aptitudine, vel pro actu essendi in loco. In hoc secundo sensu non est dubium, quia certum est, quod actus accidentalis, qualis est esse actualiter circumscriptiuè in loco, non potest esse essentia ipsius quantitatis, cum nullum accidens respectu eius, cuius est accidens, possit esse de essentia, & sic benedocuit Henricus art. 35. q. 7. *Quia enim potentia in re aliqua differt ab ipsa substantia, vel actu eius, ad quem est, siue fuerit actus, ut habitus, siue actus, ut agere; hoc est, quia non se ipsa, id est sua essentia potest, sed aliquo alio superaddito sua existentia, sicut ignis calefacit calore, qui est qualitas accidentalis in ipso; Propter hoc enim, quantum est de se, potest actus distare, & separari à potentia, & esse potentia in re sine suo actu. Ut ignis potest esse calidus, quamuis non calefaciat, & idem dicebamus de essentia accidentis, quæ est, quod aptitudine inhæreat. Difficultas est, si sumatur aptitudo ad essendum in loco, ut aliquid ab ipso circumscribatur, pro cuius decisione sit*

Conclusio. Extensio partium in ordine ad locum non est essentia quantitatis.

Explicatur. Ratio quantitatis non est aptitudinaliter habere ordinem ad hoc, ut quid coextendatur loco, sed est extensio partium in ordine ad se ipsas, quatenus vna extra aliam est.

Est Henrici quodl. 4. q. 17. *Esse in loco, ut contentum, & circumscriptum, hoc est proprium magnitudinum extensarum; qua etiam propriè habent moueri localiter, &c.* Vbi expressè habetur. Quantitatem habere circumscribi à loco pro proprietate, non autem pro essentia.

Probatur ratione. Absoluta prius concipiuntur habere esse in se, quam habere respectum ad aliud; sed quantitas est quid absolutum; ergo prius habet esse secundum se ipsam, & extendi in se secundum suas partes, quam quod extendatur in ordine ad locum. Maior est nota, quia secus confunderentur absoluta cum relatiuis. Minor vero probatur in prædicamentis.

Ad primam obiectionem quod. *Replere spatium est quid intrinsecum rationi quantitatis*. Dicendum hoc falsum esse, cum sit solum proprietas illius, cum quantitas habeat rationem omnino absoluti prædicamenti, esse vero in potentia ad replendum spatium dicatur, quid respectiuum ad ipsum spatiû. Quod vero dicitur ex Henrico loco citato art. 70. q. 1. debet intelligi consecutiue, & secundario, quasi dicatur. Est essentia quantitatis, partem extra partem habere, est vero eius proprietas, quod repleat, siue replere possit spatium, & potest deduci ex eo, quod ait Henricus ibidem, ubi loquens de virtute quantitativa, ait. *Consistit illa quantitas virtutis, siue perfectionis in quadam extensione non materiali partium extra partes quia neque consistit per materialem connexionem partium, ut contingit in quantitatibus continuis, neque per quandam materialem accumulationem partium, ut contingit quantitatibus discretis, &c.* Et sic explicat in quonam formaliter consistat tam quantitas continua, quam discreta, absque eo, quod de eius proprietatibus mentionem faciat. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Ablata per miraculum à Sorte quantitate adhuc caput illius non esset manus*. Dicendum absolute partes huiusmodi in eo casu non fore distinctas. Ita Henricus quodl. 7. q. 17. *Sine quantitate Non habes esse organizatio*. Itaque ablata omni quantitate ab homine, iam fieret indiuisibilis illius materia. Ita Henricus quodl. 1. q. 5. *Forma materiales extenduntur secundum extensionem quantitatis*. Ad id, quod obijcitur ex Henrico quodl. 10. q. 8. quod materia, & ac-

cidentia

cidentiæ habent aliquam extensionem in sua essentia independentem à quantitate. Dicendum extensionem subiecti posse considerari dupliciter. Primo, quatenus ipsæ partes subiecti dicuntur per quantitatem formaliter extensæ, itaut extensio sub quantitate sit realis in ipso subiecto, & eius partes realiter extendantur, & dicantur extensæ, & sic loquebatur ibidem Henricus contra nescio quos asserentes, nullam esse realitatem extensionis nisi ipsius quantitatis, & hanc fuisse eius mentem liquidò constat intuenti eius contextum ait enim. *Aliquid propriè extensionis habent materia, & accidentia in natura, & essentia sua, licet non nisi per extensionem quantitatis, &c.* Cum subiectum debeat habere partes correspondentes partibus quantitatis. Secundo quatenus independentem omnino à quantitate considerantur, & sic est falsum, nec hoc vnquam somniauit Henricus. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Primo, & per se dicitur quantitas esse in situ determinato.* Dicendum nullo pacto hoc esse destructiuum eorum, quæ hætenus diximus, dicuntur enim esse in loco quantitatiuè dimensiones primo, & per se, quatenus sunt rationes primo, ac per se essendi in loco; vt patet ex ij^o, quæ subiungit Henricus loco citato quodl. 1. q. 5. nam beneficio ipsarum dimensionum quantitatiuarum dicuntur reliqua omnia esse in loco, quia circumscribi à loco est effectus proprius proueniens ab eo, quo quid quantitatum est, quod docuit Henricus quodl. 4. q. 17. & clarius loquendo de situ in art. 32. q. 5. ait cum Comment. *Situs inuenitur in omni habente partes, aut per ordinem partium rei ad inuicem, & iste est situs, qui est differentia quantitatis, de quo situ post pauca subiungit, quod in quadam collatione, & ordine partium locati ad locum consistit.* Ea enim, quæ habent esse in loco, necessario habent situm, & vbi, secundum diuersos respectus, quos infra explicabimus. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

ARTICVLVS X.

QVÆSTIO IV.

An quantitas distinguatur realiter à substantia.



RO parte negatiua Arguitur primo. Illud est omnino idem cum eo, sine quo nequit intelligi, sed substantia corporea nequit intelligi sine quantitate: ergo quantitas, & substantia corporea sunt omnino idem secundum realitatē. Maior non habet difficultatem, res enim ita se habent ad cognosci, sicut se habent ad esse. Si ergo non potest aliquid sine altero intelligi, & illud sit de conceptu illius, datur intelligi, illud esse intrinsecum illi secundum suam existentiam, & quidditatem. Minor vero probatur, quia in definitione animalis, & hominis ponitur corpus, quod formaliter tale intelligi non potest, nisi sit corpus per suas dimensiones quantitativas, neque enim potest intelligi homo, sine carne, & ossibus. Approbat hanc Henricus quodl. 7. q. 17. *Dico quod impossibile est, hominem esse sine quantitate. nec hoc est factibile, nec intelligibile*, & adducit rationem sui dicti. *Vnde dicit Philosophus in 7. Metaph. forma hominis semper videtur in carnibus, & ossibus, & partibus similibus istis; ubi dicit Comment. Impossibile est enim hominem intelligere sine carne, & ossibus, &c.*

Secundo. Partes substantiæ corporeæ distant ab inuicem ratione formæ substantialis: ergo forma substantialis est idem realiter cum quantitate: Probatur consequentia, quia ea sunt idem, quorum idem est effectus formalis. Antecedens vero probatur ex Henrico quodl. 10. q. 5. *Est autem altera terminatio quantitatis dimensiuæ naturalis, quæ non est per aliquid in-*

is-

intrinsecum, q uod fit de genere quantitatis, sed per extrinsecum, quod est de genere substantia, ut per formas substantiales. Vbi videtur dare formis substantialibus effectum ipsius terminatæ quantitatis.

Tertio. Si substantia differt realiter à quantitate: ergo ad ipsam quantitatem acquirendam requiritur motus localis. Sed hoc est absurdum dicere, quod scilicet substantiæ partes, ut extendantur per quantitatem, debeant localiter moueri, cum antecedenter ad dimensiones quantitatis non sint corpus, cui soli conuenit moueri localiter: ergo absolutè dicendum substantiam non differre realiter à quantitate. Sequela maioris probatur. Quando enim distat aliquid ab altero, non potest acquirere præsentiam, & coniunctionem cum illo, nisi per motum localem, quod fortasse posset deduci ex dicto Henrici quodl. 2. q. 9. *Determinatio autem rei cuiuscumque ad situm, importat quandam compositionem ad unionem eius cum alio, quasi dicat approximatio secundum situm est ad acquirendam unionem necessaria cum alio; cum nihil distans haberi possit, nisi per superatam locali motu distantiam.*

Quarto. Habens partibilitatem non potest realiter differre ab ipsa partibilitate: ergo neque habens quantitatem differt realiter ab ipsa quantitate. consequentia tenet à definitione ad definitum. Antecedens vero probatur, quia secus sequeretur maximum inconueniens. Quod scilicet esset quantitas conueniens quantitati, & partibilitas partibilitati; vna enim esset, quæ supponitur in habente ipsam, & alia esset, quæ realiter differret ab ipso habente partibilitatem. Habens autem quantitatem significat concretè, quod est habere compositionem, ut ait Henricus art. 73. q. 7. *Modus significandi concretè, modum compositionis importat alicuius cum alio.* Et partes compositi non differunt realiter ab ipso composito, ut ostendetur suo loco, & docet Henricus art. 65. q. 1. *Vnde homo, & corpus, ex quo ipse constat non sibi vnita, sed verè vnum, atque idem dicuntur,*

ab vnione accidentali, quæ stat simul cum ipsorum differen-
tijijs realibus entitatiuis. Quantitas itaque facit cum suo sub-
iecto vnum dictum ab vnione, licet sub ipsa quantitate sub-
stantiæ sit vna dicta ab vnitate: ita de accidentali vnione di-
cebat Henricus quodl. 10. q. 8. *Dicitur aliquid esse ens, &
vnum per accidens à forma accidentali in eo, quod commu-
nicat toti composito ex substantia, & accidente suum esse, &
suam vnitatem.*

Conclusio. Quantitas realiter differt à substantia.

Explicatur. Extensio partium inter se, quæ formaliter est
quantitas, licet faciat vnum cum ipsa substantia per accidens
ad huc tamen ab illa dicitur omnino differre realiter.

Est Henrici quodl. 7. q. 17. asserentis quantitatem esse,
dispositionem, quam forma substantialis sibi vendicat. *Quali-
bet forma materialis quantitatem sibi determinat, & ars. 70.
q. 1. Amittit rationem quantitatis, nisi consideretur, ut est ali-
quid alterius, id est inhærens alteri, cum sit accidens, & dedu-
citur ex alijs locis innumeris, vbi habet quantitatem esse ac-
cidens.*

Probatur ratione. Substantia est, quæ subsistit secundum se,
sed quantitas non subsistit, sed est in alio: ergo non est ipsa
substantia. Maior, & Minor satis patent.

Ad primam obiectionem. *Ex Henrico, quod homo non potest
sine quantitate intelligi.* Dicendum non posse intelligi negan-
do quantitatem, bene tamen posse intelligi præcisiuè, & per
primam intellectus operationem, & præterea optimè potest in-
telligi hominis essentia secludendo omnem quantitatem, quæ
solum est necessaria ad existendum, eo modo, quo non potest
homo existere, quin habeat accidentia inhærentia substantiæ. ex
quo dixit Henricus cit. quodl. 7. q. 17. *Quantitates immédia-
tius adhaerent substantia, quam qualitates.* Licet vero quanti-
tas

tas, & alia accidentia spectantia ad indiuiduum existant, & habeant ad suas operationes instrumenta idonea, non tamen debent esse de essentia ipsius, sed potius esse circa ipsam substantiam, ut docet Henricus quodl. 10. q. 8. *Quot quot ergo sunt essentia in eodem siue de predicamento substantiæ, siue accidentis, tot necessario sunt esse essentia in eodem, & tot esse existentia etsi vnum eorum sit principale respectu aliorum, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Partes extenduntur per formam substantialem.* Dicendum aliud esse formam substantialem determinare sibi terminos suæ magnitudinis, & aliud ipsam formaliter partes extendere. Primum astruebat Henricus loco citato quodl. 10. q. 5. Vnde subiungit. *Omnium enim natura constantium statuta est ratio, & terminus magnitudinis, & augmenti, ut dicit Philosophus, de quibus in Physicis erit tractandum.* Secundum vero nunquam dixit; immo expressè habuit semper oppositum, nec formalitatem extendendi partes potuit tribuere alteri, quam quantitati, cum loco citato quodl. 7. q. 17. dixerit. *Et constat quod carnem, & ossa non est possibile intelligere sine quantitate.* Tribuens quantitati munus extendendi has partes. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad tertiam quod. *Si differat quantitas realiter, tunc debet substantia ad ipsam moueri localiter* Dicendum. Motum localem dari ad ea, quæ habent rationem loci, & non ad ea, quæ sunt formæ de materiæ, & subiecti potentia educibilis, & est quædam imaginatio valde debilis, si constituentur quantitatiuè dimensiones in longo spatio prius secundum se, & deinde ad eas dicatur accedere substantia, & ipsas induat, contra quam puerilem omnino, & inexpertam imaginationem ait Henricus quodl. 4. q. 17. *Neque albedo habet esse dulcis, vel amara, eo quod propè, & longè solum nata sunt conuenire situm, siue positionem habentibus in natura sua, &c.* Sensus Hen-

Henrici est non esse attendendam rationem longe, vel prope in illis quæ nata sunt esse non per se, sed in alijs positionem habentibus, quod pari ratione dici potest de quantitativis dimensionibus, quæ sunt educibiles de potentia subiecti, nec habent prius esse, quam sint in substantia. Henricus vero in argumento adductus loquitur de vnione eorum quæ sunt substantiæ completæ, & mouentur per se localiter. Ad formam itaque argumenti negatur sequela maioris.

Ad quartam quod. *Habens quantitatem non debet distingui realiter à quantitate, cum partes non distinguantur à toto.* Dicendum concludi ad summum de vnitate singularitatis. Aliqua enim subiectiuè sunt idem numero, quatenus sunt in eodem numero subiecto; sed obiectiuè differunt, quia sunt diuersæ entitates, & essentiæ. Qua ratione dulcedo, & albedo in hoc numero lacte subiectiuè sunt idem, obiectiuè vero sunt accidentia realiter distincta, & habent inter se solam vnionem accidentalem. Est vero maxima equiuocatio cum dicitur, *habens quantitatem à quantitate non differt*; nam habens quantitatem, dicit aliquid amplius, quam substantiam. Debet enim considerari substantia secundum se, & comparari ad quantitatem, non autem dici substantia habens quantitatem, ita proportionabiliter dicebat Henricus art. 65. q. 1. Quod licet totum sit sua pars quælibet, non tamen quælibet pars est ipsum totum. *Id quod est anima, non est omnino id, quod est homo; propter aliam illius partem, quæ diuersa est ab anima.* Ita in proposito, licet habens quantitatem sit quantitas, non tamen quantitas est hoc habens quantitatem, quia hoc habens quantitatem, habet rationem totius compositi ex substantia, & quantitate, & sic propter hanc partem substantiæ non potest adæquate esse idem quantitas cum habente quantitatem. Ad id vero quod dicit Henricus quod, *homo & corpus sunt unum* dico patere sensum Henrici ex sequentibus. *Non tamen quod*

Ec

corpus

corpus illud omnino sit idem, quod homo, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

ARTICVLVS X.

QVAESTIO V.

An quantitas sit vniuoca ad continuam, & discretam.



PRO parte negatiua Arguitur primo. Essentia generis vniuoci est. quod in suas species ita descendat, vt vnaquæque ipsarum participet de quiditate, & proprietatibus illius, sed quantitas non eque descendit in continuam, & discretam: ergo quantitas non est genus vniuocum.

Ma ior probatur ex dictis in tractatione de genere. Minor vero probatur primo. Nam sola quantitas continua dicitur habere essentiam quantitatis, quæ est extensio partium, & eius proprietatem, quæ est ordo ad locum, vt ait Henricus art. 70. q. 1. *Quantitas continua corporaliter extensiuia substantia corporalis, vt partem extra partem habeat, & repleat spatium.*

Vbi non frustra dicendum est appositam particulam illam *Continua*, sed ad excludendam discretam. Secundo probatur eadem minor ex eodem Henrico quodl. 4. q. 5. *Re, & natura prior est quantitas continua, quam discreta facta per iam diuisionem, quia non habet generari nisi ex continua, in qua est in potentia, &c.* ergo non æque descendit quantitas in continuam, & discretam.

Secundo. Si quantitas continua, & discreta conuenirent vni-

vniucè in genere quantitatatis, scientiæ quæ darentur de ipsis vniucè conuenirent in ratione scientiæ, sed Geometria, quæ est de quantitate continua, & Arithmetica, quæ est de discreta, non vniucè conueniunt, sed potius analogicè: ergo à simili earum obiecta analogicè solum erunt conuenientia. Maior probatur, nam scientiæ specificantur per sua obiecta, vt bene Henricus ait de mente Philosophi art. 19. q. 1. *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis subiecti, &c.* Minor vero probatur ex scientiarum coordinatione.

Tertio. Nullum genus vniucum prædicatur denominatiue de suis speciebus, sed quantitas prædicatur denominatiue, de cõtinua & discreta: ergo nõ est genus vniucum ad illas. Maior probatur à similibus prædicationibus Albedo est qualis, paternitas est relatiua, & fundatur hæc regula in eo, quod Genus prædicatur in quid non autem in quale, sicut prædicatur differentia ita Henricus art. 75. q. 2. *Animal tanquam genus significat de homine, quod est; talem verò tanquam differentia contrahens, & determinans genus, quo est, &c.* Vnde potius debet dici Albedo est qualitas, quàm qualis, & paternitas relatio, quàm relatiua. Minor vero probatur linea enim, quæ est continuæ quantitatatis species, dicitur quanta, & numerus quæ est species discretæ, dicitur quantus, vt patet ex communi vsu loquendi.

Notatur primo. Quantitatem continuam illam esse, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem, qui est principium vnius, & finis alterius. Dicitur vero tale copulans partium quantitatarum esse id, cuius beneficio partes continuantur, & vocatur terminus communis, quia in ipso vna pars deficit, alia incipit, & sic terminus communis, siue copulans partes lineæ, est punctus; partes superficiæ, est linea, & copulans partes corporis est superficies, quæ licet, sicut & linea sit diuisibilis in se, in ordine tamen ad suum superius diuisibile, habet rationem indiuisibilis quatenus indiuisibiliter in

ipsa debent partes corporis copulari, & continuari. Quantitas vero discreta est, cuius partes non copulantur termino communi ad invicem, sicut se habent partes numeri denarij, quæ non habent medium sui copularium, & ideo denarius est quantitas discreta. Quemadmodum, & Oratio, quæ est altera discretæ quantitatis species. Ita Henricus art. 43. q. 1. *In continuo partes inter se unitatem habent in una forma continui, in discreto autem nequaquam, &c.*

Notatur secundo. Dependenciam illam, quam sæpe ponit Henricus, discretæ quantitatis à continua, esse omnino per accidens. Quod à nobis in præsentibus breviter explicandum occurrit. Dicit itaque Henricus quodl. 4. q. 5. *Prior est quantitas continua quam discreta, facta per iam dictam diuisionem, & art. 43. q. 3. In continuo continentur infinita diuisibilia, in quo unitas continui, quia accidit rei in qua est, accidit ei diuisio, & numerus ex diuisione procedens, & art. 70. q. 1. Ille est numerus, qui non habet diuisionem unitatum suarum secundum actum, nisi per diuisionem continui secundum modum, quo discretum in corporalibus procedit ex continuo, &c.* Dixi hoc esse per accidens. Quia est ratione materiæ, & physicæ diuisionis non autem ratione ipsius quantitatis, quatenus huiusmodi, cuius ratio abstrahit ab hoc quod est diuidi, vel non diuidi, & consequenter, quod continuum habeat parere ex sua diuisione discreta; hoc est secundum physicam rationem corporis quanti diuisibilis. Vnde benè hoc explicans Henricus citato art. 43. q. 3. ait. *Quoniam omnia talia quantum est ex natura, & ratione continui, nata sunt esse unum continuum, & maxime illa, quæ nata sunt perficere eandem materiam, sed secundum diuersas partes materiæ diuersis formis individualibus distinguuntur.* Non enim respectu continui se habet hæc discretorum resultantia, nisi secundum accidentalem diuisionem superuenientem. Immo volens hoc melius declaratum tradere, affigens paulo post verum numerum à continuo descendit ad spe-

speciem, & ait. *Et in solis talibus est vera, & perfecta ratio numeri, cuius natura est, quod unitates eius specie conueniant secundum quam nata sunt esse unum in continuo, & diuisa sunt secundum formas numerales secundum diuersas partes materiae. Vnde & illa, quae diuersa sunt specie, eodem modo non sunt nata esse unum in continuo, quantum est ex natura specierum non coefferunt verum numerum, &c.* Vbi pro conuenientia partium in continuo accipit conuenientiam indiuiduorum sub eadem specie, ut patet ex ipsius verbis, & quodl. 4. q. 5 ait talem diuisionem esse ratione solius materiae. *Et est utriusque quantitatis radix una scilicet materia.* Patet itaque, quod quantitas, quatenus huiusmodi, ad utramque eodem modo se habet quatenus scilicet tam discreta, quam continua habent extensionem partium sibi conuenientem; licet accidentaliter ratione materiae per formas specificas, & indiuiduales diuidentes dicatur ad diuisionem continuam consergere discreta, ut dictum est satis.

Conclusio. Quantitas est uniuoca ad continuam, & discretam.

Explicatur. Quantitas est uniuocum genus descendens in species quantitatis continuam, & discretam secundum modum uniuocae participationis ipsarum, licet secundum materiam dicatur discreta ex diuisione continuam consergere.

Est Henrici quodl. 4. q. 5. Pluralitas non est nisi ex aggregatione unitatum, quae si sint disgregata faciunt multitudinem. Si vero fuerint congregata faciunt magnitudinem. Vbi solum attendit rationem praecisam quantitatis ex quo constitutiuam tam in magnitudine, quam in multitudine.

Probat. Quantitas abstrahit in suo esse formali equaliter ab esse per modum continui, & per modum discreti: ergo est
Ge.

Genus vniuocum ad continuam, & discretam. Probatur consequentia, quia in hoc consistit vniuocatio: Antecedens vero probatur. Nam tota quantitatis essentia consistit in extensione partium in ordine ad se ipsas quatenus vna est extra aliam in qua extensione equaliter abstrahitur ab extensione per modum continui; & per modum discreti ergo, &c.

Ad primam obiectionem quod. *Solum de continua dicitur, quod sit partium extensua corporaliter per Henricum.* Dicendum non esse idem quod aliquid de aliquo negetur, & aliquid solum præscindendo ab illo prætermittatur. Non negauit Henricus quantitati discretæ extensionem partium, sed solum cum loqueretur de continua, discretam præscindendo prætermisit. At optimè etiam definitio quantitatis, & proprietates essendi circumscripti uè in loco conuenit etiam discretæ, quatenus in aggregatione sumitur suo modo scilicet quatenus sumuntur illæ unitates simul secundum situm, & locum. Ad id vero, quod ad probationem minoris secundo loco adducitur, quod natura prior est quantitas continua, quam discreta. Dicendum proprietatem huiusmodi esse secundum naturam, & considerationem Physicam. pro cuius notitia sciendum est ex Henrico art. 70. q. 2. ad octauum. *Numerum posse considerari tripliciter, Mathematicè, Physicè, & Metaphysicè.* Diuisio autem continua tribuitur soli Physico. verba Henrici sunt hæc. *Quantum non est nisi collectum ex pluribus absolutis unitatibus plus aliquid absoluti continens in toto, quam in parte, siue fuerit numerus Mathematicus, quia ille non abstrahit à materia intelligibili, siue fuerit naturalis, quia ille procedit non nisi ex diuisione continui, siue Metaphysicus, qui est formarum substantialium, & omnium entium in eo, quod sunt extra aliqua in suo genere, & sic habet rationem substantiæ, licet non sint vera substantia.* Prioritas itaque adducta est solum in genere Physico, & per accidens se habet ad genus quætitatis cui sufficit habere suas species in quas secundum æqualitatem descendat. Ad for-

formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Scientia Arithmetica, & Geometria non conueniunt uniuoce, & tamen sunt circa species quantitatis.* Dicendum scientias has, licet sint de eiusdem quantitatis speciebus, habere tamen eundem modum procedendi in pertractatione de suis obiectis. Geometria enim dicit; Quia Arithmetica autem propter quid; licet ex aliquo defectu non subalternetur illi, ex eo scilicet quia Geometria non assumit subiectum scientiæ Arithmeticæ tanquam principale suæ considerationis. Quod docuit Henricus art. 7. q. 5. ad tertium. *Geometria non subalternatur Arithmetica, licet principia declarata in Arithmetica descendant in totam Geometriam, & ita Geometria dicit, quia, de quo Arithmeticus dicit propter quid. Quia licet ratio numeri, qui est subiectum Arithmetice, descendant in magnitudinem, de numero tamen, ut est numerus, non est speculatio principalis Geometriæ, sed de magnitudine, ut est magnitudo.* Ex hoc modo diuerso procedendi habent inter se aliqualem differentiam iste duæ scientiæ. Sed tamen quia sunt de quantitate uniuoce se habente ad continuam, & discretam bene subiungit Henricus ibidem, *& sic connexæ scientiæ sunt, & quodammodo eadem scientia Arithmetica, & Geometria.* In quo sensu fortasse dixerat art. 3. q. 3. *Mathematici accipiunt numeros, & magnitudines, & considerant de eis, & de suis accidentibus, &c.* Reducendo, & Geometram, & Arithmeticum ad Mathematicum, qui quantitatem discretam & continuam considerat, sed illam considerans vocatur Arithmeticus, considerans vero istam Geometra, cum reuera sit idem numero Mathematicus eo modo quo uniuoca est quantitas considerata ab ipso. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Nullum genus uniuocum denominatiue prædicatur de suis speciebus, & tamen dicitur linea quanta.* Dicendum hoc esse non ex proprietate ipsius prædicationis, sed

sed potius ex quodam loquendi vsu introductum. Vfus autem huiusmodi processit, quia quantitas habet rationem mensuræ, & ratione illius habetur æqualitas, & inæqualitas quemadmodum itaque dicitur vna linea alteri æqualis, ita debet dici vna linea esse quanta, vt exprimat ratio mensuræ, quæ per quantitatem, vt eius proprietas, importatur, licet enim simpliciter, & absolute non conueniat nomen illud *quantum* nisi huic substantiali subsistenti extenso per quantitatem, impossibile tamen est etiam ipsis quantitatis speciebus, non quia subsistentes sint secundum se, sed ex alio capite, scilicet quia habent rationem mensuræ, Doctrina est Henrici expressa art. 70. q. 1. *Dicimus enim non solum, quod lignum est quantum, sed etiam quod quantitas est quanta, & ipsa in quantum est mensura, est quantitas, & aliquid sui ipsius in quantum est quantum denominatum pro mensuratiuo, & per hoc vna quantitas vt ipsa est quantum quoddam, & mensuratum, æqualis est sibi, vt ipsa est mensura, &c.* De alijs vero generibus hoc dici omnino nequit, quia non habent hanc rationem mensuræ, & ideo Albedo non potest dici qualis, quia ipsa non est subiectum, neque quasi subiectum alicuius qualitatis, quemadmodum species quantitatis habet rationem mensuræ aliquo modo conuenientem, vt possit appositè dici linea quanta: Non quidem ratione sui, vt dictum est, cum linea formaliter sit quantitas non quanta, sed ratione illius æqualitatis fundatæ in mensura, vt probatur ex Henrico. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

ARTICVLVS X.

QVAESTIO VI.

Utrum species quantitatis continuæ sint bene assignatæ .



RO parte negatiua Arguitur primo . Motus est in prædicamento quantitatis , & est vera species quantitatis continuæ , & tamen non est inter has species connumeratus : ergo assignatio specierum quantitatis continuæ est insufficiens . Consequentia probatur , quia numeratio aliquorum est insufficiens ; quoties deest aliquid , quod eræ enumerandum cum reliquis . Antecedens uero probatur . Nam motus habet partem extra partem , & ratione suæ extensionis uerè est quantitas , habet uero partes suas inuicem termino communi copulatas : ergo est quantitas continuæ ; Non est uero ; una ex speciebus assignatis ; ut fauet Henrici autoritas , qui art. 66. q. 1. ait . *Motus secundum se consideratus est in prædicamento quantitatis ;* & adheret opinioni dicentium hoc idem art. 59. q. 2. ad tertium . *Vnde etiam dicunt aliqui , quod motus nec est de genere actionis , nec de genere passionis , sed quantitatis , ut uult Philosophus 5. Metaph.*

Secundo . Una species non componit aliam , sed ex lineis componitur superficies , & ex superficiebus corpus componitur . ergo lineæ , & superficies non sunt species quætitatis . Maior probatur , quia species contra distinguuntur sub eodem genere , & per differentias oppositas ipsius generis contractiuas illud participant , ut ait Henricus quodl. 7. q. 8. ubi habet . *Descendit genus in species per differentias duas .* Differentiæ autem

Ff

sunt

sunt contrariæ, & oppositæ, vnde paulo supra dicebat ibidem; Rationi indeterminatæ generis. *Adduntur dua differentię, quia- rum una est nobilior altera: semper enim in qualibet diuisione contrariorum est ponere vilius extremum, &c.* Vbi nomine contrariorum intelligit differentias contrahentes genus, de qua contrarietate latè superius locuti sumus. Minor vero est certa in Philosophia apud Henricum, qui à componendo magnitudines, sola indiuisibilia remouet art. 70. q. 1. *Multitudo componitur ex unitatibus, non sic magnitudo ex punctis, &c.*

Tertio. Quod corpus non sit species quantitatis arguitur. Quod est de genere substantiæ, non potest esse species quantitatis, sed corpus est de prædicamento substantiæ: ergo non est species quantitatis. Maior patet ex eo quod ait Philosophus, *quod substantia vni, non potest esse accidens alteri*, traditur ab Henrico quodl. 4. q. 13. art. 29. q. 4. Minor vero probatur ex Henrico quodl. 1. q. 4. *Dicitur corpus non tamen à dimensionibus quantitatis, sed maxime à forma substantiali corporeitatis, per quam est in genere substantiæ corporeæ, & quodl. 10. q. 5. Si genus substantiæ descendat in speciem subalternam, qua est corpus, ut constituat ipsum habendo rationem corporeitatis, hoc est per differentiam substantialem in eo superuenientem rationi generis, non autem per aliquid accidentale, ex quibus clare habetur corpus esse speciem substantiæ, non autem quantitatis.*

Quarto. Locus est terminus motus localis: ergo est in prædicamēto, Vbi. Consequentia probatur. Nam, Vbi, ex Henrico art. 32. q. 5. *Non est nisi collatio partium locati ad partes loci.* Quæ collatio est terminus motus localis. Quicquid ergo localiter mouetur, ad Vbi moueri dicitur. Antecedens vero patet ex ipsis terminis, quicquid enim localiter mouetur ad locum, dicitur tamquam ad terminum moueri, vnde Henricus quodl. 4. quæst. 17. *Motus localis non debetur nisi existenti in loco, ita quod iuxta modum, qua habet esse in loco*
de-

debeatur ei motus localis de loco adlocum.

Quinto. Nulla quantitatis species debet dependere ab intellectu, sed tempus, quoad suas partes, scilicet præteritum, & futurum, dependet ab intellectu: ergo non potest esse species quantitatis. Maior patet. Quia quantitas est accidens omnino reale, & inter accidentia primum, quia mediante quantitate omnia alia accidentia sunt in substantia, ut docet Henricus art. 70. q. 2. *In corporalibus certa accidentia habent esse in subiecto mediante magnitudine corporali, & quodl. 7. q. 17. Albedo nullo modo habet esse per se, & primo, nisi in superficie. Unde quantitates immediatius adhaerent substantia, quam qualitates, &c.* Ex quibus patet realitas quantitatis, & specierum ipsius. Minor vero probatur ex Henrico quodl. 3. q. 11. *Si enim præteritum, & futurum considerentur, ut instantia inter sua instantia, non omnino præterita, & futura, verum est, quod non sunt nisi in anima, & non sine anima.* Immo etiam respectu ipsius cognitionis difficillimum est ad percipiendum. Ut testatur Henricus art. 2. q. 3. *Ponens tempus inter ea, quæ minimum esse habent inter omnia naturalia, & debilissimè nata sunt sciri; cuiusmodi sunt tempus, &c.*

Notatur primo. Diuersas quantitatis species desumi ex diuerso modo afficiendi subiectum, quem habet quantitas ipsa. Si subiectum afficiatur solum secundum longitudinem, tunc est linea; si secundum longitudinem, & latitudinem solum; tunc est superficies; si vero secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, tunc est corpus. Istæ dicuntur species quantitatis continuæ permanentis; si subiectum afficiatur per modum alicuius ambientis extrinseci se continentis, & conseruantis naturaliter, & dicitur locus, qui, secundum quod superficies est; non est distinctus à superficie, quæ est secunda species quantitatis continuæ, sed ponitur distincta ab illa solum secundum rationem suæ extrinsecitatis, ut dicitur suo loco. Sunt vero alix duæ species scilicet tempus, & motus spectantes ad successi-

uam quantitatem continuam, quæ confurgunt ex eo, quod subiectum afficitur secundum successionem partium decurrentium, & secundum mensuram ipsius motus. Qui idcirco non est hic ab Aristotele positus inter species quantitatis, quia agebat de quantitate sub ratione mensuræ, motus autem habet non mensurare, sed potius mensurari. Vel idcirco dixerim motum fuisse prætermisum, quia non est in prædicamento determinato, sed est reductiuè in prædicamento sui termini, & ob hanc incertitudinem conuenientius non est hic positus, Alibi autem, vt in *Metaph.* bene positus est de prædicamento quantitatis, quatenus habet rationem quanti successiui, vt secundum omnem considerationem semper sit dicere, ipsum esse actum in potentia, quod in *Logicis* fuisset intempestiuum. Nec est necesse ponere in prædicamenti exactam omnium pertractationem, vt supra dicebamus, de prætermisâ quantitatis definitione, & quadrat in proposito dictum *Henrici art. 5. q. 6. Cum actus studij non respiciat nisi modum acquirendi scientiam via rationalis deductionis, procedendo à noto ad ignotum, vt per notum cognoscatur ignotum.* Quandoquidem fortasse absurdum non diceret, qui vellet asserere hic prætermisum motum quatenus opportuniori ordine de ipso pertractaretur alibi, nisi aliquo pacto etiam hic intelligerem positum implicitè, cum ponendo ipsius mensuram, virtualiter intelligatur mensuratum. Itaque ponendo tempus mensuram motus, ex dependentia temporis à motu, dicerem implicitè positum motum, quod deducerem ex *Henrico* quodl. 3. q. 11. *Non alium modum esse habet motus, quam tempus, sed multas hoc inuoluit difficultates quæ ad Physicorum libros sunt differendæ.* Notatur secundo. Motum, & tempus dici ab Aristotele 5. *Metaph.* species motus per accidens, quatenus, vt dicebam motus est in prædicamento sui termini, qui esse potest vel vbi, vel qualitas, vel quantitas, accidit vero illi, quod ad quantitatem terminetur; licet vero habeat motus partium suarum successionem

nem

nem intrinsecam, hanc tamen habet quatenus est idem cum sub termino, à quo tamen secundum rationem differt. Habet etiam motus successionem extrinsecam, quam habet à tempore ipsum mensurante, & ideo dicuntur tempus, & motus esse quantitates per accidens, & fortassè hoc etiam dixit quia, carent illa proprietate quantitatis, quæ est extensio partium in ordine ad locum, quæ mortui, & tempori nequit convenire, cum Aristot. in capite de Quant. dicat tres species quantitatis habere positionem scilicet lineam, superficiem, & corpus, & tres carere huiusmodi positione, quæ sunt tempus, numerus, & oratio. Et hoc idem innuit Henricus art. 32. q. 5. *Dicitur est in prædicamentis, quod quantitatum aliud est habens situm, siue positionem, aliud vero non habet positionem, &c.*

Conclusio. Species quantitatis continuæ sunt optimè assignatæ.

Explicatur. Linea, superficies, corpus, tempus, & locus sunt species quantitatis continuæ ita rectè assignatæ, ut nullam necessè sit addere, nullam demere.

Est Henrici, species huiusmodi enumerantis, & acceptantis art. 66. q. 2. *In eodem singulari continuo puta linea, superficie, corpore, tempore, aut loco, &c.*

Probatur. omnia enumerata habent modum sibi peculiarem affiendi quantitativè substantiam: ergo sunt species quantitatis. Consequentia, & antecedens satis patent. Dices primo lineam numquam reperiri sine latitudine: ergo malè dicitur esse longitudo, sine latitudine. Respondeo non esse lineam à parte rei sine latitudine, latitudinem tamen non esse de conceptu lineæ, sed superficiæ. Dices secundo quare non dicitur superficies componi ex lineis & corpus ex superficiibus? Respondeo hoc non posse dici, quia quamvis linea sit in longitudine

dine diuisibilis, est tamen indiuisibilis secundum latitudinem, & superficies diuisibilis in latitudine, & longitudine est indiuisibilis secundum profunditatem. Indiuisibile autem nequit componere, plura enim simul posita non faciunt rem compositionem, quam prius. Quemadmodum dixit Henricus quodl. 5. q. 19. *Tepidum additum aequaliter tepido non facit magis calidum, &c.* & repetit art. 70. q. 2. *Neque plurificatio formarum recipientium magis, & minus sub eadem specie, si sint in eodem gradu sibi apposita, augent intensiōem secundum magnitudinē perfectiōis, aut virtutis, & hoc quemadmodum panctum additum pancto nihil auget.* Eodem planè modo de superficie, & linea erit dicendum, cum enim linea non habeat latitudinem, si ponatur mille lineæ simul, numquam, vel minimam latitudinem facient, ex quo patet quomodo non possit ex ipsis componi superficies, sunt tamen lineæ in superficie per modum continuantis, & terminantis vt declarabitur in Phisicis.

Ad primam obiectionem quod. *Ex Henrico motus est in predicamento quantitatis, & tamen hic non ponitur.* Dicendum primo esse incertum, an Henricus absolute fuerit eius opinionis, vt motum directè in quantitate poneret, licet enim locis in argumento citatis apertè hoc dicat, sunt tamen alia loca, quæ difficultatem faciunt, ita art. 66. q. 1. *Motus est de predicamento actionis in quantum subintrat rationem respectus, scilicet vt est ab agente, & est de predicamento passionis, in quantum subintrat rationem respectus, vt receptus est in passio.* Examinans vero ex comparatione ad quodnam istorum potius debeat reduci, ait art. 59. q. 2. ad tertium. *Motus magis pertinet ad passionem, quam ad actionem.* Vt autem bene sibi dicatur constans, debemus asserere Henricum secundum diuersas rationes locutum. Vnde secundum vnā rationem, Motus spectat ad quantitatem, secundum alteram ad passionem, ad vbi, & ad qualitatem; quæ omnia suis locis debent examinari, ne Tyronum ingenia nimia, & intempestiua doctrinarum sarcina

cina confundantur. Dicendum secundo. Motum fuisse prætermissum in logica, quia non habet rationem mensuræ, sub qua traditæ sunt species quantitatis à Philosopho. vel, si placeat, dici potest, fuisse quodammodo virtualiter in tempore subintellectum Motum quatenus illud est mensura, Morus verò mensuratus. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad secundam. *Quod una species non componit aliam, & tamen lineæ componunt superficiem.* Dicendum absolute superficiem non componi ex lineis tamquam ex partibus, neque corpus componi ex superficiebus tamquam ex partibus. Dictum enim est expressè, quantitatem debere esse diuisibilem in ea, quæ sunt diuisibilia. Nec debet approbari, quod à nonnullis dicitur, nimirum compositionem huiusmodi se habere penes materiale, duntaxat: hoc enim esset inducere maximum in Philosophia Aristotelis errorem, neque enim materialiter, neque formaliter potest diuisibile ex indiuisibili consurgere, sicut ex parte, bene tamen dicuntur inesse vt copulancia, vel terminancia. Semper enim præ oculis est habendum illud commune dictum Philosophorum sapius ab Henrico repetitum vt art. 70. q. 1. *In illis quæ sunt mole magna quantum additum uni quanto semper auget, &c.* Debet namque omne augmentabile constare ex quantis, non autem ex indiuisibilibus secundum illam rationem, qua indiuisibilia sunt. Cum vero dicitur ab Henrico excludi sola puncta à compositione magnitudinis, conceditur, sed nomine punctorum veniunt intelligenda omnia, quæ habent rationem indiuisibilitatis, vt de linea, & superficie dictum est. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Henricus ponit corporeitatem substantialem, unde non poteris esse accidentalis.* Dicendum. Non esse præsentis negocij de corporeitate substantiali agere, sed, nè omnino ieiunè terminos traueamus, scire oportet Henricum

vt

vt suo loco videbitur, eius fuisse opinionis, vt gradus quos **Meta**physicales vocamus, distinctos in eodem negaret, ponendo eos solum virtualiter. loquendo tamen de corporeitate substantiali secundum aliquos, inter quos erat Auicenna, sæpius ex hypothesi locutus est. Recognouit vero semper secundum veram Philosophiam, corporeitatem accidentalem, per quantitates interminatas; vnde eodem loco citato quodl. 1. q. 4. habet mentionem de corporeitate accidentali. *Corpus substantia solum per extensionem substantialitatem partium materia sub illa quantitate.* Et clarius citato quodl. 10. q. 5. *In mortuo manet aliquid corporeitatis accidentalis, quæ fuit in viuo,* sed de his satis corpus itaque dimensionale species quantitatis non ponitur illud, quod est de genere substantiæ, sed quod dicit extensionem partium secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & sic cessat omnis obiectio. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad quartam quod. *Locus vt sit terminus motus localis, debet esse in prædicamento vbi.* Dicendum. Terminum motus localis esse duplicem. Vnus est intrinsecus, & est ipsum Vbi, siue ipsa partium positio in ordine ad locum, & iste terminus est in prædicamento Vbi. At alius est extrinsecus, & est species quantitatis, quatenus est superficies corporis ambientis, & locantis, & licet à superficie non differat absolutè, habet tamen rationem mensurandi diuersam ab illa; Nam superficies mensurat Quantum intrinsecè, cum illi inhæreat, & informet ipsum corpus longum, & latum, sed locus mensurat extrinsecè, quatenus, cum sit in substantia continet aliud corpus, & consideratur in ordine ad corpus contentum, quod extrinsecè solum contingit, & ex suis proprietatibus dicitur locus naturalis conseruatiuus ipsius locati, & sub hac ratione dixit de loco Henricus quodl. 2. q. 9. *Locus ambiendo circumscribit superficie sua, & continet intra se locatum,* & sic ponitur in prædicamento quantitatis, vt species illius ab alijs speciebus condistincta.

Ad

Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens .

• Ad quintam denique . *Quod quantitas species debent esse omnino reales, Tempus vero habet ab intellectu dependentiam .*

Dicendum. Tempus habere triplicem considerationem , scilicet primo ut est quid continuum, secundo ut quid disjunctum, tertio ut est discretum in continuo; Ut est quid continuum, est omnino à parte rei, quatenus scilicet copulatur per terminum communem omnis eius pars. Secundo est omnino per opus intellectus considerantis partes discretas temporis, & separantis præterita à futuris. Tertio vero modo partim est à parte rei, & partim per intellectum. Ut ait Henricus quodl. 3. q. 11. *Tempus ergo secundum esse quasi materiale, & in radice instantis, habet esse in rebus extrâ, sed secundum suum esse formale, & completivum secundum partes prioris, & posterioris habet esse in anima, &c.* Quod vero additur, quod scilicet etiam respectu cognitionis sit cognitu difficile teste Henrico, hoc non officit; quandoquidem aliud est dicere. *Debilissimè nata sunt sciri, & aliud. Nequeunt sciri, & huius dicti reddit rationem Henricus citato art. 2. q. 6. Contingit quod illa, quorum esse, & natura est ipsa mutatio, aut in mutatione consistit, minimum esse habeant inter omnia naturalia, & debilissime nata sint sciri.* Ex eo scilicet, quod tam motus, quam tempus sunt in continua mutatione, & fluxu, quemadmodum habent debilissimum esse in se, ita etiam cognoscibilitatis minimæ fiunt, itaut intellectus difficillimè ipsorum quiditates percipiat. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

ARTICVLVS X.

QVAESTIO VII:

*An species quantitatis discretæ sint bene
assignatæ.*



PRO Patte negatiua Arguitur primo. Species discretæ quantitatis debent esse quid omnino reale, sed numerus dependet ab intellectu: ergo numerus non est species quantitatis discretæ. Maior probatur, quia quantitas, ex iam dictis, est verum accidens reale realiter substantiæ inhærens, cuius beneficio reliqua accidentia inhærent subiecto. Minor vero probatur primo, quia constat ex vnitatibus, quæ cum sint negationes diuisibilitatis, sunt entia rationis, negationes enim sunt entis rationis species. Quod vero vnitas indiuisiōem, & negationem dicat, habetur ex Henrico art. 43. q. 3. ad tertium. *Vnum verò significat modo negationis, & priuationis illius diuisionis, qua significatur nomine multi. Vnum enim est ens indiuisum.* Probatur secundo eadem minor, quia numerus non est sine numerante, & sic eget opere intellectus, Debent enim quæ numerantur, conuenire in aliquo vno secundum speciem, quæ conuenientia est illa, quæ vocatur vniuersalitatē, & debet esse per intellectum secundum Henricum art. 43. q. 2. ex Philosopho, & Com. super primum de Anima. *Intellectus est, qui operatur vniuersalitatē in rebus, & consequenter etiam numerum.*

Secundo. Quod formaliter est continuum, non debet poni species quantitatis discretæ. Sed oratio est quid formaliter

liter continuum : ergo nequit poni species quantitatis discretæ . Maior est indubitata , quia iam distinguuntur genere sub alterno quantitas continua , & quantitas discreta . Minor vero est Henrici art. 66. quæst. 2. dicentis orationi accidere , *longum, & breue ad modum temporis , in quantum habet rationem continui , &c.*

Tertio . Quantitas discreta pro suo principio habet vnitatem , sed oratio non habet pro suo principio vnitatem : ergo oratio non est quantitas discreta . Minor probatur , quia vnitatis non conuenit nisi permanentibus , & non vocatur nisi principium numeri ab Henrico quodl. 4. q. 5. *Qua est principium numeri verè accidentis , quæ est discreta quantitatis species.* Maior vero patet ex definitione ipsius quantitatis discretæ , quam Henricus dixit constare ex vnitatibus art. 70. q. 1. *Multitudo componitur ex vnitatibus &c.*

Notatur primo . Numerus sic definiri . *Numerus est multitudo ordinata aggregata ex vnitatibus.* Vbi ponitur multitudo , nam vnitatis sola numerum non facit , cum vnitatis sit solum numeri principium , vt probatur ex Henrico quodl. 4. q. 5. *Vnitatis accidentalis , quæ est principium numeri , &c.* Per ly *ordinata* intelligitur , quod numerus continet vnitates non quomodocumque aggregatas , sed se inuicem ordinatè consequentes . Vnde ait Henricus de hoc ordine quodl. 4. q. 6. *Generatio numerorum fit , si accipiat aliquid , quod primo est in se vnum indiuisum secundum actum , & prima diuisione fiat duo , & secunda diuisione in vna partium eius quacumque fiat tria , & sic deinceps , &c.* Dicitur tandem , *ex vnitatibus aggregata* ad differentiam ipsius continui , in quo non est actualis partium separatio ; Vnde dicebat Henricus art. 43. q. 3. *Vnitas in continuo non numerantur , nisi in potentia .* Quod vero numerus sit quantitas , probat Aristoteles ex ratione mensuræ ; cum per numerum v. g. denarium mensurentur decem homines , qui debet esse quid discretum quantitatum , quia vnitates huiusmo-

di non habent terminum communem sui copulatiuum; vt supra dictum est.

Notatur secundo. Orationem, quæ est secunda quantitatis discretæ species, definiri, quod sit. *Mensura distinctorum sonorum, & distinctarum syllabarum, & dictionum, prout ore profertur.* Quæ particulæ satis de se patent. Illud vero maximè aduerti debet, quod alio modo sumitur oratio, vt est species quãtitatis, & alio vt est in libris Perihermenias; Nam sumitur in illis, pro propositione significatiua, & quatenus est vox, hic vero sumitur, vt est mensura ipsius vocis, etiam si nihil significaret, & esset vnicus terminus, siue vnica dictio, & sic accepta oratio bene dicitur esse eadem species cum Numero, sed solum cum differentia accidentali. Nam Numerus non determinat sibi subiectũ, cum possit inueniri in omnibus continuis separatis, & diuisis secundum suas partes, sed oratio inuenitur solum in litteris, vel syllabis alicuius vocis, & posset etiam numerus ad ipsas syllabas se extendere. Dicitur itaque benè, quod sint duæ species potius accidentales, quam essentielles ipsius quantitatis discretæ; cum idem respectu discretorum permanentium dicatur Numerus; respectu verò discretorum successiuorum dicatur oratio, cui (vt inquit Henricus art. 66. q. 2.) *ad modum numeri accidit multum, & paucum, in quantum habet rationem discreti, &c.*

Conclusio. Species quantitatis discretæ sunt optimè assignatæ.

Explicatur. Quantitas discreta habet duas duntaxat species scilicet Numerum, & Orationem, quæ inter se solum debent accidentaliter differre.

Est Henrici art. 70. q. 2. *Modi quantitatum, & discretarum scilicet numerus, & oratio, &c.*

Pro-

Probat. Numerus enim, & Oratio sunt mensuræ, ille permanentium discretorum, ista verò successiuorum: ergo etiam sunt species quantitatis discretæ.

Ad primam obiectionem quod. *Numerus dependet ab intellectu, quia unitas est ens rationis.* Dicendum Numerum verè esse ens reale, habet enim proprietates reales, ut sunt par, & impar, & hoc idem asserit Henricus quodl. 4. q. 6. *Forma denarij, & cuiuslibet numeri, qui verè numerus est, est aliquid in re extra intellectum.* Ad id, quod dicitur de unitatibus ex Henrico. Dicendum ex eodem unitates esse verè reales, & significare quid positivum. Ita art. cit. 43. q. 3. ad tertium. *Indivisio, licet secundum modum Nominis significet, negationem, siue negativè, illa tamen negatio non est nisi negationis, & ita secundum rem, vera positio.* Vnde notatur in verbis in argumento adductis, quod ait. *Vnum significat modo negationis.* Non autem dixit. *Modum negationis.* Quia licet secundum modum nominis grammaticaliter sumpti, sonet negationem; nõ tamen negationem significat, sed veram positionem. Ad secundam probationem eiusdem minoris. Quod Numerus nõ est siue numerante, & videtur esse quasi uniuersale, quod fit per intellectum. Dicendum. Numerum indigere numerante quantum ad actualem numerationem, non autem quantum ad essentiam, & existentiam ipsius numeri, quæ est aptitudo ad numerandum, & sic etiam nullo numerante intellectualiter adhuc realiter dicuntur Petrus, & Paulus duo homines. Quod vero isti debeant conuenire in naturam specificam; hoc sufficit quoad fundamentum reale, quod scilicet ea, quæ numerantur sint realiter radicaliter conuenientia secundum speciem; licet deinde formalitas accidentalis sit per opus intellectus, de qua nihil ad præsens, & optime Henricus loco cit. quodl. 4. q. 6. *Vnde denarius non est numerus unus, quia est decem unitates simpliciter, sed quia est decem unitates conuenientes in vno secundum formam.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad

Ad secundam quod. *Orationis competit longum, & breue, & consequenter esse continuum.* Dicendum orationem tunc sumi secundum quod ait Aristoteles in textu. *Actio longa, motusque, quia tempus est longum, &c.* Quod conuenit orationi per accidens, ut actio est aliqua. Cum uero dixisset Henricus loco citato in oratione haberi longum, & breue, quatenus est quid continuum, recognouit hoc esse omnino extrinsecum, & ait, *cui ad modum numeri accidit multum, & paucum*, art. 66. q. 2. cit. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Vnitas est principium solius Numeri, non autem Orationis.* Dicendum, esse etiam orationis, quatenus est numerus aliquorum discretorum successiuorum, & sic dicebam congruentius dici orationem differre à numero merè accidentaliter, quia ipsemet habet rationem numeri circa succedentia. Et ideo Henricus unitatem solum tribuit Numero, quia in Numero includitur oratio. Nec tribuere unitatem Numero, est excludere unitatem ab oratione, quæ ex unitatibus syllabarum confurgit, ut mensura ipsarum, quod ex dictis satis patet. Ad formam itaque argumenti negatur minor.



ARTICVLVS X.

QVAESTIO VIII.

Virum proprietates quantitatis sint bene assignatæ .



PRO parte negatiua Arguitur primo contra primam proprietatem sic . Perfecta quantitas est verè contraria quantitati imperfectæ : ergo quantitati aliquid est contrarium . Consequenter probatur , quia tunc dicitur aliquid alicui contrarium , quoties in suo genere habet ali-

quid secum pugnans , vt patet in calore , & frigore sub genere qualitatis Antecedens verò probatur , quia illa sunt verè contraria , quæ se in eodem subiecto non compatiuntur : sed in subiecto eodem non potest esse perfecta , & imperfecta quantitas simul : ergo sunt contrariæ . Minor hæc vltima probatur apertissimè art. 42. q. 1 . *Linea recta , in quantum ex utroque termino potest ad additionem recipere , imperfecta est . Linea vero circularis , quia non habet terminum , cui possit fieri additio , perfecta est .* Implicat autem simul esse in subiecto lineam circulem , & rectam .

Secundo . Motus est à contrario in contrarium . Sed datur motus ad quantitatem . ergo quantitas habet contraria . Maior est Henrici quodl. 11. q. 6 . *Motus supponit accidens in subiecto , quia est à contrario , vel à priuatiuo in contrarium , quem admodum dealbatio presupponit nigredinem , vt contrarium albedinis producenda .* Minor vero est eiusdem Henrici quodl. 5. q. 13 . loquens de quantitibus , & qualitibus ait . *Vt sunt qualitates , & quantitates , in quibus sunt motus alterationis ,*
& aug.

& augmenti, & retinent partes simul post acquisitionem, necessario tamen amittendas per motus contrarios.

Tertio. Illa dicuntur suscipere magis, & minus, quæ habent afficere subiectum secundum magis, & minus. Sed hoc etiam competit quantitati: ergo quantitas suscipit magis, & minus. Maior probatur de albedine, quæ in tantum dicitur suscipere magis, & minus, in quantum per ipsam fit paries magis, vel minus albus, ipsa tamen albedo est semper eadem, nec vna dicitur magis albedo, quam altera. Minor vero est euidens ex lineis, quarum vna dicitur maior, & longior altera; licet enim non sit magis linea, quam alia, est tamen nata afficere subiectum secundum maiorem longitudinem, vnde Henricus dicebat. *Dicitur enim vna linea magis longa, quam alia, quia maior est longitudo eius*, quodl. 4. q. 15.

Quarto. Possunt duæ substantiæ in sua virtute dici æquales, vel inæquales: ergo hæc proprietas potest alijs competere à quantitate, & non erit proprietas quarto modo. Antecedens probatur de æqualitate, quia Angeli dicuntur æquales in sua substantia, vnde ait Henricus quodl. 3. q. 5. *Vnus Angelus non est magis Angelus in natura speciei suæ, quam alter.* De inæqualitate vero ex eodem quodl. 4. q. 15. *Essentia vnius Angeli est maior secundum perfectionis quantitatem, quam sit essentia alterius, & tamen constat, quod in Angelis non est quantitas.*

Notatur primo. Circa duas priores quantitates multa posse haberi ex ijs quæ dicta sunt à nobis de proprietatibus substantiæ. Illud in præsentem solum erit utile scire, quod scilicet magnam illæ duæ proprietates habent connexionem; quandoquidem secunda oritur à priori, semper enim de illa forma, quæ non habet contrarium, valet dicere, quod non suscipit magis, & minus. Non tamen ita hoc intelligendum est, quasi contrarium ipsum sit ratio formalis suscipiendi magis, & minus, hoc enim esset inconueniens, sed quia suscipiens magis, & minus dici-

dicitur ex eo, quia est permixtius, vel impermixtius contratio sub, sicuti notauit Henricus quodl. 4. q. 15. *Albius est nigro impermixtius, sed contrariū non est causa, quare sit albius, &c.* Si vero queratur, à quonam formaliter proueniat, quod natura aliqua sulcipiat magis, & minus, respondet post pauca interposita ibidem. *Nihil ergo querendum est, quod sit causa magis, & minus, nisi, quod natura, & essentia, secundum quam dicuntur magis, & minus, non consistit in determinato, & in diuisibili termino, &c.*

Notatur secundo. Aequalitatem sumi posse vel propriè, & rigorosè, vel minus propriè, & in sua latiori significatione. Rigorose sumpta æqualitas est eadem quantitas rerum inter se differentium, ex qua æqualia dicuntur illa, quæ inter se comparata, neque excedunt, neque exceduntur. Inæqualia vero, quorum, si comparentur ad inuicem, vnum excedit, vel exceditur ab alio. Communiter vero sumitur, & impropriè, quatenus æqualia dicuntur ea, quæ potius similia dicenda sunt, vt si duo homines æqualiter dicantur docti, cum potius similes sint appellandi. Vt vero sumitur æqualitas formaliter, vt ex comparatione consurgens, est relatio, nec dicitur esse proprietas quantitatis, sed intelligitur, quod proprietas quantitatis est, esse fundamentum huius relationis secundum quod aliquid dicitur formaliter alteri æquale, vel inæquale; ex eo quod in tali, vel tali quantitate conuenit cum illo, vel ab illo differt. Differentiam illam æqualitatis, & similitudinis affert Henricus art 70. q. 1. ad quartum. *Si fuerit quantitas ad ipsam sequitur æqualitas, si autem fuerit qualitas ad ipsam sequitur similitudo.* Quod vero quantitas non sit æqualitas ipsa, sed fundamentum æqualitatis ibidem paulo post docet. *Commensuratio non sequitur æqualitatem simpliciter, nec causatur ab ea, sed solummodo consequitur æqualitatem, quæ fundatur super unitatem conformitatis in quantitate, & causatur ab illa, quæ non est nisi in quantitatibus diuersis, &c.*

Conclusio . Tres quantitatis proprietates sunt optime assignatae .

Explicatur. Bene assignantur quantitati ab Aristotele proprietates illæ . Quod scilicet quantitas non habeat contraria , non suscipiat magis , & minus ; sit verò fundamentum relationum æqualitatis , & inæqualitatis .

Est Henrici . Quod enim quantitas non habeat contrarium sibi , potest bene deduci ex quodl. 4. q. 5. vbi approbat dictum Philosophi . *Determinatorum vero nullum nulli est contrarium, &c.* Et post plura ait quantitatem, esse de numero determinatorum . *Determinatur continua quantitas per punctum , & discreta per unitatem, quæ sunt principia eorum, &c.* De secunda vero proprietate. Quod scilicet quantitas non suscipiat magis , & minus , habet ibidem expresse . *Et ideo neque in genere, neque in aliqua eius specie dicitur magis, & minus secundum quantitatem.* De tertia tandem art. 70. q. 1. *Quantitas, de qua dicitur, quod proprium est secundum eam æquale , vel inæquale: dici.*

Probaturo vero conclusio ratione sic. Illa habent contrarium, quæ inuicem pugnant , & expellunt se ab eodem subiecto . Hoc non habetur in quantitate: ergo quantitas non habet contrarium. De secunda sic. Illa suscipiunt magis , & minus , quæ habent contraria , & sunt indeterminata , sed quantitas non habet contrarium, neque est indeterminata in sua essentia: ergo non suscipit magis , & minus . Nota , quod sermo est de quantitate terminata secundum quod à parte rei semper est , de illa verò, quæ dicitur indeterminata erit sermo in Physicis. De tertia denique sic. Aequalitas propria est relatio duorum , quæ secundum quantitatem conueniunt , & inæqualitas est inter duo , quæ habent quantitatem diuersam: ergo secundum.

dum quantitatem habent dici æqualia, & inæqualia.

Ad primam obiectionem quod. *Perfectum, & imperfectum sunt contraria, & reperiuntur in quantitate.* Dicendum absolute perfectum, & imperfectum non variare speciem, neque proprie esse contraria, si sumatur ratio perfecti, & imperfecti in aliquo, quod de imperfecto tendit ad perfectum, ut imperfectio attendatur ex defectu agentis. Ita expressè intelligit Henricus illud dictum art. 64. q. 4. ad secundum. *Perfectum, & diminutum non diuersificant speciem; solum verum est, quando ens habet, quod sit diminutum ex solo defectu agentis, ut contingit in minus calido respectu magis calidi.* Ad id, quod dicitur de quantitatibus perfecta, & imperfecta, quæ non possunt simul esse in eodem subiecto, conceditur ex impossibilitate præcisè, non autem ex mutua adiuvitate in se expellendo, ita ut possint permisceri aliquo pacto, ut patet de qualitatibus, in quibus est vera contrarietas. Quod vero Henricus dicat lineam rectam esse imperfectam, & circularem perfectam. Verissimum est; sed non est perfectio, & imperfectio in genere quantitatis, sed in genere qualitatis, & figurationis: de qualitatibus vero in quantitate existentibus ait Henricus quodl. 4. q. 15. *Philosophus in predicamentis assignans rationem quare qualitates in quantitate, ut triangulus, vel quadrangulus, & huiusmodi non suscipiunt magis, & minus, dicit, &c.* Quod autem linea recta secundum additionem facilem in ipsa sit imperfecta, intelligendum est quantum ad extensionem duntaxat. Certum enim est quantitatem magis; vel minus extendi; sed hæc non est vera contrarietas, quæ respicit intensionem, & remissionem. Qua ratione inquit Henricus art. 42. quæst. 1. *Puer est imperfectus secundum quantitatem; factus autem vir est secundum quantitatem perfectus.* Quod intelligitur duntaxat extensivè. Illæ vero dicuntur esse verè contraria, quæ inuicem ab eodem se expellunt, non quæ subordinata sunt ad inuicem. Ad for-

mam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad secundam quod. *Motus est à contrario in contrarium; est vero ad quantitatem.* Dicendum sufficere motui, si sit à priuatiuo, neque enim semper requiritur ad motum terminus à quo positiuus. Vnde loco citato in argumento bene ait Henricus, *quia est à contrario, vel à priuatiuo.* Si enim sit motus ad aliquid habens verum positiuum contrarium, tunc motus est à contrario, vt quando est ad qualitatem puta, calefactio est à frigiditate ad calorem. Sed vbi non est contrarietas positiuæ, sufficit motui terminus à quo priuatiuus. Vnde motus augmenti est ad talem extensionem à non tali extensione in subiecto apto nato vltius extendi. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. *Illæ suscipiunt magis, & minus, quæ habent secundum magis, & minus afficere subiectum.* Dicendum non bene ex subiecto præcisè argui susceptionem magis, & minus; sed ex ipsa forma. Non solum ergo albedo facit magis album, sed etiam ipsamet est maior albedo, vel minus secundum se. Vnde egregiè ait Henricus cit. quodl. 4. quæst. 15. *Non ergo bene dicitur, quod vnus est magis albus, quam alter, sed vna albedo non est maior, quam altera. Immo nunquam substantia dicitur secundum aliquid magis, nisi illud in se sit magis, &c.* Quod vero ait Henricus vnã lineam esse longam magis, quam aliam. Dicendum hoc magis, & minus non intelligi intensiue, sed solum extensiue, qua ratione ibidem subiungit Henricus, *& dicitur vna essentia magis esse quam alia, quia entitas vnus est maior, & perfectior quam entitas alterius, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad quartam quod. *Duæ substantiæ secundum suam virtutem sine quãtitate possunt esse æquales, vt sunt Angeli duo, & inæquales, vt diuersa Angelorum species.* Dicendum illam æqualitatem, & inæqualitatem fundari in quantitate, si non molis, saltẽm virtutis. Vnde de hac quantitate virtutis dicitur etiam
ista

ista proprietates, ut ait Henticus loco citato art. 70. q. 1. *Quantitas de qua dicitur, quod proprium est secundum eam æqualem, vel inæqualem dici, largissime accipitur pro quantitate scilicet, quod diversa est in solis creaturis, & directe in predicamento quantitatis, quæ solum est in corporalibus, & pro quantitate virtutis, quæ est etiam in spiritualibus omnibus, &c.*

Nec potest quis contendere oppositum, nam, nisi ad sit aliqua quantitatis ratio; impossibile est ponere inter aliqua rationem æqualitatis, vel inæqualitatis; cum solius quantitatis munus sit æqualitatem, & inæqualitatem fundandi. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.



ARTICVLVS XI.

Circa vndecimum Articulum de Relationibus quærebantur decem, scilicet Relationis quiditas, Definitio, Fundamentum, Differentia à fundamento realis, vel Intentionis, Quiditas fundamenti, Differentia fundamenti à termino, terminorum Multiplicatio, Differentia relationis communis ab alijs, & Proprietatum relationis Assignatio. Erat autem

QVAESTIO I.

An detur Relatio realis.

RO parte negatiua Arguitur primo. Omne quod reale est in rerum natura, vel est substantia, vel accidens: sed Relatio neque est substantia, neque est accidens: ergo non est ens reale. Maior est certa, quia penes hos duos modos essendi, scilicet per se, & in alio, desumptus est numerus, & series prædicamentorum, vt ex Henrico diximus in quæstionibus præcedentibus sufficienter. Minor vero quoad primam partem, quod scilicet relatio non sit substantia, patet ex Henrico, qui ad mentem Auicennæ ait quodl. 3. q. 4. *Substantia, vt substantia est, non est eius ad aliam seba.*

habere. Quoad secundam partem verò, quòd scilicet non sic accidens probatur. Quia accidens habet esse in alio, Relatio vero est ad aliud, vnde dicit Henricus art. 56. q. 1. Propria ratio quantitatis, & qualitatis est secundum comparationem eius ad suum fundamentum, ut ad subiectū, cui inhaeret, sed propria ratio relationis non est omninò secundum comparationem eius ad fundamentum suum, &c.

Secundo. Nullum reale est commune enti reali, & rationis, sed relatio est quid commune enti reali, & rationis: ergo relatio non est realis. Maior potest aliquo pacto deduci ex eo, quod ait Henricus art. 64. q. 4. ad secundum. *Semper enim perfectius est opus natura in ipsa re, quam opus rationis circa rem in conceptu intellectus, quod opus rationis circa rem natura non est in genere omnino, &c.* Vbi notandum venit, quod ens rationis non est in genere, vnde neque id, quod ipsi est aliquid commune, potest esse in genere. Minor vero probatur ex eodem art. 63. q. 2. *Relationes in singulis generibus quandoque sunt secundum rem, quandoque secundum rationem, &c.*

Tertio. Omne ens reale debet habere causam sui productiuam, sed relatio non habet causam productiuam sui: ergo non est realis. Maior debet supponi, vt certissima tam de substantia, quam de accidente. Idcirco enim ponitur generatio, quia per ipsam ab agente substantiæ accipiunt suum esse, & existere, vt aiebat Henricus quodl. 4. q. 14. *Materia est in potentia passiva ad formam, ut de ipsa per suam transmutationem possit forma in composito produci per agens, & generari compositum.* Minor vero probatur. Nam si producat quis Parisijs in albedine similis existenti Romæ, est inter hos relatio similitudinis, & tamen non habet sui causam agentem, quia causa huius similitudinis non potest esse qui iam produxit album Romæ, quia ille potest non existere, neque ille qui producit album Parisijs, quia nullum agens potest agere indistans; Nam vt inquit Henricus quodl. 4. q. 17. *Non est verè*

motus

motus à termino in terminum, nisi pertranscundo medium. Est enim necessaria connexio agentis, & passî; Mouentis, & mobilis, quæ non videtur esse inter eum, qui producit Parisijs album, & eum, qui albus Romæ existit.

Notatur primo. Ens accidentale diuidi in ens accidentale absolutum, & in ens accidentale respectiuum. Absolutum, quod respicit duntaxat suum subiectum, & secundum hunc modum sunt quantitas, & qualitas. Respectiuum vero, quod suum esse habet in ordine ad aliud, & distinguitur in septem vltima prædicamenta. Ita docuit Henricus quodl. 5. quæst. 6. *Modus essendi in alio in comparatione ad aliud necessario præsupponit modum essendi in alio absolute, & quodl. 15. q. 5. Ratio autem communis illis nouem prædicamentis accidentium distinguitur in duas, quia esse in alio, aut conuenit alicui absolute, aut non nisi in ordine ad aliud, & est prima istarum duarum rationum communis duobus prædicamentis absolutis scilicet quantitati, & qualitati, secunda vero est communis septem prædicamentis respectiuis, &c.* Sed inter hæc, quæ dicunt ordinem ad aliud, quædam sunt, quæ in suo primo conceptu non dicunt respectum, sed solummodo illum important secundariò, quemadmodum v. g. scientia, quæ primo, & per se est qualitas, & quid absolutum, secundariò vero dicit respectum ad scibile, & secundum hunc respectum ponitur in prædicamento Relationis, quatenus scilicet dicit dependentiam ab eo, ad quod est. Vt fatetur Henricus quodl. 3. q. 4. *Scientia id, quod est secundum se quidditas, est in subiecto, & secundum quod est respectus quidam est adscibile, &c.* Quædam vero in suo primo conceptu talem ordinem important, & sunt omnino in ordine ad aliud, vt Pater, & filius; dominus, & seruus, & hæc sunt vera, & propria relatiua, quæ dicuntur relatiua secundum esse. Illæ autem sunt potius relatiua secundum dici, quæ sunt secundum se aliquid absolutum. Vnde dilucidè docet Henricus art. 63. q. 2. *Relatio diuiditur in relationem secundum esse, & in relationem*

tionem secundum dici, & dicuntur relatiua secundum dici, quæcunque sic se habent ad inuicem, quod unum est aliquid alterius, & per hoc unum eorum respectum habet ad alterum, sicut se habent inter se pars, & totum, accidens; & subiectum, inter quæ forma relationis in sola dictione unius ad alterum consistit, licet nunquam sit sine secundo, cum hoc, quod esse utriusque illorum est absolutum, & respectus ille nequaquam est relatio, propter quod talis relatio non pertinet ad prædicamentum relationis, &c. De alijs vero, quæ sunt relatiua vera secundum esse subiungit. Et dicuntur secundum rem illa, quæ verè, & perfectè relatiua secundum esse dicuntur eo, quod esse suum relatiuum habent à natura rerum, in quibus sunt extra animam. Hæc libenter diffusè habere libuit, nè semper in progressu eadem repetenda reuertantur.

Notatur secundo. Relationem conuenire cum alijs accidentibus in eo, quod est esse in subiecto, ipsa enim relatio realis realiter est subiectata in aliquo, ut paulo ante diximus, Differre vero ab illis secundum proprium modum, quo constituitur genus relationis, habet enim suam rationem formalem, per quam à cæteris distinguitur, & quemadmodum quantitas distinguitur ab alijs prædicamentis per extensionem partium in ordine ad se, & qualitas ex eo, quia est dispositio subiecti. Ita relatio distinguitur, quatenus dicit ordinem ad aliud. Vnde Henricus art. 63. q. 3. *Relatio simpliciter ratione modi, qui est ad aliud esse, ut indistinctè considerata circa indistinctas res prædicamentorum absolutorum, aut prædicamenta relationum, quæ sunt ad aliud, siue relatiua, est genus, & rationem generis habens, &c.*

Conclusio. Relatio realis admittenda est.

Explicatur. Debet admitti necessariò prædicamentum relationis continens ens reale distinctum ab alijs prædicamentis realibus.

Est Henrici quodl. 3. q. 4. *Relatio realis, quæ habet esse in singularibus, est illa, quæ conuenit eis, qua sunt simpliciter, & absolute ad aliquid* quodl. 3. q. 10. *Interfici: relatiua dicitur esse relatio realis* quodl. 4. q. 1. *Relatio supposito creatura iam in esse constituto accidentaliter aduenit,* quodl. 4. q. 3. *In paternitate contraria filiationi videmus contingere,* &c. quodl. 5. q. 6. & 7. quodl. 14. q. 2. quodl. 15. q. 5. art. 35. q. 3. & 5. art. 55. q. 6. art. 56. q. 1. art. 63. q. 2. & art. 73. q. 3. & passim hoc habet, sed præcipuè ex professo, quomodo relatio fit in genere, quod quæritur in proposito habet art. 63. q. 3., vbi plura, de quibus etiam in sequentibus erit sermo.

Probatur. Illud est accidens reale, quod aduenit alicui cum mutatione illius, sed relatio est huiusmodi: ergo relatio est accidens reale, Maior patet, Minor probatur ex Henrico quodl. 3. q. 10. *Absolute dicendum est, quod relatio realis nulli potest aduenire de nouo sine aliqua sui mutatione.*

Ad primam obiectionem quod. *Relatio vt accidens non dicit esse ad aliud, sed esse in alio.* Dicendum; Relationem vtrumque dicere, quia vt est accidens dicit esse in', vt vero est peculiare genus ab alijs accidentibus distinctum, dicit esse Ad. Vnde bene Henricus quod. 3. q. 4. *Relatiua duo esse habent, vnum, quo habent rationem accidentis, & hoc ratione accidentis absolute, super quo fundantur relationes ipsa, Alterum vero, quo habent ad aliud esse, & hoc ratione sui generis distincti contra alia genera, &c.* Non debet autem considerari relatio vt accidens, vt sic, & in genere, sed secundum quod est tale accidens, cui scilicet ad differentiam aliorum accidentium conuenit propria ratio essendi ad aliud, vt notauit Henricus art. 63. q. 3. dicens. *Quidditas relatiua solummodo accipitur in comparatione ad aliud;* Est itaque relatio accidens, & differt ab alijs accidentibus, quatenus ipsa est respectiua alterius, vt melius inferius declarabitur. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad

Ad secundam quod. *Nihil est commune enti reali, & rationis, Relatio autem est huiusmodi.* Dicendum re vera nihil uniuocum posse esse commune; sed fortassè commune posset esse quid analogum, quatenus ens rationis habet fundamentum in re, & non est per meram intellectus imaginationem, qua ratione fit ens rationis ratiocinantis. Dixi posse esse quid commune analogum, quia hoc facillè concederet Henricus qui art. 75. q. 6. ad tertium apertè dixit. *Nomen (Res) significat analogicè rem dictam à ratiudine, qua significatur nomine entis verè, & etiam rem dictam à reor reris, qua significatur nomine entis diminuti continentis omne ens existens in intellectu ab opere intellectus, &c.* Et quia analogia hæc tollit uniuocationem rigorosam, secundum quam attenduntur ea, quæ in prædicamentis reponenda sunt, Idcirco bene dicitur, relatio secundum dici, siue secundum rationem non esse in prædicamento omnino, vt dicebamus ex Henrico art. 63. q. 3. & confirmatur ex quodl. 3. q. 4. vbi reprobans Henricus cum Aristotele, & Auicenna primam definitionem relationis, quam assignabat Plato ait. *Talis relatio non est in natura rei secundum se, sed in conceptu intellectus solum.* Vnde relatio non est communis enti rationis, & enti reali nisi secundum nomen æquiucum, vel saltem analogum, nec tali modo sumitur quando ponitur prædicamentalis, sed solum vt significat verum ens reale accidentale. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. *Relatio non habet causam productiuam, quia nihil agit in distans. Relatio autem est inter distantia.* Dicendum. Relationem ab eo causari, qui causat fundamentum illius, cum relatio secundum, quod accidens est, non sit nisi ipsa entitas, & res sui fundamenti, vt videbitur latius infra. Qui itaque producit rem absolutam, in qua fundatur relatio, ille dicitur producere ipsam relationem resultantem, & sic dixit Henricus quodl. 3. q. 10. *Aliquid, si de nouo incipit referrri, hoc*

est quia de nouo incipis esse in eo id', super quod ille respectus fundatur, &c. Ad id vero, quod dicitur de distantia. Dicendum non posse agens Physicum physicè attingere passum distans, benè ramen; posse producere hoc fundamentum relationis, quod deinde habet, vt posito vbiicumque tali termino ad illum referatur. Producens vero terminum producit illum vt fundamentum relationis mutuæ. Vnde Henricus vocauit relationem ordinem realem quodl. 3. q. 4. *Et sic relatio per se, & secundum esse nihil aliud est, quam quidam ordo essentialis vnius ad alterum fundatus in natura, & essentia eorum, quæ ex hoc habet, quod sit res, & realis relatio.* Nec deterreat definitio illa essentialis, quia sic loquitur Henricus de essentiali, sicuti de reali in vno quoque genere etiam accidentium. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

ARTICVLVS XI.

QVAESTIO II.

Vtrum definitio relationis sit bona.



PRO parte negatiua Arguitur primo. Definitio non debet competere alteri à definito, sed hæc competit alteri à definito: ergo non est bona. Maior probatur per regulas bonæ definitionis, cum enim definitio explicet naturam definiti, debet adæquari ipsi definito, itaut neque excedat, neque excedatur ab illo. Minor vero probatur de relationibus transcendentalibus, quæ habent esse ad aliud, & tamen non sunt in prædicamento relationis, quia non sunt accidentia, sed potius essentialis dependentiæ, & ordo inter duo, qualis est relatio inter materiam, & formam, & inter actum,

actum, & potentiam. Vnde dicit Henricus art. 35. q. 2. *Potentia passiva, in quantum potentia est, conuenit, quod de ratione sua dicatur ad actum, &c.* & paulo post exemplificat etiam de materia. *Vt materia est in potentia passiva ad formam, & tamen potentia materiæ non est accidens, quia habetur ex Henrico art. 35. q. 8. ad secundum. Potentia nihil re aliud est ab esse materia, quia ipsa ex se, & id quod est, est in potentia ad patiendum non per aliquid additum, sicut diuina essentia ad agendum, &c.*

Secundo. Relatio non dicit solum esse ad aliud, sed etiam esse in alio, vt supra dictum est, sed in hac definitione non ponitur, quod sit in alio: ergo insufficienter definitur. Minor patet ex terminis ipsius definitionis vbi nulla fit mentio de accidente, neque de esse in alio; cum solum dicatur. *Relatiua sunt illa, &c.* Et tamen definitio, vt sit conueniens, debet exprimere totam definiti quidditatem, vt habet Henricus quodl. 10. q. 8. vbi loquens de esse rei completo ait. *Et est illud, quod exprimitur in definitiua ratione cum dicitur, quod definitio est oratio indicans, quod est esse.* Esse autem relationis est, quod afficiat subiectum, in quo est, priusquam referatur ad aliud.

Tertio. Definitum in hac definitione debet intelligi aliquid reale, sed relatio non est aliquid reale, secundum quod ponitur in definitione: ergo non bene definitur. Maior probatur, quia definitio hæc dicitur dari de relatione vt est prædicamentum, & consequenter debet esse quid reale. Minor vero probatur. Nam definitur per esse ad aliud. *ly*, autem *ad* non dicit realitatem in relatione, quia tota ipsius realitas est penes esse *in*, & secundum fundamenta, in quibus est, vt ait Henricus expressè pluribus in locis, sed præcipuè art. 43. q. 2. ad secundum. *Relatio non habet realitatem nisi à suo fundamento.*

Notatur primo. Multas esse differentias inter relationes prædicamentalem, & transcendentalem. Prædicamentalis dicitur, quæ constituit peculiare prædicamentum, de qua est sermo

fermo in præfenti. Transcendentalis verò est, quæ per omnia genera vagatur. Illa scilicet prædicamentalis respicit suum correlatiuum purè vt terminum, ista vero, scilicet transcendentalis, respicit suum correlatiuum, quandoque vt causam, vt creatura ad creatorè refertur, vt ad causam; vel vt effectum, sicut intellectus respicit intellectionem suam; vel vt subiectum, vt accidens respicit subiectum, vel vt obiectum, vt cognitio respicit cognoscibile. Præterea prædicamentalis debet habere fundamentum absolutum, Transcendentalis vero hoc non requirit; Quemadmodum nec requirit realem extremorum distinctionem, quam habet sibi necessariam prædicamentalis. Vnde transcendentalis congruentius appellatur respectus, quam relatio, Prædicamentalis vero potius dicitur relatio, quam respectus, differunt enim respectus, & relatio si rigorosè sumitur vtrumque, vt ait Henricus art. 67. q. 3. *Omnis relatio est respectus, sed non è conuerso. Cuiuslibet enim accidentis est respectus ad suum subiectum, vt ad id, cui natum est in esse, nulla tamen est relatio accidentis ad suum subiectum, est enim relatio respectus, qui est modus essendi, quo id, cuius est ad aliud dicitur, & cum propriè accipitur relatio, ipsa non nominat nisi extrema habitudinis, quibus relata ad inuicem referuntur, &c.* Quasi dicat illam solum vocandam propriam relationem, quæ inter duo realiter ad inuicem relata reperitur, & sic excluduntur respectus transcendentales omnes à relationis prædicamento. Si vero aliquando vtamur nomine relationis indifferenter etiam ad explicandum respectum transcendentalem, semper venit intelligenda relatio pro respectu, & pro ipso supponens.

Notatur secundo. Definitionem Platoniam in hoc differre ab Aristotelica, quod in illa exprimebatur solum relatio, secundum dici, dicebat enim Plato. *Ad aliquid talia dicuntur, quaconque ipsum, quod sunt aliorum dicuntur.* Vnde bene confutatur talis definitio, quia, vt ex Boetio inquit Henricus quodl.

quod. 3. q. 4. *Talis relatio non est in natura rei secundum se, sed in conceptu intellectus solum.* Aristoteles autem, ad aliquid sunt ea, quibus hoc ipsum esse, quod habent, est ad aliud se habere, quia ut ibidem paulò post notat Henricus. *Non enim in eo, quod est dici ad aliquid consideramus, sed in eo, quod est esse, &c.* In quo sensu semper relatio realis debet esse accidens reale, ut ex Auicenna Henricus ait. *Propter quod etiam omnis relatio, ut relatio accidentalis est, secundum quod dicit Auicenna.* In fine vero eiusdem quæstionis expositurus Henricus quomodo relatio sit realis, secundum quod est ab Aristotele definita; ait. *Si ergo velimus videre, quomodo relatio dicatur realis, & à quo habet, quod dicatur res aliqua nature non rationis tantum, oportet considerare, quod quadam relatio habet esse in singularibus ex natura ipsius rei extrà, non ex opere intellectus, sed quam intellectus considerans rem inuenit circa ipsam rem, & est relatio ista realis, quia fundatur in re, cuius quidditas est respectu alterius ex seipsa, non per aliquid additum ei, &c.* Itaque secundum hanc realitatem debet definitio allata intelligi, quatenus est quid reale accidentale modo explicato, quibus habitis sit.

Conclusio: Definitio allata ab Aristotele est optima.

Explicatur. Relatiua optime ab Aristotele definiuntur. *Esse illa, quorum totum suum esse, est ad aliud se habere.*

Est Henrici apertissima loco citato quodl. 3. q. 4. *Quia Philosophus vidit, quod talia non sunt verè relatiua, nec definiti illa prædicta de relatiuis est vera definitio, & propterea indicans, quid est verorum relatiuorum, ideo in prædicamentis subdit definitionem aliam veris relatiuis tamen conuenientem, quæ eadem est cum definitione Auicennæ præposita, & declarata, di-*

cens

cens, quod Ad aliquid sunt ea, quibus hoc ipsum esse, quod habent, est ad aliud se habere, &c. & art. 63. q. 2. Relatiua secundum esse dicuntur, quia esse eorum non est solum cum respectu, sed est relatio quædam, & respectus, non quo aliquid dicitur tantum ad aliud, sed quoad hoc habet ad aliud esse, &c.

Probatur vero conclusio ex regulis bonæ definitionis, nam per hanc bene explicatur tota natura definiti, & excluduntur ea, quæ verè non sunt relatiua realia prædicamentalia: ergo est optima. Ex dictis, & ex dicendis omnia satis clara sunt.

Ad primam obiectionem quod. *Relationes transcendentales conueniunt in hac definitione, & tamen non sunt relationes prædicamentales.* Dicendum. Relationes, quibus se respiciunt actus, & potentia; accidens, & subiectum, & huiusmodi esse puros respectus, non autem relationes. Neque benè dicitur, quod illis conueniat hæc definitio, quia esse illorum respectiuorum non est totum esse ad aliud, sed est aliquid prius absolutum in se, quam respiciant aliud. Et omnes huiusmodi respectus, licet reales sint propter ordinem, & dependentiam, non tamen sunt prædicamentales, quia deficit in eis ratio correspondentiæ vtriusque extremi, sinè qua non sunt vera relatiua prædicamentalia, vt dicebat Henricus quodl. 3. q. 10. *Relatio fundata super huiusmodi accidentia, oportet, quod sit realis in utroque extremorum.* Deficit quoque in eis ratio accidentis, vnde relatio, quæ est Creaturæ ad Creatorem licet sit realis, non tamen est prædicamentalis; quia est ipsa substantia Creaturæ, vt ibidem paulò supra ait Henricus. Omnis relatio inter Creatorem, & Creaturam, *secundum rem est in Creatura, quia secundum omne id, quod est, & quod in se habet, à Creatore essentialiter, & realiter dependet, etiam secundum suum esse in substantia, & essentia sua, quod est de maxime absolutis in ipsa, &c.* Ad id vero, quod adducitur ex art. 35. q. 2. De potentia passiuâ, de cuius ratione est, quod respiciat actum. Dicendum potentiam passiuam requirere actum suum per

per respectum ordinis essentialis ad ipsum, non autem ordinis accidentalis ipsi superadditi. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Non est expressum genus accidentis in hac definitione, & tamen ratio non solum habet esse ad, sed etiam esse in.* Dicendum non esse appositam rationem accidentis, quia solum in relatione materialiter impenat omnino, & facile potest intelligi, quando dicitur, quod definitur vnum accidentis Genus, quod vocatur ad aliquid. Debet autem in definitione attendi id præcipuè, quod est constitutum definiti. vt ab alijs distincti, & vt est sui generis talis natura; Et quemadmodum in definitione quantitatis non potest vitio verti, quod non fuerit appositum ly. *Accidens*, sed satis fuerit dixisse. *Quantum est id, quod est diuisibile, &c.* Ita nec potest in definitione relationis hoc damnari. Quia iam certum est nos agere de ijs, quæ circa substantiam sunt. Si vero protèruid quis contendat Genus accidentis fuisse apponendum, qua ratione omnia, quæ definiuntur debent definiri per suum proprium genus; potest bene responderi; *Accidens ad nouem genera esse solum genus analogum, non autem vniuocum; vt dixi alibi, vel potius se habere solum vt commune secundum nomen ad nouem genera accidentium.* Vnde non fuit necesse ipsum apponi. Esto vero esset (quod fatendum non est) genus, adhuc non fuit necesse ipsum exprimere, quia inquit Henricus art. 35. q. 3. ex Commer. *Non oportet quarere definitionem in omnibus rebus eodem modo, definitionis enim rerum non relationalium debent esse alio modo à definitionibus rerum relationalium, cum significatio definitionis debeat esse equalis significationis nominis, &c.* Satis fuit itaque si bene fuerit expressa relationis natura per aliquid habens rationem generis, & differentie. Non verò fuit necesse ponere, & exprimere tale genus. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. *Relatio non habeat realitatem nisi à sur-*

KK

damen-

damento, & consequenter ut genus relationis est, nihil reale, dicit, nec potuit, definiri per realitatem. Dicendum, peti difficultatem inferius pertractandam diligentius. Interea dici potest, relationem non solum habere realitatem secundum esse in, quam trahit à suo fundamento, sed etiam secundum esse ad, quam habet à seipsa, sed cum hac differentia, quod realitas essendi in alio, est vera realitas, qua ratione realia sunt relationis fundamenta. At vero esse ad aliud præscindendo ab esse. In est solum realitas modalis, quatenus est realis modus realitatis alterius. Vnde optimè ad hoc dicebat Henricus quodlibet, 3. q. 4. *Relatio habet esse reale in quantum ipsa quidditas, quæ habet unum esse in singularibus, & in subiecto seipsa habet esse ad aliud, & id quod est res absoluta secundum unum esse, induit rationem respectus secundum aliud esse, siue ad aliud esse, & hac est natura relationum, quæ sunt relativa secundum esse, & per se, &c.* Neque debet inquiri ratio essendi, quando est sermo de relationibus. Relationes enim non dicuntur esse, sed adesse, & ut ibidem ait Henricus paulò superius. *Res ergo, quæ relatio est, non potest dici res, quæ est aliquid, siue quid, sed solum res, quæ est ad aliquid, imo res, quæ est ipsum esse ad aliquid.* Sed latius de his in sequentibus. Ad formam itaque argumenti negatur minor.



ARTICVLVS XI.

QVAESTIO III.

An fundamenta relationis communis sint tria.



RO parte negatiua Arguitur primo contra fundamentum, quod est substantia sic. Relatio identitatis non est vera relatio praedicalis, sed haec fundatur in substantia: ergo substantia non est fundamentum relationis praedicalis. Maior probatur, quia relatio praedicalis requirit, quod relata inuicem realiter referantur, vt habet Henricus art. 62. q. 4. *Relatiua dicuntur realiter referri ad inuicem*, eiusdem autem ad se ipsum non est relatio realis. Teste eodem Henrico quodl. 5. q. 6. *Idem numero, quia fundatur non nisi super idem re*, ideo relatio est secundum rationem tantum, &c. & quodl. 3. q. 4. *Inter quacunque est relatio, & non est essentialis ordo inter relata, non est relatio secundum esse, sed secundum dici tantum, siue sit eiusdem ad se ipsum, siue diuersi ad diuersum*, &c. Minor vero probatur, & confirmatur per Henricum art. 67. quaest. 2. *Primus modus identitatis est, quo aliquid refertur ad se ipsum tantum, in quo relata differunt, secundum rationem tantum, & hoc ideo, quia isto modo relata referuntur secundum substantiam, qua secundum totum est ipsa relata, & re eadem ipsis*, &c.

Secundo contra fundamentum, quod est quantitas. Si quantitas esset fundamentum alicuius relationis, praecipue esset aequalitatis, & inaequalitatis, cum haec sit proprietas ipsius, quod secundum ipsam aliqua dicantur aequalia, vel inaequalia, sed aequalitas reperitur in non quantitatis: ergo non

fundatur in quantitate. Minor probatur, quia conuenientia, in specie specialissima, dicuntur æqualia ex Henrico art. 66. q. 7. *Quacumque enim sunt eadem specie specialissima. & differrentia numero solo, sunt æqualia, &c.* & tamen in illis patet, quod non est quantitas.

Tertio contra qualitatem. Rationale dicitur esse dissimile ab irrationali, & tamen hæc dissimilitudo non est prædicamentalis: ergo nulla relatio prædicamentalis fundatur in qualitate, quia si qua fundatur, esset similitudo, & dissimilitudo. Antecedens quoad primam partem patet, quia sunt duo diuersa, immo opposita, & quoad secundam partem etiam certum est, quia rationale, & irrationale non sunt accidentia, sed differentiarum essentialium specificè contrahentes genus animalis. Et prædicamentalis relatio debet fundari super accidentia secundum Henricum quodl. 3. q. 4. *Omnis relatio secundum esse in Creaturis, fundatur super aliquod accidens, &c.*

Quarto, quod in nullo possit fundari arguitur. Prædicamentum habens suam realitatem, in alio prædicamento fundari non potest, sed relatio est prædicamentum habens suam realitatem: ergo in alijs prædicamentis fundari nequit. Maior patet de quantitate, & qualitate, quæ cum sint prædicamenta realia, non dicuntur fundari in substantia, licet ipsi inherendo existant. Minor vero probatur primo, quia per aliquam realitatem debet distingui relationis prædicamentum ab alijs prædicamentis realibus, & Henricus hoc docet art. 63. quæst. 3. *Relatio realitatem importat in speciebus suis, & in omnibus contentis in prædicamento relationis.* Secundo probatur eadem minor, nam relatio est genus generalissimum: ergo non potest fundari in alijs generibus, alioquin non esset primum genus. Antecedens patet ex Aristotele, & ijs, quæ diximus agentes de numero prædicamentorum.

Notatur primo. Ad realem relationem tria requiri, ut maximè necessaria, quorum primum est subiectum, in quo existat,

stat, cum enim sit accidens, debet in aliquo existere. Secundum est terminus, ad quem terminetur. Tertium, fundamentum, à quo habet relatio modum, entitatem, & specificationem. Et licet in fundamento sit considerare duo, primum fundamentum ipsum, quod veluti materialiter se habet; & modus fundandi, penès quem specificatio relationis attenditur. Modus tamen principaliter debet obseruari, quia se habet veluti formale, ratione cuius dicitur relatio descendere in species vsque ad indiuidua sub specie specialissima. Vnde optimè Henricus art. 63. q. 3. *Non enim fundantur relationes super predicamenta absoluta, secundum quod res sunt simpliciter, & absolute, puta substantia, quantitas, & qualitas, sed secundum quod in se habent modos reales generales, quibus distinguuntur singula predicamenta, quæ sunt potentia actus, vnum multum, quibus primo diuiditur ens, & quodlibet predicamentum entis in quantum non est, &c.*

Notatur secundo, Sermonem in præfenti esse non de relationibus quibuscumque, sed solum de illis, quæ dicuntur communes. Nam de reliquis sermo erit inferius. Dicitur autem illa esse relatio communis. *Quæ secundum idem nomen, & eandem rem, & eadem ratione relatis per ipsam conuenit*, vt eam definit Henricus art. 62. q. 1. Quia vero sunt assignati ab Aristotele 5. Metaph. tres modi relationum, iste est primus modus, sub quo continentur relationes secundum idem, secundum æquale, & secundum simile, quæ fundantur in substantia, quantitate, & qualitate, & quia contraria debent sub eodem genere collocari, idcirco bene ponuntur sub eodem modo diuersum, inæquale, & dissimile, & hanc esse mentem Aristotelis, explicat Henricus art. cit. 62. q. 1. *Neq. intelligunt mentem Aristotelis distinguentis tres modos relationum in 5. Metaph., & sub vno illorum modorum comprehendit idem æquale, & simile, &c.*

• Nobis in præfenti latis est scire modos hos fundandi relatio-

tionum communium, quæ in tantum communes dicuntur, in quantum. *Qualis est habitudo* (inquit Henricus ibidem) *vnus extremi ad alterum, talis est e conuerso, &c.* Quod enim inæqualitas v. g. habeat diuersos modos, puta per duplum, sub duplum, & his similia, non obstat, quia vt ait Henricus ibidem. *Dicuntur tamen nihilominus omnia hæc relatiua relatione communi, & hoc propter communem habitudinem generalem sub nomine inæqualis, &c.*

Conclusio. Relationes communes habent tantum tria fundamenta.

Explicatur. Relationes communes quatenus considerantur, vt communes, sunt distinctæ à relationibus in actiuis, & mensuris, bene dicuntur fundari solum in tribus prædicamentis absolutis scilicet in substantia, qualitate, & quantitate, & habere tres fundandi modos, scilicet idem, æquale, & simile.

Est Henrici cit. art. 62. q. 1. Vbi ex professo per plures articulos de ipsis agit.

Probat. Relationes communes sunt, quæ habent eandem extremorum habitudinem, sed talis habitudo non habetur nisi per tres modos assignatos: ergo in illis tribus fundatur. Minor patet, nam vt ibidem, inquit Henricus. *Relationes in actiuis, & mensuris semper sunt diuersarum habitudinum, & diuersorum nominum.*

Ad primam obiectionem quod. *Identitas non est relatio realis.* Dicendum aliam esse identitatem, quæ vocatur generica, vel specifica, quatenus v. g. duo homines sunt vnus homo participatione speciei, vel vnum animal participatione generis; & aliam, quæ vocatur numerica eiusdem scilicet ad se ipsum numero. Identitas hoc secundo modo, non est relatio realis, sed solum rationis. At verò sumpta primo modo, tunc est realis

lis

lis relatio. Ita habet Henricus art. 62. q. 4. *Relationes communes, quando fundantur ex natura rei in subiectis, & fundamentis suis, tunc sunt reales, vt contingit vniuersaliter in Creaturis quoad æqualitatem, & similitudinem, & quoad identitatem specie, aut genere, &c.*

Ad id quod dicitur ex Henrico art. 67. q. 2. Dicendum, ibi loqui de identitate secundum numericam substantiam; secus cum loquitur de identitate specifica, vel generica. Vnde subdit. *Secundus autem modus identitatis est, quo aliquid refertur ad aliud, siue distinctum ad distinctum, & in hoc modo est realis identitas, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, negando illam de identitate generica, vel specifica: concedendo illam de numerica.

Ad secundam quod. *In specie specialissima datur æqualitas sine quantitate.* Dicendum æqualitatem illam fundari in quantitate perfectionis, vnde Henricus loco citato art. 66. q. 4. ait. *Quæcumque enim sunt eadem specie specialissima, & differentia numero solo sunt equalia quantitate perfectionis essentialis, vt nos etiam alibi diximus.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam quod. *Rationale est dissimile irrationali.* Dicendum hoc omnino negari debere. Nam, vt aliquid dicatur simile alteri, debet conuenire cum illo in specie, & vt dicatur dissimile, debet differre in specie, sed conuenire in genere. Vnde rem explicans Henricus ait art. 66. quæst. 5. *Quæcumque enim qualitates sunt diuersa genere puta color, & sapor secundum illas non dicuntur aliqua dissimilia, sicut neque similia, sapor enim colori, aut saporabile colorato, nec simile, nec dissimile dicitur. Similiter rationale, & irrationale, nec similia, nec dissimilia dicuntur inter se, nec subiecta, quæ habent illa secundum illa similia, aut dissimilia dicuntur, quia nec talia, nec talia nata sunt dici secundum illa, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad

Ad quartam quod. *Relatio non potest fundari in eo, à quo per suam realitatem distinguitur.* Dicendum. Relationem habere modum essendi ad aliud, qui realis est, non tamen præscindendo à realitate eius, in quo est. Ita habet Henricus loco citato in argumento art. 63. q. 3. *Relatio ut est ratio, & modus prædicamenti, licet in genere nullam realitatem propriam generis in quantum est genus importet, sed præcisum modum essendi ad aliud, tamen cum huiusmodi modo, & ratione realitatem importat in speciebus suis, & in omnibus contentis in prædicamento relationis.* Quasi dicat. Tunc *Esse ad habere realitatem cum est in suo fundamento reali.*

Ad id vero, quod dicitur. Quod genus generalissimum est primum, & non debet fundari in alio genere, quia sic haberet aliud genus à se. Dicendum ex Henrico art. 66. q. 1. ad tertium. *Dico, quod decem prædicamenta dicuntur decem genera prima non aspiciendo ad ordinem eorum inter se, sed solummodo ad ordinem contentorum in qualibet linea prædicamentali inter se, & est alius ordo iste, & ille. Quia iste, qui est contentorum sub eadem linea, non solum est secundum primum, & secundum, siue secundum prius, & posterius, sed etiam est secundum sub, & supra, & tali ordine nullum prædicamentum habet aliud prædicamentum prius, &c.*

Ad formam itaque argumenti
distinguitur mi-
nor.

ARTICVLVS XI.

QVAESTIO IV.

An relatio differat realiter à suo fundamento.



RO parte affirmatiua Arguitur primo. Nihil potest fundare se ipsum, sed requiritur inter fundatum, & fundamentum distinctio realis: ergo relatio à suo fundamento debet distinguere realiter. Consequencia patet Relatio enim lex dictis in precedentibus dicitur fundari in substantia, quantitate, &c. quæ omnia sunt fundamenta illius. Antecedens vero probatur à simili de actione, Nam nihil potest agere in seipsum, vt docet Henricus quodlib. 3. q. 4. in fine. *Idem secundum idem non est natum agere, & pati à se ipso, nec potest esse ordo, nisi inter diuersa, & distincta,* quo posito sic arguitur, sed inter relationem, & solum fundamentum datur ordo, sicut inter agens, & passum: ergo debent esse diuersa.

Secundo. Plus debent differre relationes à suis fundamentis, quam à seipsis; sed vna relatio ab alia relatione differt realiter: ergo multo magis different realiter à suis fundamentis. Maior patet, quia plus differunt ea, quæ differunt secundum genus, quam ea, quæ sunt sub eodem genere, & differunt sola specie, & fuit doctrina Henrici art. 51. q. 2. *Diuersa genere plus differant, quam diuersa specie, & quod cum diuiduntur ab inuicem secundum differentiam, diuersa genere manent vnum in membris diuidentia diuersa specie.* Minor vero etiam patet; quia relationes omnes sub eodem genere relationis sunt, & differunt à suis fundamentis secundum genus suum, cum sine

in diuerso predicamento fundamenta, & ipsæ relationes, & constat ex ipsa prædicamentorum serie.

Tertio. Illa realiter distinguuntur, quorum vnum potest esse sine altero, sed fundamentum potest esse sine relatione: ergo fundamentum, & relatio distinguuntur realiter. Minor patet, quia in aliquo potest esse fundamentum similitudinis, vel æqualitatis, qui tamen relationem non habet, quia non ponitur terminus, vnde dicebat Henricus art. 59. [quest. 3. *Ex eo solo genitus dicitur filius, quod habet secum esse generantem, qui viceuersa ex hoc solo dicitur Pater, quod habet secum in esse illum, quem genuit.* Non posito itaq; termino adest fundamentum Relationis, non autem ipsa relatio. Maior verò, in qua fortasse sita est tota difficultas, probatur nam separabilitas est optima ratio cognoscendi distinctionem realem vnius ab alio, & sic dicit Henricus quodlib. 5. q. 12. *Identitas enim sequitur unitatem, & diuersitas multitudinem, siue pluralitatem, &c.* Vbi cumque ergo ponitur pluralitas per separationem vnius ab alio, sibi necesse est poni realem diuersitatem.

Notatur primo. Ad cognoscendam perfectè realem distinctionem, esse necessariam notitiã naturarum, & essentialium, quæ habent distingui. Nam ex Henrico quodlib. 5. q. 6. *Re distinctæ sunt quæcumque diuersas naturas, & essentias important secundum rem, siue fuerint simplicia, ut materia, & forma, siue composita, ut homo, & Animus;* Neque debent dici distincta realiter illa, quæ non habent hanc naturarum diuersitatem, quæ præcipue in eo consistit, quod vnum sit aliquid ab altero quoad suum esse, independens. Quemadmodum materia dicitur esse à forma realiter distincta, quia ipsa secundum se non habet esse suum ab ipsa forma, quia de se habet, quod sit ens & subiectum generationis, secundum quod videbimus in Phisicis, & ita forma, licet de potentia materiæ educatur, & in suo fieri dicitur, quodammodo ab illa suum esse extrahere, quia

quia tamē esse formę non est esse materię, hinc fit, ut bene asseratur habere distinctionem realem ab ipsa materia. Ita Henricus quodl. 1. q. 10. *Esse sunt diuersa quorumcumque essentia sunt diuersa, &c.* Et est propositum de forma, & materia.

Notatur secundo. Relationes suam realitatem omnino habere dependenter à suis fundamentis; nam præcisè consideratæ nullam habent realitatem, nisi fortasse modalem solum, ut alibi inuimus, & inferius ostendemus. Quod nullam realitatem habeant Relationes secundum se, est euidens, quia neque habent entitatem realem existentem per se, quia non sunt substantiæ, neque realitatem inherentem alteri, quia sic dicunt esse accidentale absolutum, non autem relatiuum, ut patet ex ipsa relationis definitione. Vnde Henricus hoc idem fatetur quodl. 5. q. 6. *Relationes propriam rem non habent, nec addunt super essentiam rei, supra quam fundantur, & art. 62. q. 4. Realitas illarum est propria predicamento relationis, nec habet eam relatio in ratione sui predicamenti, sed solummodo ab alijs predicamentis, super que fundatur, & hoc sæpissime repetit, quatenus nulla realitas ipsi relationi, ut huiusmodi debeat concedi; sed omnis sit à realitate fundamenti, & predicamenti; in quo fundatur.*

Conclusio. Relatio non differt realiter à suo fundamento.

Explicatur. Cum relatio realis nullam habeat realitatem, nisi illam, quam à suo fundamento recipit, non potest secundum realitatem aliquam dici, quod à fundamento, in quo est, differat.

Est Henrici ubicumque probat relationem esse sine propria realitate, & expressè habet art. 56. q. 1. *Relatio ad significandum propriam rationem sui generis imponitur, & non ad ali-*

quam rem propriam sui generis, quia illam non habet, ad quam significandam possis imponi, & art. 66. q. 1. Prædicamenta respectiva, sub tali modo essendi communi ipsis, non habent res proprias, quibus inter se distinguantur, sed solummodo realitatem in modo suo communi eis contrahunt per hoc, quod fundantur super res trium prædicamentorum absolutorum, & quod. 5. q. 6. Et si rem aliquam in suo significato includit prædicamentum relationis, tamen propria ratione sui prædicamenti illa non est, nisi res prædicamenti absoluti, &c. & alibi sæpius.

Probatum ratione. Impossibile est aliquid ab alio realiter differre, à quo suam realitatem trahit: sed relatio totam suam realitatem trahit à fundamento: ergo impossibile est relationem ab illo differre realiter. Maior, & minor constant satis ex dictis.

Ad primam obiectionem quod. *Quemadmodum nihil potest agere in se ipsum, ita neque fundare se ipsum.* Dicendum, etiam idem sub diuersa ratione posse in seipsum agere. Sufficit enim, quod aliquid sub vna ratione in se agat, & sub alia ratione à se inuicem patiatur, vt explicat Henricus de motu voluntatis quodl. 9. q. 5. *Secundum, quod est in actu, mouet se ipsam secundum, quod est in potentia, &c.* Et sic sufficit, quod eadem entitas sub vna ratione consideretur, vt quantitas est, & sub altera vt equalis, & relatiua, sed est actio non possit esse nisi inter realiter diuersa, si sumatur rigorose, vt est actio per motum, adhuc aperta est disparitas inter fundare seipsum, & agere in seipsum. Nam fundamentum est quid intrinsecum rei fundatæ, actio autem est quid extrinsecum, fundamentum enim remanet, & suo modo componit cum eo, cuius est fundamentum, actio autem dicit solam rei attingentiam. Quapropter fortasse Henricus quodl. 14. q. 2. dicebat in actiuis, & passiuis haberi fundamenta per verum motum ad Relationes reales in utroque extremo. *Non requiruntur diuersa fundamenta nisi in actiuis, & passiuis per verum motum.* Nam vbi po-

ponitur verus motus, ibi debent poni distincta realiter inter se, licet verò dicantur fundamenta in actiuis, & passiuis differre realiter, non tamen dicitur à fundamentis huiusmodi differre realiter relatio; cum ipsa relationum entitas sit ipsa realitas fundamentorum, vt dictum est. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad secundam quod. *Diuersa genere plus differunt quam diuersa specie.* Dicendum. Relationes inter se differre realiter ex diuersis fundandi modis formalibus; vt supra habitum est. Nec sequitur illas debere ab ipsis modis, & fundamentis plus distingui, quia in tantum distinguuntur inter se, in quantum habent esse in suis fundamentis, vt ait Henricus art. 63. q. 3. *Licet etiam non habeat relatio rationem generis; nisi vs ipsum abstractum à speciebus indefinite realitatem fundamenti in se includat.* Cum itaque dicitur relatio à suis fundamētis differre genere, debet distingui de genere non includente realitatem fundamentorum, & negatur: & de genere includente illorum realitatem, & conceditur. Deductio vero illius obiectionis falsum supponit, quod scilicet dum dicitur relatio esse genus distinctum à generibus suorum fundamentorum, intelligatur non includere illorum realitatem. Ad id quod ait Henricus. *Illa quæ differunt genere, plus differre, quam quæ differunt specie.* Dicendum, quod verum est, quando quæ differunt genere, habent sibi propriam realitatem. Quemadmodum itaque relatio habet suam realitatem à realitate fundamenti, ita si differant inter se specificè relationes, illa differentia est secundum differentiam modorum fundandi ipsas. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad tertiam quod. *Potest remanere fundamentum destructa relatione.* Dicendum hoc verum esse, nam deficiente termino perit relatio in fundamento, sed ex huiusmodi separabilitate non bene colligitur distinctio realis, ad quam requiritur separabilitas vtriusque extremi cum ipsorum permanentia.

Di-

Dicuntur duo réaliter differre, quia sunt diuersæ materiæ, et si separentur ab inuicem vtrumq. potest remanere. Quamobrém colligitur ex separabilitate materiæ, & formæ diuersitas naturarum in ipsis, quia forma etiam separata potest existere, & materia hoc idem potest miraculosè, vt concludit Henricus loco citato quodl. 1. q. 10. *Nilominus tamen ipsa, vt est effectus quidam Dei per creationem, potius est supernaturaliter, si ei detur habere esse simpliciter non à forma, &c.* Relatio autem neque supernaturaliter potest esse sine fundamento, cum ipsa vt huiusmodi, non dicat esse; sed adesse, quod necessario præsupponit primum, vt alibi diximus. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

A R T I C V L V S X I.

QVÆSTIO V.

Vtrum relatio à suo fundamento differat intentione.



PRO parte negatiua Arguitur primo. Si relatio distingueretur à suo fundamento intentione, tunc ubi ponitur relatio, posset poni, & distinctio intentionis. Sed in Deo ponuntur relationes reales, & tamen non possunt poni intentiones: ergo relationes non differunt intentione à suo fundamento. Maior probatur ex ipsa rei identitate, & ex ipsis terminis penè idem significantibus. Minor verò quoad primam partem traditur à Theologis; & est de fide. Quoad secundam verò probatur, quia diuersæ intentiones componunt, sed in Deo non potest poni compositio:

ego

ergo neque intentiones. Quod intentiones componant est doctrina Henrici, qui ex professo docet quodl. 5. q. 12. *Quacumque diuersitas intentionum in quocumque sit, semper in eo facit aliquam compositionem.*

Secundo. Illa dicuntur differre intentione, quæ differunt secundum rationem ratiocinatam, sed hæc distinctio inter relationem, & fundamentum non sufficit: ergo non distinguntur intentione. Maior videtur Henrici loco citato quodl. 5. q. 12. *Intentio non est nisi opus rationis, in quantum intentio est.* Minor vero probatur, Nam quæ habent oppositos conceptus, quorum vnus excludit alterum, plusquam ratione distingui debent; ex Henrico quodl. 10. q. 7. constituyente medium modum inter ea, quæ differunt minus, quàm re, magis vero, quàm ratione. *Medio modo secundum plus, quam ratione sola, & minus quàm re.* Relativum autem, & absolutum sunt oppositi conceptus.

Tertio. Relatio realis potest alicui aduenire sine illius mutatione: ergo non differt ab illo, cui aduenit secundum intentionem. Consequentia patet; nam vt ex Henrico dictum est, intentiones faciunt compositionem; & consequenter aduenientes causant mutationem. Antecedens vero probatur quia, si quis sit quantitatis pedum decem, & alius qui erat pedum nouem, crescat vnopede, iam ille erit huic æqualis sine sui mutatione, & potest exemplificari de Deo, qui sine sui mutatione refertur ad Creaturas. Nec valet si dicatur, relationem huiusmodi esse relationem rationis solum in Deo, non autem realem; vt asserit Henricus quodl. 3. q. 10. *Si Deus refertur ad Creaturam, oportet, quod hoc non sit relatio realis.* Non valet inquam, quia ex eodem ibidem habetur. *Oportet, quod e contra Deus aliquo modo referatur ad Creaturam, non solum secundum dici, sed quodammodo secundum esse, &c.*

Notatur primo. Nomen intentionis non esse sumendum in ea significatione, in qua dicuntur primæ, vel secundæ intentiones, vt dictum est cum de vniuersalibus sermo esset; sed in-

tel.

telligitur hic aliquid, quod realiter ad simplicitatem alicuius rei pertineat, quod tamen natum sit concipi præcisè, absque aliquo alio, à quo re absoluta non differt. Et dicitur intentio quasi intus intentio, quatenus mens, & intellectus aliqua quæ sunt à parte rei idem, diuidit, & format de illis diuersos conceptus, & differt intentio à ratione in hoc, quod ratio non format diuersos conceptus, quatenus vnus alterum excludat, sed solum fertur in cognitionem alicuius, licet non sub illa ratione, sub qua illud natum est concipi. Hanc differentiam colligo ex Henrico quodl. 5. q. 6. vbi exactius explicans quæ nam differant intentione ait. *Diuersitas intentionum non potest esse nisi inter illa, quæ uniuntur in eodem secundum rem, ita quod conceptus vnus penitus excludat conceptum alterius, & è conuerso.* Et hoc idem repetit quodl. 5. q. 2. vbi ait. *In diuersis secundum intentionem, vnus conceptus secundum vnum modum excludit alium secundum alium modum, non sic autem differentia sola ratione.* Et quodl. 10. q. 7. Docet differentiam secundum intentionem esse mediam inter realem, & rationis. *Et isto medio modo dixi, & dico essentiam, & esse suum existentia differre inter se, & quod propterea vnus illorum vt essentia potest intelligi sub opposito esse existentia, non dico quod possit esse nisi in mente tantum, aliter enim simul existeret, & non existeret, &c.* Et adhuc clariùs se ipsum explicat art. 27. q. 1. ad quintum. *Differentium quadam differunt secundum rationem tantum, vt definitio, & definitum, & ita nullo modo sunt separabilia; nec secundum intellectum, sicut neque idem potest separari à se ipso. Quadam vero differunt intentione, vt diuersa differentia vnus speciei, quæ in eodem separari non possunt, quia cadunt in idipsum re, vt vegetatiuum, & sensitiuum in bruto. Sed in diuersis possunt separari secundum, quod in plantis est vegetatiuum sine sensitiuo, &c. & concludit. Vnde & dico differre intentione quacumque de se formant diuersos conceptus, quorum vnus non includit omnino alterum, qui*

non

non sunt nisi eorum, quæ in diuersis sunt diuersa re, et si in eodem sunt id ipsum re. Ex quibus omnibus habetur, quid intelligatur per distinctionem Henrici, quam toties ipse vocat distinctionem intentionis, est enim eadem, quam alij sub alijs terminis vocant formaliter ex natura rei; quatenus in re non solum adest fundamentum distinguendi, vt in ratione ratiocinata; sed quatenus sunt in re diuersa, quæ de se sunt nata concipi sub oppositis conceptibus.

Notatur secundo. Relationes consideratas etiam præcisè quoad esse ad, non posse dici reales, nisi quatenus ipsum, ad, contrahitur ad realitatem ipsius fundamenti, vt ait Henricus art. 63. q. 3. *Relatio, vt est nomen predicamenti, & vt dicitur solummodo rationem, qua est ad aliud esse, debet distingui, & diuidi per differentias, quibus ad species contrahitur, oportet, quod illas ab alijs predicamenti contrahat.* Et huius ratio est, quia ipsa relatio propria realitate caret, & non est nisi realis modus aliorum prædicamentorum, quæ absoluta sunt quatenus ad aliud dicuntur, & sunt. Ita de septem prædicamenti relationis docuit Henricus quodl. 15. q. 5. *Quorum esse, quia dependet ab absolutis, & realitatem trahit ab illis, puta à substantia, quantitate, & qualitate. Idcirco illa absoluta; & quodlibet eorum verius esse habent, quam quodcumque illorum septem, quibus non conuenit aliqua realitas communis omnibus, aut aliqua propria singulis quantum est ex natura sui predicamenti. Vnde & distinguuntur solummodo penès diuersitatem modorum fundandi illa, &c.* Proprium vero sibi habet relatio illud esse ad aliud, quod habet conceptum appositum conceptui absoluto eius, in quo fundatur. Sicut enim in simili alicui per albedinem duo conceptus scilicet absolutus albedinis, & relatiuus similitudinis, qui sunt oppositi, quatenus vnus excludit aliū, & potest concipi albedo sub opposito conceptu similitudinis, qui erit conceptus dissimilitudinis, ex quibus facillè videtur applicabilia ea, quæ de distinctione intentionis dicta sunt. Sit itaq.

Conclusio. Relatio à suo fundamento differt sola intentione.

Explicatur. Relatio habet posse concipi in suo fundamento, diuerso conceptu, à conceptu illius, & consequenter differre intentione.

Est Henrici quodl. 5. q. 6. *In Creaturis differunt essentia, super quam fundatur relatio, & ipsa relatio non secundum rem, neque secundum rationem tantum, quia non fundatur relatio in essentijs absolutorum secundum rationem essentia; sed secundum intentionem, & hoc propter rationem, super quam fundatur relatio in illa re, aliam à ratione, qua ipsa in se essentia quædam est, art. 63. q. 3. Relatio ut est ratio, & modus predicamenti, & art. 66. q. 1. ad primum. Nihil enim realitatis habet predicamentum relationis, nisi quod modus sibi proprius ex natura rei absoluta habet esse tanquam consequens illam, &c.*

Probatur ratione sic. Illa distinguuntur intentione, quæ habent fundari conceptus oppositos inuicem se excludentes; sed hoc habent relatio, & eius fundamentum: ergo distinguuntur intentione. Maior patet explicatis terminis illius distinctionis. Minor vero constat ex conceptibus absoluti, & respectiui.

Ad primam obiectionem quod. *In Deo ponuntur relationes non tamen intentiones.* Dicendum alio modo fundari relationes diuinas, & alio relationes Creaturarum. Nam in Creaturis relatio fundatur super accidens; & ipsa accidens est, secus vero in Deo disparitatem optimè habemus assignatam ab Henrico quodl. 5. q. 6. cuius verba licet prolixiora, vtilia ramen referam. *In creaturis relatio nominat rem, quæ est in alio, secundum quod habet esse ad aliud, quia fundatur super accidens absolutum, In Deo vero relatio nominat ad aliud esse, quod*

quod est ratio prædicamenti secundum rem secundum se existentem, secundum quod habet ad aliud esse, quia fundatur super substantiam, ut sic eadem res cadat semper in significatore relationis, qua est significata per absolutum, & hoc secundum illam rationem, qua est eius fundamentum, licet enim alia, & alia ratione in Deo concipiatur essentia, & relatio, tamen in utraque ratione non formatur realiter, nisi idem conceptus, ita quod concipi non potest diuina essentia, non concipiendo relationem, siue relatiuum respectum, licet non necessariò simul concipiatur secundum utramque rationem, sicut non potest concipi definitio sine definito, licet non necessariò semper secundum utriusque rationem, sed alterius tantum. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad secundam quod. Intentio est ratio, & distinctio intentionis, distinctio rationis. Dicendum omnem distinctionem intentionis, præsupponere distinctionem rationis, sed non è conuerso. Vnde ait Henricus loco citato quodl. 5. quæst. 12. Ex quo contingit, quod quacumque differunt intentione, differant ratione, non è conuerso. Quod vero distinctio intentionis se habeat per rationem in educendo diuersos conceptus se excludentes ab eadem re, explicat post pauca. In natura illius rei, ut in fundamento, & quasi in radice est utraque intentio educenda de ea opere intellectus, tanquam res rationis, & intellectus, quemadmodum in ligno, velut in radice sunt folia, & fructus, ut diuersa educenda opere natura tanquam res natura, &c. Distinctio itaque intentionis à distinctione rationis differt ob diuersitatem conceptuum, licet utraque sit completiue per intellectum. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. Relatio realis potest aduenire sine mutatione. Dicendum hoc omnino esse falsum absolutè loquendo. Potest tamen etiam dici aliam esse mutationem secundum esse, & substantiam, & sic sine mutatione potest aduenire rela-

sio, & bene concludit argumentum de homine habente decem pedum magnitudinem, &c. Non enim mutatur vt homo est; aliam verò esse secundum accidens, & sic mutatur secundum quantitatem, cui aduenit talis noua æqualitas. Ita Henricus quodl. 3. q. 10. *Magnitudini per se natum est conuenire esse duplum, & non ferro.* Loquitur enim de aequalitate lineæ terrex. Ad id vero, quod dicitur de Deo relato ad Creaturas per accidens secundum esse; dicendum debere intelligi fano modo, quatenus scilicet Deus non est fundamentum illius relationis, sed quatenus solum est terminus; Creatura enim realiter refertur ad Deum, à quo habet esse; Vnde ibidem subiungit Henricus Deus refertur secundum esse ad creaturam, sed per accidens. *Quia scilicet aliud secundum esse, & per se refertur ad ipsum, sicut contingit in relatione inter scientiam, & scibile.* Non dicit Deum referri ad Creaturam simpliciter, sed terminare relationem Creaturæ, qua Creatura respicit ipsum.

In quo sensu saluatur aliquo modo illa relatiuorum regula.

Omnia relatiua si conuenienter assignentur ad conuertentiam dicuntur, vt dicitur in prædicamentis. Ad formam itaque ar-

gumenti negatur antecedens.



ARTICVLVS XI.

QVAESTIO VI.

Virum relatio possit esse fundamentum relationis.



PRO parte affirmatiua Arguitur primo: Omne accidens potest esse fundamentum relationis: sed relatio ipse est accidens; ergo ipsa relatio potest alterius relationis esse fundamentum. Minor patet ex superius dictis. Henricus enim quodlibet. 3. q. 4. secundum Auicennam affirmat. *Propter quod etiam omnis relatio, ut relatio accidentalis est.* Maior vero probatur ex eodem paulo supra. *Omnis relatio secundum esse in Creaturis fundatur super aliquod accidens.*

Secundo. Quilibet effectus debet procedere à causa. vniuoca: ergo etiam relatio debet procedere à relatione, ut sua causa, & fundamento. Consequentia patet, quia fundamentum relationis, habet rationem causæ, cum det illi omnem entitatem realem. Sic enim de fundamentis locutus est Henricus art. 64. q. 4. ad secundum; etsi quasi infundunt. *Relationibus fundatis in se suas realitates, &c.* Infundere autem, siuè influens realitatem nemo negabit, esse causalitatem exercere circa relationes. Antecedens verò est in Philosophia certum & docuit Henricus art. 21. q. 2. *Neceffe est, ut semper in causato, & effectū sit similitudo formæ agentis, &c.* Quia scilicet causa, & effectus debent vniuocari.

Tertio. Inter distincta realiter est relatio realis, sed relationes inter se distinguuntur realiter: ergo datur inter illas relatio realis. Minor patet ex Henrico art. 63. q. 2. vbi probat in-
ter

ter distinctas relationes reales non esse distinctionem rationis sic. *Et illarum, quia secundum rem veram relationes sub uno illorum trium modorum ab illis, quæ sunt secundum rem relationes, sub alijs duobus modis intellectus siue ratio distinctionem, siue differentiam non operatur, nec causat, sed eam sic factam à rerum natura inuenit* - Maior etiam liquet ex eodem art. 62. q. 2. *Vbi diuersa sunt re, in diuersis scilicet substantia quantitas, & qualitas, non est mirum si ad illa sequuntur secundum rationem unius relationes communes diuersa scilicet identitas, æqualitas, & similitudo, & contraria illorum secundum rationem multi scilicet diuersitas, inæqualitas, & dissimilitudo, &c.*

Notatur primo. Relationum fundamenta ideo poni prædicamenta absoluta, quia illa sola habent veram, & propriam realitatem, quia vt sæpius dictum est. Respectus quatenus huiusmodi, vt dicit *ad aliud* non habet realitatem aliquam, sed illam totam desumit à suis fundamētis. Hinc bene notat Henricus art. 66. q. 1. *Relationes, quæ sunt in potentijs, non fundantur nisi super illas res absolutas, quæ habent vim actiui, & passiui*. Poterat enim videri alicui relatio fundata in huiusmodi potentijs, esse fundata in respectiuis; Quod ille excludit per contrariam positionem, docendo non fundari relationes in actione, aut passione, quæ sunt quid respectiuum, sed in aliquo absoluto, puta in potentia ipsa agendi, vel patiendi; Quod dicitur de actione, & passione, idem de omni genere relationum dicendum est; Vbi cumque debet queri absolutum, in quo relatio fundetur; à quo relatio suam realitatem trahat. Illud vero absolutum fundans relationem, non se habet secundum essentiam suam, sed secundum inhzrentiam in subiecto, vt ait Henricus quodl. 5. q. 6. *Similitudo accidentalis fundatur super qualitatem, non ratione essentia sua, vt essentia est simpliciter, sed ratione sui esse, & inhzrentia in subiecto, vt determinata est per hanc albedinem in hoc subiecto*; Et hoc ideo; quia relatio vult extrema sua esse determinata ad tale esse, secundum

cundum quod tale fundamentum consequitur. Quod totum conuenire nequit nisi accidenti, quod habeat suum esse, & illud in subiecto suo, nec conuenire potest respectui, qui secundum se omni realitate caret.

Notatur secundo. Relationes, quæ ponuntur consurgere ex alijs relationibus, formaliter non esse reales, sed solum per ipsum intellectum. Si enim dicatur Amicus est æqualis amico, illa relatio æqualitatis quæ fundatur super relationem amicitiz, est omnino per intellectum, sicut si quis dicat. Idem est æquale sibi ipsi. Quapropter dicebat Henricus art. 55. q. 6. *Non est realis relatio æqualitas duorum, aut plurium; nisi secundum duas, aut plures magnitudines commensuratas, secundum quas inter se commensurantur realiter ad inuicem diuersas, super quas fundantur respectus reales diuersi, & hoc debet benè attendi, nam sæpius committuntur fallaciæ deceptiuz, cum dicitur, quod vna potentia est similis alteri paternitati, & dissimilis filiationi, tunc semper dicendum est relationes illas in alijs relationibus positas, sistere omninò in solo conceptu intellectus.*

Conclusio. Relatio non potest esse fundamentum alterius relationis.

Explicatur. Non potest esse realis illa relatio, quæ ex altera relatione vt suo fundamento procedit, sed necessario omnis realis relatio debet fundari in aliquo prædicamento absoluto, à quo suam realitatem trahat.

Est Henrici quodl. 5. q. 6. *In Creaturis relatio nominat rem, quæ est in alio, secundum quod habet esse ad aliud, quia fundatur super accidens absolutum, art. 66. quæst. 1. Modus essendi ad aliud, in quo formalis ratio illarum consistit, consequitur res illas absolutas, & ex professo probat intentum art. 66. q. 3.*

pra

pra Paternitatem, qua est Patris ad filium, qua est propria relatio patris, fundatur oppositio Patris ad filium ipsa oppositio, ut est in patre est eadem relatio secundum rem cum paternitate differens sola ratione ab illa; & est realis in ordine ad filiationem, & relatio propria sicut est etiam ipsa paternitas, &c. & art. 68. q. 4. Relatio fundari non potest super relationem, quia esset procedere in infinitum, &c.

Probatum verò conclusio sic. Relatio realis debet habere realitatem ab eo, in quo fundatur, sed relatio nullam realitatem ex se habet: ergo relatio in relatione fundari non potest. omnia satis sunt explicata supra, &c.

Ad primam obiectionem quod. *Relatio fundatur in accidente, & ipsa est accidens.* Dicendum. Accidens esse duplex, vnum relatiuum, & alterum absolutum; ut vult Henricus quodl. 15. q. 5. *Ratio communis nouem predicamentis accidentium distinguitur in duas, quia esse in alio, aut conuenit alicui absolute, aut non nisi in ordine ad aliud, &c.* Relatio verò fundatur quidem super accidens quatenus non attingit immediate ipsam rei essentiam, ut essentia est, sed tamen non nisi super accidens absolutum, quod solum propriam habet realitatem; Vnde ibidem subiungit Henricus, *respectiua dependens ab absolute, & realitatem trahunt ab illis.* Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad secundam quod. *Debet esse uniuocatio inter causam, & causatum, & inter fundamentum, & fundatum.* Dicendum. huiusmodi uniuocationem non semper debere attendi secundum actum; sed sufficit si attendatur secundum virtutem, qua aliquid potest hoc producere, etsi producens non producat effectum sibi omnino similem in natura, satis est quod illum producat similem virtuti à se contentæ. Vnde Henricus loco citato in argumento art. 21. q. 2. Cum dixisset in causato esse similitudinem forme agentis statim se explicatum voluit, *et si non secundum eandem rationem speciei, sit similitudo inter ipsos, sicut*

sicut est hominis generantis ad generatum, erit tamen secundum quandam imitationem, &c. Neque proprie relationes dicere causari, sed potius naturaliter consequi ad huiusmodi prædicamenta absoluta, quorum vocantur modi, ut Henricus habet art. 66. q. 1. ad primum. *Modus relationi proprius ex natura rei absolute habet esse tanquam consequens illam, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad tertiam quod. *Relationes distinguuntur realiter: ergo habent relationem realem.* Dicendum per consequentis distinctionem; Habent enim relationem realem ad rationem solum ab ipsis relationibus differentem, non autem ut fundatam in se, & differentem intentione. Si ergo diuersa est paternitas à filiatione, illa diuersitas idem est cum paternitate, ut satis supra dictum est ex Henrico art. 66. quæst. 3. *Si respectus huiusmodi super respectum fundetur, hoc non est nisi in quantum fundatur in re absoluta, & sic ratione rei absolute fundatur in illo, & sic potius fundatur in illa re absoluta originaliter, quam in ipso respectu fundato immediate in illa; &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur Maior.



ARTICVLVS XI.

QVAESTIO VII.

Utrum termini relationis sint realiter distincti à fundamento.

RO parte negativa Arguitur primo. Idem realiter refertur potest ad se ipsum, sed tunc nulla est distinctio realis inter fundamentum, & terminum, ut patet: Ergo talis distinctio non est necessaria. Maior, in qua est tota difficultas, cuius oppositum superius insinuatum est, probari potest. Quia relatio identitatis est realis, & est eiusdem ad se ipsum. Unde dicit Henricus art. 67. q. 2. super rationem substantiam. *Fundatur identitas, qua habentia in se unā substantiam dicuntur eadem sibi.* Et si respondeatur (ut supra dictum est) illam identitatem esse realem relationem, quæ est identitas generica, vel specifica, contra hoc est, quod subiungit Henricus ex Porphyrio. *Petrus & Paulus dicuntur idem homo, vel idem in homine, in quatum secundū Porphyrium participatione speciei, plures homines sunt unus homo, &c.* Quo posito; sic potest argui. Si relatio est realis identitatis in hoc numero homine cum alio, ratione speciei; Erit etiam realis in hoc numero homine respectu sui ipsius, quia magis est vnus in se numero, quam specie, & vnitas formalis specifica, est minor numerali.

Secundo. Et magis confirmatur prima obiectio. Relatio communis fundata super vno, nõ requirit, quod ea in quibus est sint realiter distincta: ergo relatio realis communis erit etiam ad se

se ipsum. Antecedens probatur. Quia vnum, & multa opponuntur; nec potest vnum oppositorum requirere aliud oppositum de sui ratione. Et hoc requirere non spectat ad relationem fundatam in vno, sed ad fundatam in multo: alioquin nulla esset inter has relationes differentia, & tamen debent poni distincte, quia sunt oppositæ, vt vult Henricus art. 62. q. 4. *Relationes autem dictis contrariæ scilicet diuersitatis, inæqualitatis, & dissimilitudinis, quæ in solis creaturis inueniuntur fundata super multum, semper sunt relationes secundum rem.*

Tertio. Si relata semper differunt inter se realiter, tunc de medio tollitur relatio identitatis ad se ipsum; sed hoc est falsum: ergo & illud. Falsitas patet, quia saltem secundum rationem debent concedi identitatis relationes ad se ipsum in eodem numero. Sequela verò antecedentis probatur, quia semper relatio erit inter plura, & consequenter numquam erit in eodem ad ipsum, cum vnum, & plura opponantur, vt ait Henricus art. 63. q. 1. *Multitudo opponitur priuatiuè vni, quod conuertitur cum ente, &c.*

Notatur primo. Quærere, an terminus relationis differat, & differre debeat realiter ab ipsius fundamento, esse idem omnino ac inuestigare. An idem ad se ipsum secundum numerum realiter referri possit, quatenus scilicet ipsa entitas, quæ est fundata esset entitas ipsius termini. Quod est omnino secundum veritatem impossibile, sed est intelligendum, quomodo super vnum, & multum dicantur relationes fundari; licet enim de relationibus communibus facta sit mentio, nondum tamen adhuc est expositum; quid sit illud vnum, super quod dicuntur fundari relationes communes identitatis, similitudinis, & æqualitatis, fundantur; itaque relationes istæ super vno, & multo, quatenus opponuntur priuatiuè, nam multum dicit diuisionem, & carentiam vnitatis, & indiuisibilitatis, quæ licet secundum nomen videatur esse negatiua, est tamen quid

positium, & multitudo ipsa inuoluit priuatiuum ipsius unitatis, vt alibi suis locis tactum à nobis est, & sic illa perfectio, quæ est in vno, per defectum reperitur in multis, & sic in illis fundari dicuntur relationes oppositæ prioribus, quæ sunt diuersitas, dissimilitudo, & inæqualitas, & hæc ratio priuationis, & positionis, est ratio formalis distinctiua vnius, & multæ fundantium relationes. Hoc explicat Henricus art. 65. q. 1. *Sequuntur relationes communes ad vnum, & multum solummodo, vt opponuntur secundum priuationem, & habitum, scilicet vt indiuisio diuisioni.* Illud vnum, quatenus ab unitate sumitur, consideratur, vel dictum ab unitate singularitatis, vel communitatis secundum genus, & speciem, & hoc vocari potest vnum ab vnione, quod ex pluribus unitis oritur. Vnitatis singularitatis fundat identitatem numericam, quæ est solius rationis relatio, at vero unitas communitatis facit relationem realem, quatenus plura singularia in vno conueniunt, quod participant, & sic, quæ differunt realiter, sed conueniunt in albedine, dicuntur similia, quæ vero conueniunt in genere colorati, sed differunt secundum speciem coloris, puta albedinis, & nigredinis, dicuntur dissimilia. Breuiter vero omnia hæc restringit Henricus ibidem ad tertium, dicendo, debere in hoc vno, & multo semper attendi rationem speciei specialissimæ. *Aequale enim, & inaequale non sunt nisi secundum quantitates diuersas sub eadem specie specialissima, puta linea est equalis, aut inaequalis linea, non autem superficiei, aut corpori, neque alteri quanto.* Quod concludit illo celebri dicto. *In sola specie specialissima est vera uniuocatio, &c.*

Notatur secundo. Relationes egere extremis se habentibus eo modo, quo relationes sunt. Si enim relationes sint rationis, sufficit, si habeant terminum, & fundamentum secundum rationem, si vero reales, reali termino, & fundamento indigent. Nunc, cum sit sermo de relationibus realibus, tam prædicamentalibus, quàm transcendentalibus, & essentialibus, realitatem

tatem requirimus vtriusque extremi. Nisi realia essent extrema, & realiter ab inuicem differentia, quomodo posset dici de relatiuis, quod eorum esse, sit ad aliud se habere? Vt perfectè saluetur relatiuorum Aristotelica definitio, debet huiusmodi distinctio dari inter extrema, vt fatetur Henricus art. 67. q. 1. *Si non est id, ad quod refertur, & ipsum non est relatum, &c.*

Conclusio. Relationis fundamentum, & terminus realiter distinguuntur.

Explicatur. Relatio prædicamentalis, & transcendentalis tam communis, quam propria, dummodo realis sit, necessario habet terminum realiter à suo fundamento distinctum.

Est Henrici vbi cumque ait eiusdem ad seipsum non esse realem relationem, & præcipuè quodl. 14. q. 2. *Semper autem requirunt diuersa extrema relata, sed hoc secundum rem absolutam, art. 62. q. 4. Propter quod relatiua etiam dicuntur realiter referri ad inuicem, & ibidem. Relationes communes fundatae in Creaturis super vnum genere, vel specie, bene possunt esse reales, licet fundatae super vnum numero semper sint reales, & tandem ex professo art. 67. q. 1. Quod refertur, & id ad quod refertur, necessario sunt aliud, & aliud, iuxta definitionem relatiuorum, quæ dicit, quod relatiuorum esse, est ad aliud se habere, &c.*

Probatur, quod est vnum secundum numerum dictum ab vnitatem singularitatis, non potest secundum rem esse plura aliquo pacto: ergo neque habere rationem termini, & fundamenti eiusdem relationis realis, quæ non est nisi vnius dicti ab vnione.

Ad primam obiectionem quod. *Si fundatur relatio realis super vnum secundum speciem, & genus, multo magis super vnum numero.* Dicendum talem numericam vnitatem non posse

posse fundare relationem ad se ipsam, quia non est aliud, & aliud, & hæc est disparitas. Debent enim relatiua in vno aliquo conuenire, cum ipsa sint alia, & alia, vt loco citato art. 67. q. 1. innuit Henricus: *In omni relatione, & communi, & propria, necessario sunt alia, & alia.* Debet autem sumi vnum ab vnione dictum, non autem ab vnitate præcisè, quæ sit singularitatis. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad secundam quod. *Relatio fundata in vno, differt à relatione fundata in multo, nec illa potest requirere multiplici-
tatem, quam sibi habet oppositam.* Dicendum eodem modo, quod scilicet vnum singulare non vult diuisibilitatem, sed vnum per replicationem sui sub eadem specie benè potest, immo debet habere multa, in quibus reperiatur, de quo vno inquit Henricus ibidem ad primum. *Et quia tale vnum postquam replicatum est, necessario est in multis eo, quòd est vniuersale, & commune, quod non habet esse in se, sed solummodo in singularibus contentis sub illo, & ideo necessario relatio communis requirit relata per illam esse plura, & alia ab inuicem.* Cum vero dicitur, quod nulla esset differentia inter relationem fundatam in vno, & in multo. Dicendum vnum, & multum se tenere non ex parte subiectorum, quæ referuntur ad inuicem. Sed ex parte modi fundandi ipsam relationem, nam vel relata conueniunt in vna albedine, & sunt similia, vel differunt per albedinem, & nigredinem, & sunt dissimilia: vbi multum colligitur penes albedinem, & nigredinem. Itaut semper relata sint plura, sed vel conuenientia in vno secundum identitatè specificam, vel non conuenientia secundum multum specificum. Quod satis ex dictis colligi potest. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad tertiam quod. *Nulla esset relatio ad se ipsum, neque secundum rationem.* Dicendum, quod quèniadmodum relationes, vt sint reales, requirunt realem differentiam ipsorum extremorum, ita relationes rationis requirunt distinctionem rationis

tionis inter extrema. Nec benè deducitur ex reali distinctione extremorum in relatione reali, quod neque detur distinctio secundum rationem in extremis relationis secundum rationem, ita respondet Henricus ibidem ad secundum. *Dico, quod verum esset si essent solummodo alia ab inuicem secundum rem, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur maioris sequela, &c.

ARTICVLVS XI.

QVAESTIO VIII.

Vtrum eadem numero relatio possit esse ad plures terminos.

RO parte negatiua Arguitur primo. Posita diuersitate fundamenti relationum, ponitur necessario diuersa relatio: ergo etiam posita diuersitate terminorum, habebitur idem. Consequentia tenet à simili, nam de vtroque extremo eodem modo est dicendum, cum relationi vtrumque æqualiter sit necessarium; Vnde dixit Henricus art. 67. q. 1. *Si autem, quod est tantum vnum omninò est, & præter ipsum non sit aliud re, & ratione, non est omninò ad quod referatur.* Est enim necessaria termini positio, vt resultet realis relatio in fundamento. Antecedens vero probatur, Nam duo filij referuntur per duas reales filiationes ad eundem patrem, quia in illis est multiplicatum fundamentum filiationis, quæ est potentia generandi passiva, quæ duplex est in duplici filio, quod docet Henricus art. 55. q. 6. *Vnde, quod duorum filiorum sint duæ filiationes ad eundem patrem, causa siue ratio, quod sint diuersi respectus, aut diuersæ res, non est obiectum vnum, sed potius fundamenta.*

Se-

Secundo . Idem non dependet à duabus causis totalibus : ergo neque eadem ratio à pluribus terminis . Antecedens secundum naturalem cursum sine dubio est admittendum (quicquid sit de potentia Dei absoluta, quod alibi examinabitur) Quia omnis causa totalis habet effectum sibi adæquatè correspondentem, & ideo Henricus quodl. 8. q. 3. dixit species in medio desumere suam unitatem numericam à subiecto. *Diuersa igitur species lucis, aut albedinis, siue cuiuscumque sensibilis vnus secundum speciem, nullo modo possunt esse simul in eadem parte medij ; quia scilicet vnaquæque ipsarum est informans suum subiectum, nec à duplici forma accidentali secundum numerum potest idem subiectum informari .* Consequentia vero probatur à simili, si enim nequit subiectum informari duplici actu secundum numerum, formali accidentali, neque ratio poterit terminari eadem ad plures terminos secundum numerum .

Tertio . Non minoris efficacix est secundus terminus, puta huius relationis paternitatis, quam sit primus . Sed primus adæquatè terminat suam relationem peculiarem : ergo etiam secundus habebit relationem aliam, cui adæquatè respondeat, & habeat adæquari secundum terminationem . Minor est certa, nam posito primo filio, iam paternitas perfecte, & adæquatè ad ipsum terminatur; cum ratio iam habeat aliud, & aliud nimirum patrem, & filium. Quod constat ex dictis ab Henrico art. 67. q. 1. *Si enim aliquid sit relatam, oportet, quod ad aliquid sit relatam .* Minor vero probatur . Nam si ponatur mori primus filius, Pater adhuc ratione secundi filij existentis est perfecte pater : ergo eiusdem efficacix est secundus, quam primus .

Notatur primo. Ita esse de intrinseca ratione relationis fundamentum, vt non solum ab illo realitatem trahat, vt dictum est, sed etiam secundum distinctionem ipsius, & multiplicationem debeat ratio distingui, & multiplicari, vt habet

bet Henricus art. 67. q. 3. *Distinctio eorum, quæ habent illum modum communem sub prædicamento relationis, non est nisi per fundamenta.* In eodem autem fundamento non potest eadem numero relatio multiplicari, non enim potest idem homo habere in se duas paternitates solo numero differentes, quia per sua fundamenta multiplicantur relationes, quibus non multiplicatis, impossibile est eas multiplicari, cum realitate omnino careant, præter illam, quam habent à fundamentis, etsi nequeunt duæ albedines solo numero differentes esse in eodem numero subiecto simul secundum esse permanens, quemadmodum, & dicendum est de reliquis accidentibus absolutis, hoc idem multo magis erit dicendum de relationibus, quæ sunt minoris entitatis, quam illa, ut ait Henricus quodl. 15. q. 5. septem prædicamenta respectiva, quorum esse, quia dependet ab absolutis, & realitatem trahunt ab illis, puta à substantia, quantitate, & qualitate, idcirco illa absoluta, & quodlibet eorum unus esse habent. Cum itaque relationes ita secundum esse sint dependentes ab absolutis, quantum ad ipsorum multiplicationem in subiecto, erit eodem modo philosophandum, ac de ipsis absolutis; etsi non inueniatur diuersa ratio, & modus formalis fundamenti, semper dicenda erit eadem relatio.

Notatur secundo. Dependenciam, quam habet relatio à termino, esse omnino extrinsecam ipsi, licet sit necessaria, unde secundum Henricum probabilius censeo, terminum non esse de conceptu quidditatio relationis, licet reponatur in eius definitione tanquam extremum necessariò requisitum, quemadmodum non est de conceptu quidditatio accidentis substantia, licet nunquam sit accidens sine subiecto, & ipsum in definitione connotet, quod memini me tangere in præcedentibus ex Henrico quodl. 10. q. 8. ubi in accidente fateretur, proprium esse distinctum ab esse subiecti. *Vnde si accidens non haberet in subiecto proprium esse, nec propriam unitatem, quia unum, & esse consequuntur se.* Probatum autem unitas acci-

dentis ex eo, quia facit vnum per accidens cum subiecto, licet contra hoc dictum aliqualiter faciat locus Henrici quodl. 1. q. 10. *Quamquam potest (sermo est de accidente) supernaturaliter habere actum proprium, tamen non habet illum in subiecto existens, nec facit vnum aggregatum in substantia ex duplici esse.* Quod quomodo possit cum primo conciliari, videbimus suis loco, & tempore; Ita prorsus dicendum est de relatione, quæ licet connotet in sui definitione aptitudinem ad terminum, immo ipsum actuale se habere ad ipsum, nihilominus illum non includit in suo conceptu quidditatiuo, vt videtur expressè fateri Henricus art. 53. q. 6. vbi relationem habere suum esse non ex termino asserit; *et si respectus, qui sequitur ex natura rei possit dici res vera aliquo modo, hoc non conuenit ei ratione illa, & comparatione, qua est ad aliud, siue ex eo, quod est respectus, aut relatio, aliter enim non esset vna res, sed plures, respectus ille, qui esset ad plures terminos, ex quo clare habetur alio modo loquendum esse de existentia relationis, & alio determinatione ipsius.* Existencia enim est omnino à fundamento connotante terminum, vt quid extrinsecum, terminatio autem sequitur, quodammodo ad ipsam existentiam secundum naturam rei.

Conclusio. Eadem numero relatio potest ad plures terminos esse.

Explicatur. Vnica relatio, secundum numerum, puta hæc paternitas, potest esse in hoc patre ad diuersos numero filios, cum necesse non sit ad pluralitatem terminorum multiplicari relationes.

Est Henrici apertissima quodl. 4. q. 3. *Aliquis dicitur Pater ex respectu ad vnum filium generatum ab ipso primus, et si post modum generat alium, ad quem similiter ex generatione habet.*

babet respectum, sicut ad primum filium, unius tamen paternitate secundum numerum respicit utrumque, & art. 33. q. 6. egregie omnia à nobis hæcenus dicta confirmat. Vnde, quod duorum filiorum sint dua filiationes ad eundem patrem, causa, siue ratio, quod sint diuersi respectus, aut diuersa res, non est obiectum vnum, sed potius fundamenta, quæ sunt diuersa potentie generandi passiuæ in diuersis materijs, ex quibus generantur duo filij, super quorum diuersas potentias passiuas fundantur diuersæ filiationes, cum tamen paternitas unica secundum rem respondeat eis in obiecto, quia fundatur super unicam potentiam generandi actiuam, quæ est in forma substantiali generantis, &c.

Probatur ratione sic. Relatio multiplicatur ad multiplicationem fundamentorum: ergo non terminorum. Consequentia patet, quia termini sunt extrinsecè se habentes. Antecedens verò probatum, & declaratum est satis.

Ad primam obiectionem quod. *Si requiritur ad unicam numero relationem unicum fundamentum, etiam debet esse unius terminus.* Dicendum hoc esse falsum. Neque enim, licet utrumque sit necessarium relationi, scilicet fundamentum & terminus, est eadem ratio in utroque, nam fundamentum est necessarium per modum dantis esse, & communicantis suam propriam realitatem, terminus autem solum per modum extrinsecè terminantis ipsam relationem. Si vero posset termini multiplicatio multiplicatam reddere relationem, iam deberet ratio in fundamento multiplicari, quod implicat, cum duo accidentia eiusdem speciei nequeant esse in eodem secundum idem; locus vero Henrici allatus est omnino fauorabilis, vt patet. Immo paulo inferius adducit per modum inconuenientis oppositum. *Non esset vna relatio secundum rem, quæ vnus est æqualis duobus, neque vna paternitas, quæ vnus est pater duorum filiorum in Creaturis, cum sint duo termini, ad quos, quod falsum est, &c.* Ad for-

nam itaque argumenti negatur consequentia.

Ad secundam quod. *Eadem relatio est, veluti à duplici causa totali.* Dicendum terminare, non esse causare, neque efficere, neque producere. Potest enim aliquid multipliciter terminari, cum tamen remaneat in suo esse, vnum, & idem; quod præcipuè apparet in terminantibus omninò extrinsecis, sufficit autem ad hoc, vt relatio ad plures terminos tendat, quod illos quodammodo virtualiter includat; quatenus scilicet dici possit terminabilis ad illos; qua ratione Henricus loco citato in argumento. quodl. 8. q. 33. Ait lumen idem esse in eodem subiecto, licet sit ab obiectis diuersis, & efficiat vmbas diuersas. *Licet enim non sit nisi vnius lumen secundum numerum, in re, est tamen plura lumina virtute, & intentione.* Eodem profus modo dici potest, esse quidem eandem numero paternitatem secundum existentiam in Petro, quæ tamen virtualiter habet, quod terminetur ad plures terminos, secundum quod potentia illa generandi actiua plures potest producere, & terminos existentes eadem relatione respicit, quatenus virtualiter illos respicere potest. Nec valet objicere, lineam non posse terminari ad diuersa puncta, substantiam non posse informari diuersis formis eiusdem speciei secundum numerum, & his similia, quia hæc dicunt determinationem; sunt enim aliqua ita ad vnum determinabilia, vt illud dumtaxat requirat, de quorum natura disseribat Henricus quodl. 7. quæst. 17. *Numerus determinat sibi, quod sit par, vel impar, & forma hominis, quod ipse sit risibilis, &c.* De illis vero, quæ sibi non determinant dixerat. *Est quoddam accidens ex se indeterminatum ad plures, aut ad omnes, &c.* Attendendo ad rerum naturas, nulla remanet difficultas. Quod vero multiplicari nequeant relationes in eodem fundamento, iam ratio est assignata, quia in eodem non possunt esse numerica plura accidentia eiusdem speciei, vt optimè Henricus quodl. 4. q. 3. *Dua dispositiones differentes numero, & eadem specie, non possunt esse simul.*

mul in eodem. Ad formam itaque argumenti negatur consequentia ex disparitate allata.

Ad tertiam quod. *Paris efficacia est secundus terminus cum primo.* Dicendum utique esse efficaciam paritatem in ipsis, sed simul positi habent solum correspondentem sibi univocam numero relationem, quæ non ab ipsis suam desumit entitatem, sed à suo fundamento. Aliud autem est terminare extrinsece, & aliud dare entitatem, & realitatem numericam alicui. Terminus consequitur ex natura rei ipsam rei existentiam, & dicitur non constituere, sed terminare. Mortuo autem primo filio, & remanente secundo, dicitur adhuc idem numero Pater, eadem numero paternitate terminata ad secundum, & intelligitur paternitas mutata aliquo pacto secundum terminationem, non secundum suam existentiam, quæ mutatio realis dicenda est, quia amittit paternitas aliquid, ad quod realiter terminabatur, licet non ita adequatè, ut omnis eius terminatio ab illo dependeret, quia tunc destrueretur etiam secundum existentiam, cum relatio requirat extrema sua realiter existentia, ut dixit Henricus art. 59. quæst. 3. *Ex hoc solo dicitur pater, quod habet secum in esse illum, quem genuit.* Cum sit necessaria ad realem relationem, termini coexistentia. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.



ARTICVLVS XI.

QVÆSTIO IX.

An relationes communes differant ab alijs secundum rem.



PR O parte negativa Arguitur primo. Impossibile est, quod in eodem secundum rem differant respectu eiusdem, duæ relationes: sed in vno, & eodem reperitur respectu eiusdem relationis communis cum relatione fundata in actiuis, & passiuis: ergo non sunt diuersæ secundum rem. Maior videtur haberi ex Henrico quodlibet 14. q. 2. S. vnde in diuinis, &c. Vbi habet relationes distinctas realiter debere habere, secundum rem extrema distincta, & cum hoc etiam fundamenta diuersa realiter. Minor vero probatur, quia in eodem est ratio producti, vt puta calefacti, & relatio similis, quia calefactum est simile calefacienti in calore, vt vult Henricus art. 63. q. 2. ad secundum. Calefaciens refertur ad calefactum secundum relationem actiui, & passiuus, & etiam secundum relationem similitudinis, in quantum vtrumque illorum est calidum, &c.

Secundo. Relatio, quæ sequitur mensuratum in quantum huiusmodi, est de genere relationis identitatis: ergo relatio communis identitatis non distinguitur à relatione mensuræ, & mensurati. Consequentia probatur, non enim realiter differunt ea, quæ sunt in eodem, ratione cuius attenditur distinctio; nam non sunt dicenda realiter differre ea secundum genus, quæ in eodem genere sunt. Antecedens vero probatur, quia

quia relatio identitatis sequitur vnum, sed etiam equalitas, quatenus sequitur vnum, dicitur ab vno mensurari: ergo sunt eiusdem generis, & adduci potest, quod ait Henricus art. 63. q. 1. *Ideo relationes communes dicuntur esse in accidentibus numerorum, sicut relatio secundum mensuram, & mensuratum dicitur esse in substantia numerorum.*

Tertio. Ea, quæ circumeunt omne genus non possunt distinguui secundum genus, aut secundum speciem, ut patet de ente, & vno, quod cum ente conuertitur; sed relationes communes vagantur per omne genus: ergo non distinguuntur ab alijs generibus relatorum. Minor probatur, nam relationes communes sequuntur vnum, & multum, quæ diuidunt totum ens. Vnde bene dicit Henricus vnum, & multa reperiri in omnibus relationibus art. 63. q. 1. *Respectus relationis non est nisi plurium inter se relatorum, omnis autem pluralitas, siuè multitudo procedit ab vno.*

Notatur primo. Præsentem quæstionem procedere de relationibus secundum esse, quæ propriè, & per se sunt prædicamentales, nam illæ, quæ sunt secundum rationem, sunt solum in prædicamento reductiue. Tres autem modi relationum communium dicuntur esse tales, ut ad eos omnes relationes cuiuscumque generis dicantur spectare, quatenus diuersimodè habent fundare illas, vnde ad propositum Henricus art. 63. q. 2. *Illi tres modi relationis communis continent simpliciter solum relationes secundum esse, quia illa sola pertinent ad prædicamentum relationis, sed illa, quæ sunt secundum rem, continentur sub illis principaliter, &c.* Omnes autem modi constitutiui relationum quarumcumque possunt etiam in eodem reperiri, sed cum differant secundum rationem, illa fundamenta inter se faciunt, ut in eodem huiusmodi relationes non coincidant. Affert ibidem post plura, exemplum Henricus de calefaciente, & calefactibili. *Ut esset inter calefaciens, & calefactum relatio triplex generis, scilicet communis, & in potentijs,*
& in

Et in mensuris, nunquam tamen sic coinciderent in eisdem, quis manerent secundum rem diuersa, vt alia relatio realis fundatur super potentiam passiuam calefacti, contrariam potentia actiua calefacientis, super quam in illo fundatur relatio realis opposita, & alia super calorem eiusdem in specie cum calore calefacientis, &c. Fundamenta vero realis distinctionis relationum non est necesse, quod sint realiter distincta, sed sufficit, quod distinguantur secundum rationem. Docet hoc Henricus quodl. 14. q. 2. *Relationes secundum rem in utroque extremorum non semper requirunt pluralitatem fundamentorum secundum rem, &c.*

Notatur secundo. Relationes communes in eo præcipuè differre à proprijs, quæ dicuntur aliæ ab illis, quod (vt supra dictum est) illæ habent eandem habitudinem in utroque extremo; vt ait Henricus art. 62. q. 1. ex Commen. *Proprium est istis tribus generibus relatiuis, quod proportio in eis sit eadem in utroque extremo, similitum enim utruq; simile, & similiter equalia, & hoc intendebas Philosophus, cum dixit, quia referuntur ad vnum, id est, quia conueniunt in aliquo, è contrario in alijs speciebus relationis, id est secundum potentias, & mensurationes, &c. & post plura affert ex August. de Trinit. *Non sic ad se dicuntur pater, & filius, quomodo amici, aut vicini. Relatiuè quippe dicitur amicus ad amicum &c.**

Conclusio. *Relationes communes differunt secundum rem à relationibus proprijs.*

Explicatur. Modus, qui constituit relationes communes, quæ sunt in primo genere relationum, facit, vt illæ differant à relationibus secundi, & tertij generis, quæ sunt in actiuis, & mensuris, &c.

Est Henrici, licet cum aliqua limitatione art. 63. q. 3. vbi habet.

habet. Quia ergo relationes in singulis generibus quandoque sunt secundum rem, quandoque secundum rationem, idest relationes communes ab alijs differunt quandoque secundum rem, quandoque secundum rationem quandoque vero mixtim, loquendo autem de realibus, absolutè dicendum est, illas differre.

Probat. Relationes habentes diuersam formalitatem sui fundamenti, habent differre realiter ab alijs, habentibus aliam formalitatem; sed communes, & propriæ relationes sunt huiusmodi: ergo differunt realiter.

Ad primam obiectionem quod. *Reperiuntur in eodem respectu eiusdem relationes communes, & propriæ.* Dicendum. Diuersas formalitates ponendas esse necessario, & consequenter distinctas realiter relationes, quæ si à subiecto non desumunt suam distinctionem, secundum quod in eo sunt, distinguuntur tamen obiectiue, & penè suum modum fundandi. Vnde idem potest habere diuersas specie, & diuersas genere relationes, quatenus habet in se diuersa saltem secundum rationem fundamenta illarum, quando diuersi ponuntur termini, vt dicitur suo loco. Ad id, quod adducitur ex Henrico quodl. 14. q. 2. Dicendum, loqui tunc Henricum, arguendo pro aduersarijs, quibus respondet statim, realem distinctionem, fundamentorum non esse necessariam, sed sufficere ad reales relationes distinctionem fundamentorum secundum rationem excipiendo actiua, & passiuia. Ita ibidem paulo post relationes reales. *Non requirunt diuersa fundamenta, nisi in actiuis, & passiuis, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad secundam quod. *Omnes modi videntur habere rationem mensuræ, & mensurati.* Dicendum, hoc verum esse, sed valde diuersimodè. Nam, si consideretur vnitas secundum se, habet suum modum mensurandi, quatenus ratione suæ in diuisionis, & perfectionis dicitur esse mensura aliorum. Quando vero applicatur relationibus aliorum generum, tunc sumitur transumptiue

ptiùè, & quatenus descendit in alia lato modo sumpta men-
sura. Ita respondet Henricus art. 63. quæst. 2. ad secundum.
*Vnitas primo modo consideratur, ut ab ea procedit materialiter
per replicationem omnis numerus, & à perfectione formali,
qua consistit in sua indivisibilitate, deficit omnis numerus, &
per hoc comparatur, ut mensura ad numerum penès secundum
genus relationis, secundo autem modo comparatur, ut descendit
in omnia alia, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur
antecedens.

Ad tertiam quod. *Relationes communes circumeunt omne
genus relationum, quia sequuntur unum, & multum diui-
dentia ens.* Dicendum. Relationes communes non sequi unum,
& multum sub quacunque ratione, sed determinatè per talem
rationem sui fundamenti, & idcirco non benè dicuntur for-
maliter circuire omnia alia genera, licet aliquo pacto per simi-
litudinem aliquam videantur cum illis coincidere. Responsio
est Henrici art. 63. q. 3. ad secundum. *Vna ratione magis spe-
ciali fundantur relationes diuersa super diuersa prædicamenta,
quia ratione multi, aut vnus relationes communes, & simi-
liter relationes in potentijs, vna alia ratione speciali, scilicet,
quia ratione actiui, & passiui, & sunt in mensuris ratio-
ne perfecti, & diminuti, &c.* Quod vero in con-
trarium ex Henrico adducitur, non obstat,
quia sermo est de vno indeterminate
considerato. Ad formam
itaque argumenti
distinguitur
maior.

∴

ARTICVLVS XI.

QVAESTIO X.

Vtrum proprietates relationum sint benè assignatæ .



RO parte negatiua Arguitur primo contra primam. Contrarietas non potest esse in relationis, neque vt relatiua sunt, neque ratione fundamenti: ergo non est proprietas relationis habere contraria. Consequentia tenet à diuisione sufficienti. Antecedens vero probatur quoad primam partem, quia relatiua, vt relatiua, sunt non habent oppositionem contrariam, sed solum relatiuam; Pater enim, opponitur filio relatiuè, non autem contrariè, cum contrarietas sit inter ea, quæ inuicem se expellunt, vnde Theologi ponunt, in diuinis Patrem opponi filio relatiuè dumtaxat, quod habet Henricus art. 53. q. 10. ad tertium. *Ratione relationis opponuntur*. Patet verò quoad secundam partem, quia saltem ratione substantiæ, & quantitatis non possunt esse contraria, cum substantiæ, & quantitati nihil sit contrarium, vt suis locis dictum est, & tamen substantia, & quantitas sunt fundamenta relationis.

Secundo contra secundam. Relatio dupli est vera relatio, sed hæc non suscipit magis, & minus: ergo relatio non suscipit magis, & minus. Minor patet, quia nihil dicitur magis, vel minus duplum, quam aliud. Maior vero est Henrici art. 62. q. 1. *Duplum, & dimidium, & cætera talia, quæ dicuntur modo numeri, continentur sub equali, &c.*

Tertio contra tertiam. Subiectum, & propria illius passio dicuntur ad conuertentiam; sed hæc non sunt vera relatiua de genere relationis prædicamentalis: ergo dici ad conuertentiã, non est proprietas, quarto modo conueniens relationi. Minor probatur. Nam optimè dicitur homo est risibilis, & risibile est homo, cuius conuertentiæ fundamentum esse potest, quod adducit Henricus quodl. 4. q. 31. *Essentia hominis in eo, quod homo, non est nisi habilitas quadam ad actum ridendi, quod appellatur esse risibile.* Minor vero patet ex præmissis ex Henrico art. 64. q. 1. ad primum vocante talem relationem secundum dici. *Quandoque in eis nulla existit relatio secundum esse, neque rei, neque rationis, sed secundum dici tantum, qualis est inter partem, & totum, & inter subiectum, & accidens, &c.*

Quarto tandem contra quartam. Quæ habent rationem prioris, & posterioris, non possunt esse simul natura, sed relatiua habent rationem prioris, & posterioris: ergo non sunt simul natura. Maior patet ex ipsis terminis, nam simul opponitur priori, & posteriori. Minor vero patet dupliciter. Primo, Pater est prior filio, quia est causa illius. Vnde Henricus ar. 59. q. 3. *Quæ enim sunt in patre, habent ordinem ad ea, quæ sunt in filio secundum rationem principij, & principiati.* Secundo, probatur de prioritate, & posterioritate temporis, quæ sunt relatiua, & tamen non sunt simul natura. Quod sint relatiua potest deduci ex Henrico quodl. 3. q. 11. *Ratio enim successionis formaliter consistit in ratione prioris, & posterioris.* Sunt ergo relatiua constituenta successionem.

Notatur primo. Contrarietatem relatiuorum ex eo colligi, quia videmus scientiam contrariari ignorantie, virtutem vitio, identitatem diuerso, æqualitatem inæqualitati, & similitudinem dissimilitudini, & his similia. Non tamen hæc est proprietas, quarto modo conueniens relationi, cum etiam conueniat qualitatibus; neque conuenit omni relationi, sed solummodo alicui, quia duplum dicatur relatiuè ad dimidium

non

non tamen contraria sunt adinuicem. Vt vero regula habeatur ad cognoscendum, quando relatiua habeant contraria, sciendum est, quod quemadmodum relatiua à suis fundamentis entitatem, & realitatem suam recipiunt, & secundum ea dicuntur multiplicari, ita etiam, dicuntur ratione ipsorum contrariari; si sint relatiua fundata in quantitate, & substantia, quæ non habent contraria, neque relatiua illa propriè contrarietatem habent. Si vero fundentur in qualitate, tunc habent contraria, quia qualitas habet inter se pugnantem species suas, & se inuicem ab eodem subiecto expellentes, & hæc est propria contrarietas, vt alibi diximus. Habent tamen relatiua contrarietatem inter se impropiam, quæ vocatur oppositio relatiua, quatenus secundum diuersitatem, quæ est inter fundamentum, & terminum, aliquid dicitur inæquale, & propter conuenientiam dicitur alteri æquale, quæ ad aliud propositum vocatur ab Henrico art. 69. q. 1. ad primum. *Differentia solummodo contraria communiter accepta pro distinctione, quæ est ex relatiuis.* Et quia Henricus quodl. 4. q. 15. ex simplicio, eodem modo intelligendum de habere contrarium, & suscipere magis, & minus. Idcirco eodem modo se habet ad relationem secunda proprietate, ac prima. Et si dicatur relationem non suscipere magis, & minus ratione fundamenti, quia potest intendi similitudo alicuius, dum remittitur eius albedo in comparatione ad minus album, facile patet, hoc esse debile dictum, non enim dicendus est, qui paulatim remittitur in albedine, fieri magis similis minus albo; sed fieri minus dissimilis, & sic remittitur etiam in dissimilitudine, licet secundario deinde dici possit, fieri magis similis. Henricus docuit art. 71. q. 4. *Diuersitas enim qualitatum secundum gradum diuersos facit, quia in Creaturis esse, est similitudo aliqua, tamen est imperfecta, & difformis similitudo, quæ est propter unitatem formæ specificæ. Imperfecta vero, & difformis propter diuersitatem graduum, puta, quando est inter minus album, & magis album.*

album. Et hinc haberi potest ratio, quare æquale non suscipiat magis, & minus, non enim ternarium est magis æquale ternario, quatenus binarium binario: Quia scilicet æquale fundatur in quantitate, & in indiuisibili termino, à quo qualiscumque recessus fuerit, inæqualitas causatur, secus verò de inæqualibus, quæ suscipiunt magis, & minus, binarium enim est minus inæquale ternario, quam denario. Satis itaque sit in præsentia, percipere nos, æqualiter debere loqui de susceptione magis, & minus, ac de ipsa contrarietate, semper enim seruetur proportio, vt contraria sint in relatione eo modo, quo reperiuntur in suo fundamento, & quia quantitas non intenditur, nec remittitur; sed solum extenditur, & contrahitur. Ideo etiam relatio hoc modo habet contrarietatem, quatenus fundatur in quantitate, & sic de cæteris.

Notatur secundo. Alias duas proprietates cum aliquibus circumstantijs debere intelligi. Debet quoad tertiam proprietatem aduerbi quid nominis conuertentiæ, nè in æquiuoco quis laboret. Aliud est conuersio, aliud conuertibilitas, & aliud conuertentia. Conuersione utimur in transmutandis propositionibus. Conuertibilitate verò in transmutandis terminis, siue penes significationem, siue penes suppositionem illorum, vt ex summulis suppono cognitum. Conuertentia verò non est, nisi in relatiuis, quia dici ad conuertentiam, est exprimi habitudinem inter extrema relatiua, vt si dicatur Pater, filij pater, & seruus, domini seruus, quod fortasse innuit Henricus art. 62. q. 4. dicens, *est autem relatio in substantia vtriusque relatiuorum, quando relatiua habent in se realiter, super quod fundatur relatio*. De quibus proprijsimè dicitur conuertentia, Aduertens autem aliqua esse relatiua, quorum vnum habet fundamentum suæ relationis realis, quod in alio non est ad correspondentiam, subiungit. *Aut in altero tantum, vt in mensurato, quod realiter, & relatione reali refertur ad mensuram, & sic adhuc aliquo pacto (licet minus propriè) saluatur*

con-

conuertentia, qua ratione dicebamus superius ex Henr. quodl. 3. q. 10. *Necesse est igitur, quod relatio qua Deus refertur ad Creaturam, realis sit ex parte creature per se, ex parte vero Dei per accidens, scilicet, quia tali relatione Creatura primo, & per se refertur ad ipsum, &c.* Quoad quartam proprietatem sciendum. Tunc aliqua esse simul natura, cum secundum eorum existentiam datur bona consequentia ab vno ad alterum, valet enim hæc, *si est Dominus: ergo seruus. Si seruus, ergo Dominus*, & tunc habetur hæc naturæ simultas, cum neutrum sit causa alterius; idem risibile, & homo non sunt simul natura, quia risibile est veluti effectus hominis. Vbi itaque reperitur ratio causæ, & effectus, ibi non potest poni inter ea vera relatio. Hoc docet Henricus art. 55. q. 6. subscribens Philosopho, *secundum Philosophum. Relatiua sunt simul natura, neutrum tamen est causa alterius, &c.*

Conclusio. Proprietates illæ quatuor relationis sunt bene assignatæ.

Explicatur. Relatio iure dicitur ab Aristotele habere contraria, & suscipere magis, & minus, licet hoc commune habeat cum qualitate, sibi autem solum peculiare habet, quod dicantur relatiua ad conuertentiam, & quod sint simul natura.

Est Henrici, quod enim relatiua sint ex contrariis, & suscipiant magis, & minus, aperte colligitur ex Henrico art. 65. q. 1. ad tertium. *Inequale contrarium equalitati causata ab vno in quantitate, est inter habentia, inter se diuersas quantitates* (& paulo post) *Inequale vero secundum defectum recipit comparisonem sic paruum, siue parum, siue paucum, minus, minimum, &c.* Quæ licet non sint tam proprie contraria, sicut fundata in qualitate, sunt tamen etiam ipsa contraria, vt habitus priuationi contrariari dicitur, vt ibidem dicit Henricus. *Inequale:*

æquale, quod opponitur priuatiuè æquali, &c. Quod uero dicantur relatiua ad conuertentiam, patet ex Henrico loco citato quodl. 3. q. 10. Omnia relatiua, si conuenienter assignentur, ad conuertentiam dicuntur, ut dicitur in predicamentis. Quod deniquè sint simul natura, patet ex citato art. 55. q. 6 & art. 59. q. 3. Verissima ratio relationis est inter talia, qua simultatem habent absque omni ordine, & natura, & rationis, qualis est inter patrem, & filium secundum rationes paternitatis, & filiationis, & hoc iuxta illam definitionem relatiuorum, qua dicitur in predicamentis, quod relatiua sunt simul natura, & neutrum eorum est causa alterius ut sic, & art. 66. q. 1. Predicamentum autem relationis continet habitudines, quibus subiecta illarum habent esse, & dici relatiuè ad aliud, ut ad obiecta, & suis respectibus, quos important subiecta sua, qua eis referuntur, subiecta sua respiciunt, & ordinem habent ad illa in esse, & referri ad illa, absque hoc, quod causentur ab illis, quia secundum Philosophum in predicamentis relatiua sunt simul natura, & neutrum eorum est causa alteri, ut sit, &c.

Probatur uerò. Conclusio per singularum proprietatum explanationem, quæ sufficienter in notabilibus est habita.

Ad primam obiectionem quod. *Relatiua non possunt habere contraria, ut relatiua sunt, neque ut sunt in fundamento.* Dicendum. Contrarietatem propriam esse in relatiuis penès fundamenta, à quibus habent suum esse. Aliqualem uero contrarietatem etiam habent se ipsis quatenus in modo, & ratione sua important aliquid per modum positiui, aliquid uero per modum priuatiui, ita dicuntur fundata in substantia habere rationem oppositionis, ut dicunt modum unius, & multi, siuè identitatis, & diuersitatis. Vbi licet fundamentum ipsum contraria non habeat, habet tamen modos fundandi per modum oppositionis alicuius. Quamobrem dicebat Henricus art. 63. q. 3. *In predicamento relationis est habitudo, continens duas relationes sibi inuicem oppositas, &c.* Ad formam ita-

itaque argumenti negatur antecedens.

Ad secundam quod. *Relatio dupli non suscipit magis, & minus.* Dicendum non esse quid necessarium relationi omni, siue omni relatiuo, vt magis, vel minus suscipiat. Proprietas hæc solum aliquibus relatiuis conuenit, non omnibus. Duplum, quia est per modum numeri non habet, quod sit magis, vel minus duplum; sicut neque dimidium aliquid est magis dimidium, quam aliud, quandoquidem habent rationem determinati, & consistentis in indiuisibili. Est tamen aliquis sensus, in quo etiam duplum potest habere rationem susceptiui magis, & minus; vt benè notat Henricus art. 62. quæst. 1. *Duplum, & sub duplum sub nomine inæqualis, quod non contingit plus in inæquali, quam inæquali, nisi propter maiorem diuersitatem quantitatum, in quibus fundatur inæqualitas, &c.* Aliquid itaque non est magis duplum, quam aliud, potest tamen ratione dupli esse magis, vel minus æquale, vel inæquale, quod sufficit ad saluandam hanc proprietatem in omnibus quantitatis speciebus, licet sit solum secundum extensionem ipsius quantitatis eo modo, quo linea potest fieri longior, & contractior. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad tertiam quod. *Substantia, & passio dicuntur ad conuertentiam.* Dicendum hoc esse falsum. Quod enim homo sit quid risibile, & risibile sit homo; hoc est dici secundum conuertibilitatem, siuè potius conuersionem, non autem conuertentiam, quæ solum conuenit relatiuis, quatenus valet dicere. Pater, est filij Pater, & filius est Patris filius. Remouetur vero à vera relatione subiectum, & eius passio, quia habent rationem causæ, & causati, quæ est ratio repugnans relatiuis proprijs, vt ex Henrico dictum est art. 59. q. 3. *Pater non est pater, quia generans, nec è conuerso est generans, quia est pater, sed solummodo, quia habet filium à se genitum secum existentem:* Quam doctrinam exactissimè iam tradiderat art. 56. q. 1. *Album in se*

Qq

babes

babet naturam, qua habile est, ut alteri assimiletur secundum actum, & ut actu assimiletur, non requiritur nisi præsentia alterius extremi. Non autem debet album sui extremi esse productiuum. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad quartam quod. *Relatiua habent rationem prioris, & posterioris.* Dicendum, hoc omnino esse falsum de relatiuis, ut verè, & propriè relatiua sunt. Quod vero pater habeat rationem principij, & filius principiati, non facit prioritatem aliquam, quia in hoc differt causa, & principium, quod illa arguit naturæ, prioritatem, hoc vero non. Sed hoc est Theologice speculationis, non autem huius loci. Libentiùs dicerem, inter relatiua, ut relatiua sunt, neque intercedere rationem causæ, neque rationem principij. Cum vero dicitur pater esse causa filij, non sumitur ibi pater rigorosè pro relatiuo, sed pro persona, quæ fuit generans. Vnde benè dixit Henricus, terminos esse attendendos non solum penes suum significatum, sed etiam penes id, pro quo supponunt art. 53. & 74. q. 5. Licet pater sonet, & significet relatiuum hoc, pro eo tamen pro quo supponit, significat hominem, qui genuit, cum dicitur Pater est causa filij, quia genuit ipsum, alioquin committeretur solemnis æquiuocatio. Ad id verò de tempore adductum, iam

ex parte responsum est; in prædictis, & melius patebit in suis locis, quomodo illud prius, & posterius sit, vel non sit quid reale, vel rationis, quia est parui momenti difficultas, his omnibus in præsentì superfedeo. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

ARTICVLVS XII.

Circa Duodecimum Articulum de Qualitate, & sex vltimis prædicamentis quærebantur duo, scilicet Dēfinitio qualitatis, & aliorum assignatio. Erat autem

QVAESTIO I.

An definitio, species, & proprietates qualitatis bene assignentur.



DRO parte negatiua Arguitur primo. Dēfinitio debet dari per aliquid notius ipso definito; sed hæc non est huiusmodi: ergo non est bona. Maior patet, nam per definitionem debemus deuenire in cognitionem rei, & consequenter debet habere medium notius ipsamet re definita, neque enim debet dari definitio per æquè ignota, cum definitio debeat esse explicatiua, vt alibi diximus ex Henrico quodl. 10. q. 8. *Dēfinitio est oratio indicans, quod est esse.* Minor vero probatur, quia qualitas definitur per se ipsam cum dicatur esse, *per quam quales dicimur.* Quod verò per se ipsum definitur, dicitur per æquè ignotum definiri.

Secundo contra numerum Specierum. Genus non habet nisi duas species: ergo malè ponuntur hic esse quatuor. Consequentia patet; quia istæ species assignantur, vt species diuidentes primo ipsum generalissimum genus qualitatis. Antecedens vero probatur, quia genus descendit in species per

differentias específicas oppositas, quæ esse nequeunt nisi duæ, vt alibi ex Henrico quodl. 7. q. 8. *Descendit genus in species per differentias duas, &c.*

Tertio contra primam proprietatem. Quæ sunt in diuersis subiectis, non contrariantur, sed albedo, & nigredo sunt in diuersis subiectis existentes: ergo non contrariantur. Et sic qualitas non habebit contrarium. Minor patet, quia albedo secundum esse albedinis non remissæ, nullo modo potest esse simul in eodem subiecto cum nigredine, vt probatur ipsa experientia, Maior vero probatur, quia contraria debent esse circa idem, & debent inuicem se expellere, vt docet Henricus quodl. 12. q. 11. *Contraria nata sunt fieri circa idem naturaliter, &c.*

Quarto contra secundam proprietatem. Forma quælibet consistit in indiuisibili, & quælibet essentia est sicut numerus: ergo nequit suscipere magis, & minus. Consequentia patet, nam ea, quæ in indiuisibili consistunt, non possunt intendi, aut remitti, vt sæpius dictum est. Antecedens vero probatur ex Henrico art. 42. q. 2. probante colorem separatim habere in se omnem perfectionem; *sicut si esset aliquis color separatus, qui esset color per essentiam, nihil posset esse perfectionis in colore quolibet existente in materia, quod non haberet in se color ille, &c.* Quemadmodum ergo impossibile esset huiusmodi colorem abstractum intendi, vel remitti, ita & concretum in subiecto, &c.

Quinto contra tertiam proprietatem. Dicimur similes per similitudinem: ergo non per qualitatem. Antecedens patet à concreto ad abstractum, quemadmodum enim dicimur albi ab albedine, quam habemus, ita dicimur esse similes à similitudine, concretum enim appellat suum abstractum inherens, vt ait Henricus quodl. 10. q. 8. *Albedo est proprius actus, quo aliquid album dicitur, art. 73. q. 7. ad secundam. Album enim significat qualitatem inherentem subiecto, & sic concretum illi.*

Et

Et dici potest à simili de relatione similitudinis; quod si dicam, album est simile albo, idem est, ac album est habens similitudinem cum albo. Consequentia vero patet, quia qualitas & relatio sunt in differenti genere, nec formaliter vnum est aliud, quia per qualitatem significatur accidens formale absolute, per relationem, autem significatur quid respectuum absolute oppositum.

Notatur primo. Cum duplex sit quale, scilicet essentialis, & accidentalis, hic non esse sermonem de quali essentiali, qualis est differentia specifica, sed de accidentali duntaxat quatenus sumitur qualitas habens suum esse in subiecto per inhaerentiam, & ratione huius qualitatis non solum secundum nomen, sed etiam secundum rem denominatur substantia qualis, ut dicitur paries albus ratione albedinis sibi inhaerentis. Definitio autem potest esse secundum descriptionem eo modo, quo genera generalissima describi dicuntur. Quod attinet ad qualitatis species, sciendum est, habitum plures habere significationes, sed quatenus sumitur in praesenti, non sumitur nisi pro qualitate disponente subiectum ad bene, vel male operandum, quae non est nisi difficile à subiecto amouibilis. Dispositio vero tam dicitur esse difficile mobilis, quam facile, ex quo Aristoteles dixit, omnem habitum esse dispositionem, non autem e conuerso; sed differt ab ipso habitu, quatenus praecise sumitur pro facile mobili. Naturalis potentia estabilitas ad aliquid promptè faciendum, & impotentia significat priuationem illius habitus. Passio est qualitas appetitus sensitui, vel etiam intellectui, quatenus de facili introducitur, & remouetur ut timor, iracundia, &c. Et differt à passibili qualitate, quatenus haec est cum difficultate remouibilis, ut sapores, colores, odores, &c. Forma tandem, & figura sumuntur, quatenus habent afficere subiectum, partes afficiuntur in ordine ad totum, & differunt inter se, quatenus forma dicitur ex gratia dispositionem capitis, colli, & brachiorum,

rum, &c. Figura verò quatenus dicte linearum protractionem, & licet hæc quatuor dicantur species quantitatis, melius tamen, & magis propriè vocantur modi ipsius, quia modus super speciem addit aliquid amplius, ut aliquod esse accidentale superadditum, siue in ratione essendi, siue in ratione prædicandi.

Notatur secundo. Circa primam proprietatem qualitatis, quod contrarietas sumi potest multipliciter, primo pro contradictione, secundo pro oppositione priuatiua, tertio pro repugnantia duarum formarum se inuicem expellentium ab aliquo subiecto, siue actione propria, ut debent contrariari quatuor qualitates primæ; siue actione aliena, ut reliquæ qualitates; & in hoc tertio sensu sumuntur contraria in genere qualitatis; Circa secundam aduertendum, quod suscipere magis, & minus, est aliquid secundum se intendi, & remitti, quod conuenit qualitati non solum in concreto, sed etiam in abstracto, non abstractione reali scilicet si consideretur v. g. albedo ut separata à subiecto, sed si sumatur terminus eius abstractus, licet sit in subiecto, ut loquitur Henricus quodl. 4. q. 15. *Ipsum subiectum recipit magis, & minus per hoc, quod forma in ipso recipit esse maius, vel minus. Et secundum hoc, est albius, quod perfectiori albedine afficitur.* Et deniquè circa tertiam proprietatem sciendum, quod ratione qualitatis dicitur aliquid simile, vel dissimile non denominatione formali, sed potius fundamentali, quatenus qualitas est fundamentum similitudinis, formaliter autem certum est, quod denominatio similis, vel dissimilis est à similitudine, vel dissimilitudine; quæ sunt relationes. quæ omnia satis de se clara sunt.

Conclusio. Definitio qualitatis, species, & proprietates eiusdem sunt bene assignatæ.

Explicatur. Optimè ab Aristotele dictum est qualitatem esse, qua quales dicimur, & habere species quatuor, & proprietates tres secundum expositionem præmissam.

Est Henrici quoad omnes partes, sed valdè implicite. Quantum ad definitionem qualitatis art. 66. quæst. 4. *Qualitas largè accepta nominat, quamcumque rem habentem in predicando modum qualitatis, scilicet in eo, quod quale.* Quantum ad primam speciem scilicet habitum quodl. 5. q. 16. *Habitus est qualitas, qua quis, habilis est, ut consimiles actiones eliciat.* Quantum ad secundam scilicet naturalem potentiam art. 35. q. 4. *Dicitur potentia æstiva, cui respondet ætus secundus qui est operatio egrediens è forma.* Quantum ad tertiam scilicet passionem, & passibilem qualitatem art. 50. q. 2. *Est passibilis qualitas, cum permanens est, & de difficili mobilis, habens causam permanentem. est autem passio, siue affectio, cum cito transit.* Et quantum ad quartam scilicet formam quodl. 7. q. 10. *Circa illas de quarta specie qualitatis, quæ sunt rarum, & densum, & quoad figuram quodl. 10. q. 5. Quoad dimensiones, & figuras, & quedam alia accidentia, & in vivo, & in mortuo, in vino, & aceto.* Quantum vero ad primam proprietatem quodl. 4. q. 15. *Albedo ipsa secundum se, & concreta, & ut abstracta dicitur maior, & minor, quoad secundam quodl. 5. q. 18. Non est contrarietas propriè nisi in naturaliter æstivis mutuo communicantibus, ut sunt calidum, & frigidum, &c.* Quoad tertiam tandem art. 64. q. 1. ad quartum: *Dicitur simile sequi ad unum in qualitate, &c.*

Probatur. *Conclusio* sufficienter per ea, quæ in notabilibus sunt exposita.

Ad

Ad primam obiectionem quod. *Definitio debet dari per aliquid notius definito, hac vero datur per quale dictum à qualitate.* Dicendum nomina concreta esse magis nota nobis, quam nomina abstracta, quæ sunt notiora solum secundum naturam suam, quod ex parte habuit Henricus art. 73. q. 7. licet ad aliud propositum. *Lico, quod modus significandi concretius magis congruet nominibus significanti. hus auiua in quantum sunt obiectum intellectus creaturæ,* quia scilicet concreta sunt nobis notiora, quam abstracta. In definitione qualitatis ponitur concretum ipsius, quia per ipsum manuducimur ad cognoscendam qualitatem minus nobis notam. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Genus descendit in species per duas differentias solum.* Dicendum species has melius appellari modos qualitatis, quam species si rigorosè nomen speciei usurpetur. Apparet enim, quod inter se differunt sola accidentalī quadam distinctione, quæ non spectat ad qualitatem præcisè, sed potius ad modum habendi ipsam, quatenus scilicet aliquid ipsam habet facile, vel difficile mobilem, vel acquisibilem, quod apparet clarius ex eo, quod idem in eodem semper non stat; sed quod est in vna specie, vel modo, sub alia ratione est in alio modo, & ita calidum, & frigidum si considerentur, ut principia actionum, ponuntur in prima specie qualitatis, si vero accipiantur quatenus inferunt passiones, & percipiuntur à sensu, ponuntur in tertia. Immo habitus ipse de prima specie in se includit naturalem potentiam, ut docet Henricus quodl. 5. q. 18. *Habitus etiam non est nisi accidens, & ita non habens nisi naturalem potentiam.* Accidentales huiusmodi arguunt, hos esse modos potius, quam species. Si quis autem desideret cognoscere, quænam possent assignari propriè, & rigorosè species, poterit qualitatem prædicamentalem primo diuidere in incorpoream, & corpoream, corpoream verò in primam, & secundam, &c. Ad formam itaque argumēti distinguitur cōsequens.

Ad

Ad tertiam quod. *Nigredo, & albedo non contrariantur, quia existunt semper in diuersis subiectis.* Dicendum contrarietatem inter qualitates omnes non esse desumendam solum ex eo, quod inuicem se ab eodem subiecto expellant, hoc enim fortasse conuenit primis qualitibus, vt ait Henricus quodl. 5. q. 18. *Contrarietas propriè non est nisi in naturaliter actiuis mutuo communicantibus, vt sunt calidum, & frigidum, ad quorum contrarietatem reducitur contrarietas omnis naturalis.* Sed etiam extendendam ad quandam pugnam mediatam, quam inter se habent secundæ qualitates, quatenus inuicem se non compatiuntur secundum suam perfectam rationem in eodem, vt post plura innuit Henricus. *Calidum generans nigredinem non contrariatur albedini, quam corrumpit, nec corrumpit eam propter contrarietatem ad ipsam, sed quia ipsam non compatiatur nigredo.* Habent itaque nigredo, & albedo, quod pugnent inter se, quatenus vna per aliam corrumpitur; & per successionem vnus recedit altera, vt per denigrationem destruitur albedo, & per dealbationem nigredo, & hoc est, quod dicitur contraria debere esse circa idem, idest in aptitudine, vt sint in eodem, licet non simul, sed successiuè se à subiecto inuicem expellendo, nigredo enim, & albedo sunt aptæ ad inhærendum eidem parietis parti, & ab eadem se inuicem expellunt, quatenus per introductionem vnus, desinit altera, quæ illam non compatiatur. Tantum enim amittitur de albedine, quantum introducitur de nigredine. Vt ait Henricus quodl. 4. q. 15. *Albius est nigro impermixtius.* Quanto enim magis destruitur de nigredine, tanto plus crescit albedo; & è contra quanto plus additur de albedine, tanto magis nigredo destruitur. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad quartam quod. *Essentia non possunt intendi, vel remitti, vt patet in calore si detur separatus.* Dicendum aliquas esse reium essentias, & naturas, quæ in indiuisibili consistunt,

Rr

quia

quia secundum se sunt in esse determinato, quatenus existunt. Et hæc nullo pacto possunt suscipere magis, & minus, quemadmodum, nec habere proprium contrarium; sed naturæ istæ sunt siue substantiæ, siue quantitates, ut dictum est; At vero sunt aliæ, quæ non sunt in esse determinato, quales sunt formæ accidentales qualificantes, & istæ ratione suæ indeterminationis benè suscipiunt magis, & minus, ut ait Henricus quodl. 4. q. 15. *Nihil ergo quærendum est, quod sit causa magis, & minus, nisi quod natura, & essentia, secundum quam dicuntur magis, & minus, non consistit in determinato, & indivisibili termino, ut potius tanto aliquid dicatur infici puriori albedine, & esse albius, quanto accedit ad terminum illius indeterminationis, quàm quanto accedit ad vocis impositionem, &c.* Ad id autem, quod dicitur de calore abstracto. Dicendum duplicem esse abstractionem, unam realem, alteram vero rationis. Nam approbando hanc distinctionem benè dixit Henricus art. 73. q. 7. *Intellectus nostri cognitio non est, nisi sub ratione concreti respectu abstractionis realis quantumcumque abstractatur secundum rationem.* Calor abstractus abstractione reali per miraculum ab omni subiecto iam haberet, saltem secundum actum, esse per se, & consequenter non haberet esse circa idem, in quo esset frigidum, & esset in tota sua virtute, & in omni suo gradu, ut benè ex Henrico dicitur in argumento. At verò abstractus secundum rationem à subiecto, in quo est, quatenus scilicet consideratur hic calor, non considerando hoc calidum, habet adhuc suscipere magis, & minus, ut si dicatur ferrum ignitum esse calidius ligno ignito, & intellectus velit in abstracto percipere maiorem calorem in ferro, quam in ligno huiusmodi. Potest enim optimè dici iste calor est maior illo, & tamen sumitur calor in abstracto, & hoc est, quod semper clamat Henricus; non solum dici debere hoc esse magis vel minus calidum, sed multo magis hoc esse magis calidum, quia habet maiorem calorem. Sunt verò aliquæ qualitates de
 quar =

quarta specie, quas Henricus citato quodl. 4. q. 15. vocat qualitates in quantitate, vt sunt triangulus, & quadrangulus, quæ nullomodo suscipiunt magis, & minus, & ratio est desumenda ex indiuisibilitate sui termini. *Hoc est* (inquit Henricus) *secundum rationem eiusdem gradus, & termini indiuisibilis, &c.* Sed de his redibit sermo in libris de Generatione. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad quintam quod. *Non sumus similes per qualitatem, sed per similitudinem.* Dicendum est, esse similem per qualitatem, habere duplicem sensum, vel quatenus illius similitudinis, qualitas est fundamentum, & sic dicitur quis per albedinem similis alteri albo, vel quatenus sumitur formaliter, quatenus per qualitatem formaliter dicitur similis, & sic non potest intelligi, quia per qualitatem dicitur quis qualis non autem similis. Proprietas vero illa debet intelligi, quatenus qualitas habet hoc sibi maximè proprium, quod fundat relationem similitudinis, & dissimilitudinis, itaut nulli omninò possit competere ratio talis fundamenti, nisi ipsi qualitati, vel saltem habenti rationem qualitatis, siue essentialis, siue accidentalis, & hoc testatur Henricus art. 66. q. 4. habet fundari. *In qualitate strictè accepta non nisi simile, & dissimile.* Responderi etiam posset non incongrue, per qualitatem dici aliquem alteri similem, quatenus omnis realitas ipsius relationis non est nisi realitas fundamenti, & vt dicit Henricus art. 63. q. 3. ad primum. *Similitudo fundata supra qualitatem, qualitas est quoquo modo secundum illud dictum vsitatum, Similitudo est rerum differentium eadem qualitas.* Sed quia non est eadem formalitas secundum rationem, ideo, ne committatur æquiuocatio, & fiat lis inutilis, melius responderetur primo modo, vbi sumitur formalitas rigorosa. Nam certum est qualitatem habere rationem absoluti, & consequenter, licet det realitatem similitudini, non tamen dare illi formalitatem, sed talem respectum consequi ex alterius extremi positione. *Propositio*

autem illa quam, *dictum vsitatum*, vocat Henricus, intelligenda est solum secundum realitatem, & fundamentaliter; formaliter autem nequit intelligi; secus non posset dari relatio dissimilitudinis opposita similitudini, quia vel esset qualitas formaliter, & sic formaliter dissimilitudo non esset nisi similitudo, cum similitudo formaliter esset qualitas; vel non esset qualitas formaliter, & sic non esset oppositorum idem genus, quod est inintelligibile. Ad formam itaque argumenti distinguitur consequens.

A R T I C U L U S XII.

QVAESTIO II.

An quiditas sex prædicamentorum postremo loco numeratorum sit benè assignabilis.



PRO parte negatiua primo Arguitur contra Actionem. Sex prædicamenta vltima sunt respectiua, sed actio nõ est respectiua: ergo actio nõ debet poni inter illa. Maior præter Aristotelem habet Henricũ quodl. 15. q. 5. *In his sex prædicamentis res illa, super quam fundantur, in quantum super illam fundantur, circa se rationem respectus, quodammodo includit quasi materialem ad respectus, in quibus consistit ratio illorum sex prædicamentorum.* Minor verò probatur, relatiuum enim debet subiectari in eo, in quo fundatur; sed actio non subiectatur in agente, sed in passio: ergo non est respectiua. Quod relatio subiectetur in suo fundamento satis patet ex dictis de fundamento relationis. Quod vero actio sit in passio subiectiua, est expressa sententia Henrici art. 3. q. 1. ad secundum. *Discitur actio, vt est ab agente, & passio vt recipitur*

capitur in passio, & ambo habent esse in passio recipiente, ut in subiecto, sicut determinat Philosophus 3. Pbyf. &c.

Secundo contra Passionem. Passio est simpliciter quid absolutum: ergo non potest esse vnum ex his prædicamentis. Consequentia patet ex Henrico citato; quia hæc sunt sex prædicamenta respectiva. Antecedens verò probatur. Nam terminus actionis est quid absolutum ex Henrico art. 39. q. 5. ad secundum. *Respectus non potest esse principium agens, aut terminans actum.* Actio vero terminatur ad passionem, quia passio dicitur per actionem produci, cum illam sequatur necessario. Nunquam enim ponitur actio, quin etiam ponatur passio, ita docet Henricus art. 35. q. 2. *Nunc autem non est ponere actionem sine passione sibi respondente, &c.*

Tertio contra Quando. Tempus est in prædicamento quantitatis, est enim species illius, cum sit quantitas continua successiva, ut ibi habitum est: sed Quando est ipsum tempus, quia tempus ponitur in eius definitione, ut patet per Henricum art. 32. q. 5. *Quando est, quod ex adiacentia temporis derelinquitur.*

Quarto contra Vbi. Quæcunque habent differentias eandem sibi communes, debent esse idem, & reponi in eodem prædicamento. Sed Vbi habet eandem differentias cum loco: ergo est in prædicamento loci quod est prædicamentum quantitatis. Maior patet, nam per differentias quemadmodum res constituntur, ita & differunt à se inuicem, & ponuntur in diuersis prædicamentis. Differentiæ enim sunt modi ipsi, quibus dicta sunt prædicamenta differre secundum Henricum art. 32. q. 5. *Ratio prædicamenti est proprius modus essendi eorum, quæ continentur in prædicamento, &c.* Minor vero probatur ex eodem ibidem. *Secundum differentias loci sursum, & deorsum dextrorsum, & sinistrorsum; antè, & retrò sumuntur differentia vbi.*

Quinto contra Situm. Videtur esse contra Henricum, quod Situs

situs sit prædicamentum aliud à quantitate . Nam ille ait ibidem art. 32. q. 5. *Iste est situs, quia est prædicamentum, qui superponit ordinem partium in toto, qui pertinet ad prædicamentum quantitatis, &c.*

Sexto contra Habitum. Prædicamentum habitus debet esse respectus inter continens, & contentum ; sed non est huiusmodi, ex Henrico ibidem . *Discendum autem, quod continens habet consentum secundum hunc modum dicitur, quod locus habet locatum, & hoc est prædicamentum ubi, &c.* Ergo non potest esse prædicamentum distinctum .

Notatur primo . Sex prædicamenta relatiua postrema in eo differre à relatione ipsa, quæ ponitur prædicamentum distinctum ; Quia relatiuorum prædicamentorum numerus, & distinctio desumitur penes modos, quibus aliqua alteri conueniunt . Nam respectus præcisè consideratus, ut conueniens rei absolutè, constituit prædicamentum relationis secundum se . Sed deindè, quia huiusmodi respectus habet subdiuisionem, modorum, quibus connotantur diuersa fundamenta, & sic consergunt alia sex prædicamenta, quæ omnia docuit Henricus quodl. 15. q. 5. *Ille respectus, qui est ad aliud esse, aut conuenit rei absolute ex se sola, & sic est respectus prædicamenti relationis propriè dicti, aut conuenit rei absolute non nisi ex connexionne quadam cum aliqua re alia, & sic est respectus aliorum sex prædicamentorum*, quia verò dictum est totam realitatem respectiuorum esse ab absolutis desumendam, tam de relatione ipsa, quam de reliquis sex prædicamentis, valet dictum huiusmodi . Neque enim habent propriam realitatem hæc sex prædicamenta, sed solum dicunt circūstantias adiacentes circa absoluta ; quæ diuersimodè à respectiuis habent affici, & disponi ; quamobrem dicebat ad hoc propositum Henricus art. 32. q. 5. *Septem prædicamenta de formalisignificatione sua potius prædicant circūstantias rerum, quam rem aliquam, &c.*

Nota-

Notatur secundo. Actionem, & passionem realiter esse quid idem omnino, sed solum differre secundum, quod actio denominat agens, à quo est, passio vero subiectum, in quo, & habet hæc diuersa ratio fundari in connexionione, quam habent accidentia ad motum, & ideo dicuntur in illo fundari. Ne vero longius, quàm par est protrahatur disputatio, referam de actione, & passione, & de reliquis quatuor prædicamentis quicquid de ipsis sentit Henricus citato art. 32. q. 5. Actio, & Passio fundantur in motu, & hoc uno, & eodem numero, & distinguuntur secundum solos respectus, qui sunt, esse ab alio, & esse in alium, & secundum hoc ab illo uno duo diuersimodè denominantur, hic quidem agens, ille vero patiens. De Quando ait Henricus ibidem. Quando est prædicamentum accidentis, quia super aliquod accidentale ex tempore per motum in temporali derelicto fundatur, quod accidit rei temporali ex connexionione eius cum tempore. De Vbi ait ibidem. Est prædicamentum accidentis, quia fundatur super accidentalem continentiam, qua locus ambit locatum, quod accidit ei ex quadam connexionione cum loco, vel potius est ipsa connexionio. De Situ. Situs est prædicamentum propter ordinem accidentalem partium locati ad partes loci, sicut enim contineri à loco simpliciter facit prædicamentum ubi sic contineri ab ipso secundum ordinem diuersum partium locati ad partes loci, facit prædicamentum situs. Denique de Habitu in prædicamento Habitus. Sunt vestitum esse, aut calceatum, aut huiusmodi, & sunt vestitus, & calceatus, quasi contenti à vestimento, aut calceamento, & est respectus eorum ad inuicem, tanquam eius, quod est contentum ad continens, & fundatur similiter prædicamentum hoc, sicut, & præcedens super continentiam, sed passiuam contenti à continente. Hæc omnia possunt benè naturam horum manifestam reddere. Quia tamen posset quis quærere de proprietatibus singulorum, has etiam breuiter subiiciam. Actio tres habet proprietates. Prima recipit contraria, calefactio enim est contraria frige factioni.

se-

secunda recipit magis, & minus, & tertia infert passionem, quatenus posita actione, semper ponitur passio. Proprietates quoque Passionis sunt eadem, scilicet habere contrarium, suscipere magis, & minus, & infere actionem; Quando habet suas proprietates scilicet non habere contraria, & non intendi, aut remitti, quia fundatur in tempore, in quo nec est contrarietas, nec intensio, vel remissio. Has etiam proprietates habent Vbi, Situs, & Habitus, ut patet inspicienti.

Conclusio. Sex ultima prædicamenta optime possunt habere suam quidditatem assignatam.

Explicatur. Accidentia Actionis, Passionis, Quando, Vbi, Situs, & Habitus bene ponuntur esse genera prædicamentalia, & habere suas peculiare rationes, quibus ab inuicem distinguuntur.

Est Henrici loco citato art. 32. q. 5. per extensum, & præterea quodl. 15. q. 5. Quod declarandum est ex fundamento respectu prædicamentorum Actionis, & Passionis per motum, & per hoc idem intelligendum est in alijs quatuor, quæ sunt Quando, quod fundatur in re temporali ex motu, & adiacentia temporis, quod est mensura motus, & eius, cui tempus adiacet, quod est omne existens in tempore, & Vbi, quod fundatur in re locali ex adiacentia loci simpliciter per hoc, quod locatum simpliciter habet esse in loco. Et de Situ, qui fundatur in re locali per hoc, quod partes eius diuersimodè se habent ad locum, & de Habitu, qui fundatur in habente aliquid circumstanti ipsi corpore ex applicatione eius, quod habetur ad habentem, &c.

Probatur. Ex facta explanatione singulorum sufficienter, ubi allata est ipsorum quidditas, & natura, quatenus sunt accidentia respectiua fundata in aliquo absoluto secundum

peculiarem modum respectus alicuius.

Ad primam objectionem quod. *Actio non est respectiva, quia non fundatur in agente, sed in passio, in quo subiecitatur.* Dicendum alio modo considerari actionem secundum, quod accidens reale est, & alio secundum, quod est prædicamentum respectivum. Actio ut accidens est præcisè, est in passio, quia est eadem entitas ipsius, & passionis, ut bene ex Henrico in argumento allatum est, & nos probabimus vberius suo loco. Actio autem, quatenus respectus est non dicit esse *in*, sed esse *ab*, ut dicitur fundari in potentia actiua agentis, non quatenus agens subiecitet suam actionem, sed quatenus actio est ab ipso. Ita Henricus art. 35. q. 4. ad primum. *Semper potentia actiua actionis principium est; dico ratione, qua actio est. Actio enim sub ratione, qua actio est, semper requirit aliquod principium eius, & paulo post. Omnis enim actio, ut actio est, est aliquid elicitiuum ab aliquo, ut à principio.* Et in hoc differt actio à reliquis reatiuis, quod reliqua omnia fundantur in eo, in quo sunt subiectiue, sed actio fundatur non in eo, in quo est, sed in eo, à quo est, cum ab agente exeat in passum. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. *Passio non est respectiva, quia est terminus actionis.* Dicendum nullo modo posse dici passionem esse terminum actionis, cum actio debeat terminari ad absolutum, scilicet ad qualitatem, siue quantitatem, siue substantiam, quæ producitur tali actione, quia, quemadmodum agere est suppositorum, ita & pati debet suppositis tribui, licet tribuatur deindè secundum talem rationem formalem qualitatis, siue quantitatis; Terminus itaque actionis melius dicitur ipsum passum, quam passio, quoniam inquit Henricus art. 59. q. 2. *Actio, & passio non sunt nisi fluxus, quia est motus, aut transmutatio ab agente in passum, non autem debent esse motus ab actione in passionem.* Si vero dicatur passio per actionem inferri, hoc solum intelligitur de illatione per mutuam resultantiam, quia

semper posita adione ponitur passio, & è contra, ut bene dicit Henricus citatus in argumento. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad tertiam quod. *Quando, ponitur in prædicamento Quantitatis, quia habet tempus in sua definitione.* Dicendum aliud esse tempus, & aliud esse in tempore. Tempus ipsum est quantitas, sed esse in tempore, quod est ab ipso mensurari, hoc est esse prædicamentum Quando, quod dicitur consurgere ex ipsa temporis adiacentiâ. Et ex hoc habetur, quod tempus ponitur in definitione Quando. Solum materialiter, & in obliquo. se ipsum benè explicat Henricus loco citato art. 32. q. 5. *Quando, accidit rei temporali ex connexionione eius cum tempore: Vnde materiali definitione per illud definitur, &c.* Effet difficultas si poneretur tempus in eius definitione secundum casum rectum, si diceretur, Quando, est tempus, quod in proposito non haberetur. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad quartam quod. *Vbi, habet easdem differentias, quas habet locus, & consequenter ab illo non discrepat.* Dicendum. Vbi differre à loco, secundum quod locus dicit hoc corpus continens secundum superficiem ultimam, Vbi vero dicit esse in loco, qui est respectus quidam, resultans in locato ad suum locum secundum continentem, unde loco citato inquit Henricus Vbi. *Quantum est de se, non dicit nisi respectum quendam, & collationem locati ad locum, à quo accidentalitatem recipit per hoc, quod ab ipso ambitur.* Quemadmodum verò entitas Vbi est ipsa entitas loci sub respectu resultante in eo, quod loco circumscribitur: ita etiam participat eius differentias, non quod formaliter cum eo sit idem, sed quia fundatur in illo. Differentias easdem possunt habere duo, quando sunt inuicem in entitate communicantia, licet formalitatibus differant. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad quintam quod. *Situs ex Henrico videtur pertinere ad quantitatem.* Dicendum non dixisse Henricum, quod situs

per-

pertinet ad prædicamentum quantitatis, sed quod ordo partium, quem supponit Situs, ut clarè patet ex ipso contextu, *Eius enim (ut dicitur ibidem) est prædicamentum propter ordinem accidentalem partium locati ad partes loci, sicut enim contineri à loco simpliciter facit prædicamentum Vbi, sic contingi ab ipso secundum ordinem diuersum partium locati ad partes loci facit prædicamentum Situs.* Ad formam itaque argumenti explicatur Henricus.


Ad sextam quod. *Habitus non dicit ordinem, siue respectum contentis ad contentum, quia sic esset Vbi.* Dicendum, quod inter continens, & contentum dupliciter potest intelligi respectus. Si enim intelligatur contenti ad continens est prædicamentum Vbi; in quo sensu loquitur Henricus adductus, si vero intelligatur continens ad contentum, & sic est Ha-

bitus. Audiamus Henricum ibidem. *Est enim respec-*

tus comparationis inter continens, & contentum. Si igitur fuerit continens ad contentum est prædicamentum Habitus, si è contrario, erit de Vbi, &c.

Ad formam itaque argumenti minor distingui.

tur.



ARTICVLVS XIII.

Circa decimum tertium Articulum de Post
prædicamentis quærebantur duo, scilicet
Modi oppositionis, & Assignatio aliorum
modorum. Erat autem

QVÆSTIO I.

Virum modi oppositionis sint bene assignati.



PRIMO parte negatiua Arguitur primo. Contra pri-
mū. Oppositio relatiua nulla est: ergo pauciores
erunt modi, quā quatuor. Cōsequētia patet. An-
tecedēs probatur: Nam illa, quorum vno posito
ponitur, & aliud; non opponuntur, cum se inuicē
nō destruāt, sed relatiua ita se habēt, quod vno
posito necessariō alterum sit ponendum; dicitur enim simul
natura ex hoc, quia simul ponuntur; vt habetur ex Henrico
art. 59. q. 3. probatur inter Patrem; & filium esse simulta-
tem. *Inter se autem paternitas, & filiatio nullum ordinem ha-
bent, neque natura, neque rationis, sed tantummodo simulta-
tem ex eo, quod simul habent esse generans, & genitus; &c.*

Secundo contra oppositionem. Illa dicuntur contrariē op-
poni, quæ sunt actiua, sed aliqua reperiuntur, quæ solent dici
contraria, & tamen actiua non sunt: ergo malè ponitur oppo-
sitiō contraria. Maior est euident; contraria enim sunt, quæ
inuicem pugnant, vnde Henricus quodl. 5. quæst. 18. dicebat.
*Agentia, & patientia oportet esse simul, & vnū alteri succo-
dere*

dere in eodem subiecto, & quod ex eo ipsum corrumpit, quod ipsum secum non compatitur. Illud autem non contingit nisi per aliquam naturalem contrarietatem. Minor vero probatur ex eodem, recognoscendo actiuitatem omnem in solis primis qualitatibus calido, & frigido, ut habetur ibidem: *Non est contrarietas proprie nisi in naturaliter actiuis mutuo communicantibus, ut sunt calidum, & frigidum*. Albedo autem, & nigredo non sunt qualitates primæ, & consequenter non sunt actiuæ, & tamen dicuntur oppositæ. vel ergo ponenda est alia oppositionis species, vel species oppositionis contrariæ non debet dici ratione actiuitatis.

Tertio contra priuatiuam oppositionem. Si visus opponeretur cæcitati, vel opponeretur illi, ut est, vel ut non est: Neutrū potest dici: ergo non est inter illa, priuatiua oppositio. Minor probatur à sufficienti diuisione. Minor vero probatur. Non enim potest dici visus opponi cæcitati, quæ non est quia, quod non est, nulli opponitur, comparatio enim debet esse inter ea, quæ sunt; ut ait Henricus art. 41. q. 2. *Comparatio proprie dicta non est nisi in verè uniuocis*, & constat opposita ea vocari, quæ ad inuicem comparantur. Neque potest opponi cæcitati, quæ est, quia necessariò est in diuerso subiecto, neque debet dici visus Platoni contrariari cæcitati Sortis, cum oppositio omnis, & contrarietas sit attendenda penès apta ad estendum circa idem subiectum, ex Henrico quodl. 8. quæst. 37. *Et Philosophus dicit in predicamentis, quod contraria nata sunt fieri circa idem, &c.*

Quarto contra contradictoriam, Quæ sunt contradictoria legem habent, quod si vnum est verum, alterum sit falsum; sed dantur aliqua, quæ dicuntur contradictoria, & sunt vtraque falsa: ergo vel contradictoria non dantur, vel talis regula non est bona. Minor probatur de Chimæra, dicere enim Chimæra, & non Chimæra, est dicere, verumque falsum. Maior verò est indubitata, & illam docuit Henricus art. 30. quæst. 3.

Contradictoria simul intelliguntur, & cogitantur, scilicet Deum esse, & Deum non esse, sed unum cum assensu, alterum vero sine assensu, &c.

Quinto contra numerum assignatum. Nam aliqua sunt opposita, quæ ad nullam oppositionis speciem ex assignatis habent reduci: ergo plures sunt assignandi modi, quam quatuor. Antecedens probatur de medio, quod est oppositum suis extremis, & tamen non videtur quam speciem oppositionis habeat; si bene fiat inductio per omnes. Accipio viride, quod dicitur oppositum albo, & tamen, cum album includat, neque relative, neque priuatiue, neque contradictorie, neque contrarie dicitur esse illi oppositum, cum opposita talia non se includant, sicuti album in viridi includi cernitur, ad quem, sentum fortasse dicebat Henricus inter totum, & partem non esse relationem realem art. 63. q. 2. *Dicuntur relativa secundum dici quæcumque sic se habent ad inuicem, quod unum est aliquid alterius, &c.* Ex quo deducitur viride videri realiter oppositum albo, quia includit realem nigredinem, quam habet contrariam albedo, & tamen non habere modum aliquem oppositionis ex quatuor assignatis.

Notatur primo. Oppositionem accipi posse dupliciter. primo quatenus est complexa, siue est inter propositiones, & de hac est sermo in libro Perihermias; non autem in præsentibus; secundo, quatenus est incomplexa, siue simplex importata per terminos rerum oppositarum significatiuos, & sic sumitur in præsentibus. Quia vero in terminis est duplex significatû, scilicet materiale, & formale, cum secundum Henricum art. 53. q. 5. *Dicitur terminus supponere pro illo, pro quo locutionem natus est significare, & pro quo alteri comparatur in enunciatione.* Hinc fit ut ad percipienda opposita significata per terminos, non satis sit ipsius termini, significationem materiale attendere, sed multo magis attendi debeat modus ipsius, siue formale, ad quod significandum imponitur. Vnde licet cæcitas

pro

pro suo materiali solum importet significationem rei carentis visu, habet tamen de suo formali significare carentiam visus in subiecto apto nato, in quo differt à negatione secundum Henricum art. 54. q. 8. ad tertium. *Negatio enim dicit amotionem alicuius ab alio absolute: Privatio notat possibilitatem essendi eius, quod privatur in subiecto, à quo privatur.* Quod verò dico de formalitate significationis attendenda in terminis significantibus opposita privativè, hoc idem intelligo de reliquis terminis, per quos reliquarum specierum opposita debent explicari; Ut bene percipiatur etiam ratio oppositionis incomplexæ, debet præcipuè attendi modus formalis significationis terminorum.

Notatur secundo. Circa singulos modos oppositionis debere percipi ipsorum naturas. Relativa oppositio dicitur esse repugnantia fundamētī, & sui termini, qui in eodē, respectu eiusdem non se compatiuntur, quia idem, respectu eiusdem non potest esse pater, & filius, sed necessariò debet relatio realis habere terminos distinctos, ut sit inter fundamentum relationis realis, & terminum ipsius semper distinctio realis; cum relata huiusmodi debeant realiter differre ab invicem, ut ait Henricus art. 67. q. 1. *Quod refertur, & id, ad quod refertur necessariò sunt aliud, & aliud.* Contraria oppositio est inter ea, quæ sunt sub eodem genere positivo apta nata se non compati in eodem subiecto, & ideo dicuntur contraria esse apta, nata fieri circa idem, nisi tamen alterum à natura insit, ut igni calidum, quod in hoc capite innuit Philosophus, & sæpius repetit Henricus, ut videre est quodl. 8. q. 37. art. 30. q. 1. art. 46. q. 3. ad primum, ut alibi diximus, & dicemus in sequentibus. Sunt verò aliqua contraria mediata, & aliqua immediata, quod docet Henricus quodl. 5. q. 18. *Contrarietatem autem aliquid potest habere ad aliud, ut per hoc, quod sit principium corruptivum eius dupliciter, vel per se, & immediate, vel per accidens, & mediatè.* Immediate contrariatur calor frigiditati.

ti, mediate verò calor albedini, & his similia. Oppositio priuatiua est repugnantiã formæ positiuæ, quæ dicitur habitus, cum priuatione sibi opposita, vt scientiæ formæ positiuæ opponi dicitur ignorantia, quæ est carentia ipsius in subiecto apto, & vocatur ab Henrico Hescientia pura loco cit. quodl. 5. q. 18. *Obluio dicit motum ad ignorantiam, non quæ est habitus, sicut est illa, quæ fit corruptione scientiæ per deceptionem, sed quæ est sola nescientia, &c.* Oppositio denique contradictoria est repugnantiã duorum terminorum, quorum significata non possunt simul esse. Talis verò repugnantiã importatur per eundem terminum acceptum affirmatiuè, & negatiuè. Vt Homo non Homo, & de his potest intelligi, quod de calido, & frigido excellenti dicebat Henricus quodl. 12. q. 11. *Quando sunt in excellentia, reducuntur ad contradictoria, & habent in se vim contradictoriorum, calidum enim in summo, & frigidum in summo opponuntur, sicut calidum, & non calidum, &c.* Et hac ratione dicuntur omnino contradictoria hæc. Homo, & non Homo, & hæc contradictoria nullum omnino medium recipiunt, quemadmodum possunt illud habere alia opposita, nam calidum, & frigidum habent tepidum; album, & nigrum habent colores medios, viridem, & rubrum, relatiua verò habent medium saltim per abnegationem: vt lapis, neque dicitur pater, nec non pater, & sic etiam opposita priuariuè, vt de lapide dici potest, nec videns, nec cæcus. sed in contradictoriè oppositis nullum omnino medium admittitur cum de ipsis benè possit dici, quod ait ex Philosopho Henricus art. 36. q. 7. *Philosophus in principio posteriorum dicit. Omne quidem affirmare, vel negare verum est, Non similiter autem unum quodque horum nobis manifestum est, &c.* Inter affirmationem, & negationem nullum est medium. His ita explicatis sic.

Con-

Conclusio, *Modi oppositionis bene assignantur.*

Explicatur. Oppositio dicitur iure optimo habere modos quatuor; ita ut alia sint relativa, alia contraria, alia priuativa, & alia contradictoria, & hoc loquendo de oppositis incomplexis tantum.

Est Henrici modos hos sæpius approbantis, & præcipuè locis immediate antè citatis; Nam de oppositione relativa verba facit art. 54. q. 6. vbi loquendo de Patre ait. *Relatiua oppositione se habet ad ipsum. Scilicet filium.* De contraria quodl. 5. q. 18. & quodl. 12. q. 11. *Contraria nota sunt fieri circa idem naturaliter, &c.* De Priuatiua art. 63. q. 1. *Multitudo opponitur priuatiuè vni, quod conuersitur cum ente, &c.* Et tandem de contradictoria quodl. 6. q. 3. *Impossibile est, quod ipsa (id est contradictoria) in se recipiant simultatem, &c.*

Probatur. Nam illa est optima, & adæquata modorum assignatio, per quos habetur sufficiens cuiuscumque oppositionis natura; sed per hos quatuor, hæc habetur: ergo sunt optimè assignati. Minor patet ex præmissa explanatione.

Ad primam obiectionem quod. *Opposita relatiua non sunt vera opposita, quia relatiua se inuicem inferunt.* Dicendum. Relationem huiusmodi non tollere oppositionem, quæ fundatur in respectu inter duo realiter distincta, quæ non possunt in eodem omninò esse, non ratione contrariæ qualitatis actiuæ, sed ratione ipsius relatiuorum naturæ, quæ exigit realiter distincta extrema, quæ distinctio est maximè necessaria, vt inter ipsa sit realis relatio. Quemadmodum itaque nihil potest dici generare se ipsum, ita neque potest respectu sui ipsius habere realem relationem, & consequenter non potest esse respectu sui pater, aut filius, sed debet esse necessario aliud extremum, quod habeat rationem producti, & referatur, vt filius ad suum patrem relatione fundata in sua potentia passiuæ producibili-

tatis, & sic proportionabiliter potest dici de quacumque relatione, Nihil enim sibi ipsi simile, vel æquale est, sed requiritur terminus, & per fundamentum similitudinis, & equalitatis realis, ut bene notat Henricus art. 64, q. 1. ad secundum. *Nihil autem potest referri ad seipsum per equalitatem, aut similitudinem secundum quantitatem, aut qualitatem, sed solummodo ad aliud.* Quasi sint duo extrema oppositionis relativiæ hoc, quod fundat relationem similitudinis, & hoc aliud, ad quod est talis similitudo. Quod vero de relativiæ simultate dicitur, hoc non pugnat nisi cum oppositione contradictoria, quæ simul esse non potest, sed de alijs oppositionibus non est necesse ponere, quod earum extrema non sint simul, cum præcipue de oppositis contrarijs aperte dixerit Henricus quodl. 5. q. 18. *Corrumperis naturaliter, & id quod debet corrumpi, oportet esse simul.* Quod multo congruentius dici potest de ipsis relativijs, quorum natura est simul esse secundum naturam. Ad formam itaque argumenti negatur antecedens.

Ad secundam quod. *Aliquæ qualitates sunt oppositæ, cum non sint actiua, inter quas non videtur esse contrarietas.* Dicendum contrarietatem propriam convenire primis qualitibus, quæ sunt actiua, & inter se pugnant directe, sed ratione istorum pugnant deinde aliæ qualitates. Quia talis pugna proprie spectat ad primas qualitates, ut ait Henricus citato quodl. 5. q. 18. *Frigidum naturale in aqua surgens in actum, quasi ex habitu repellit calorem ipsius,* sed est alia contrarietas latius sumpta, quæ est inter formas non permittentes se in eodem subiecto simul, & semel, siue tales formæ sint actiua, siue non, & sic dicuntur contrariari formæ, non solum accidentales, sed etiam substantiales, & contrariantur sursum, & deorsum in loco, & alia huiusmodi, & eadem ratione albedo, & nigredo, licet non sint actiua sicut primæ qualitates, habent tamen, quod pugnent, vel ratione primarum qualitatum quantum ad efficientiam, vel ratione solius formalis repugnantia ex se ipsis,

ipsis, ut obiter docebat Henricus ibidem diuersitatem æquum
facere, ut habitus corrumpatur. *Quia non possunt esse contra-*
ria inclinationes in eodem, Ideo actus generans unum habitum
inclinantem ad unum, necessario corrumpit alium declinantem
ab illo, non propter aliquam contrarietatem actionis ad habi-
tum, quem corrumpit, sed quia effectus eius illum non compa-
titur, &c. Quod optimè potest omnibus qualitatibus, & om-
nibus contrarijs applicari. Ad formam itaque argumenti ne-
gatur maior.

Ad tertiam quod. *Habitus non potest opponi priuationi siue*
quia, vel est, vel non est talis priuatio. Dicendum, quod habi-
tus opponitur priuationi, quæ non est, dum est ipse habitus,
sed tamen est in potentia subiecti, ut sit, unde absolute non
potest dici non esse talis priuatio, quia connotat in subiecto
potentiam, & sic in Physicis dicitur priuationi contraria for-
ma, non cui libet, sed quæ præfuit ante ipsius aduentum in
materia, ut ex Auicenna docuit Henricus art. 59, q. 2. *Generosi*
esse, non est poss. non esse absolute, sed secundum priuationem eius
in materia. Quod vero dicitur, non posse esse comparisonem
nisi in ijs, quæ sunt uniuoca, iam patet de qua uniuocatione
sit sermo, nam ibi loquitur Henricus de uniuocatione propria,
& interpositiua, secus vero dicendum apparet de priuatiua,
ex ipsa enim loquendi ratione, quando dicitur habitus oppo-
ni priuatiuæ siue priuationi, patet, non fieri comparisonem, ni-
si secundum genus priuationis. Ad formam itaque argumenti
negatur minor.

Ad quartam quod. *Chimera, & non chimera, sunt contra-*
dictoria, & utrumque est falsum. Dicendum in argumento
fieri æquiuocationem de contradictorijs incomplexis ad com-
plexa. Cum dicitur contradictoria habere legem, ut si unum
verum sit, alterum sit falsum, debet intelligi regula, illa de
contradictorijs enunciabilibus, non autem de solis terminis
spectantibus ad primam intellectus operationem, in qua nec

Veritas, nec falsitas esse potest, nisi fortasse latius extendatur terminorum acceptio ad ea, scilicet quibus sunt applicabiles, & sic, si dicatur Chimera est ens, Chimera non est ens, tunc ratione indeterminabilitatis, quam à prædicato accipit subiectum, dicuntur contradictoria, etsi alterum est verum, alterum est falsum, nec potest dici, quod vtrumque falsum sit, quantum est in modo enunciandi, licet extremum ipsum sit omnino, quid fictum. In enunciationibus autem debet attendi subiectum secundum formam, quam à prædicato recipit, ut vult Henricus art. 74. q. 7. *In propositione, seu enunciatione accepta secundum se, prædicatum determinat subiectum ad supponendum pro forma, vel pro supposito, &c.* Sed quantum spectat ad ipsos terminos simplices, non attenditur falsitas, vel veritas, licet contradictorij dici possint, & sint quatenus vnus est negatio alterius absoluta, & consequenter dicat omnimodam cum illo impossibilitatem. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad vltimam quod, *Medium est oppositum extremis, nec videtur qua specie oppositionis.* Dicendum vel extrema sumi ut componentia ipsum medium, & sic non magis distinguitur viride ab albo, & nigro, quam distinguatur ab anima, & corpore homo, qui si consideretur in ordine ad alteram ipsarum partium, ut animam, quia includit alteram partem, quæ est corpus, dicitur differre realiter ab anima, licet sit cum illa vnus, & idem sumpta anima simul cum corpore, & non sit inter totum, & partes, nisi relatio secundum dici. Ut bene notat Henricus art. 65. q. 1. *Partes contenta sub vna forma totius, in quantum huiusmodi sunt vnus inter se in se, & vnus toti, quæ plures sunt secundum propriam formam inter se, & quoad hoc plura sunt, & diuersa partes ipsa simpliciter inter se, & similiter qualibet parsium, & totum ratione alterius partis, &c.* Cum itaque albedo, & nigredo sint velati partes componentes viride, si considerentur simul, nullam

habent oppositionem cum viride, quod est veluti totum ex
 ipsis constitutum. At si consideretur viride comparatum al-
 bedini, ratione nigredinis, quam includit, dicitur opponi illi
 contrariè. In quo sensu dicitur Damasceni, quod Angeli sine
 corpori interpretatur Henricus quodl. 4. q. 16. *Et quoad bñ-*
10: Damascenus lib. 1. cap. 3. Angelum respectu Dei non solum
materialem, sed corporeum dicit esse, &c. Cum tamen simpli-
 citer sit immaterialis: ex comparatione tamen ad extremum,
 quod est actus simplicissimus, ita vocari potuit, quemadmo-
 dum comparatus Angelus ad hominem, dicitur illum in im-
 materialitate excedere, cum homo sit infimum intelligen-
 tium, ut ait Henricus art. 36. q. 7. *Nam homo infimum est*
intelligentium. Deus vero supremum, & Angelus medium.
 Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

ARTICVLVS XIII.

QVAESTIO II.

*An modi Prioris, Simul, Motus, & Habere sint
 benè assignati.*

PRO parte negatiua Arguitur primo contra nu-
 merum horum quatuor Postpredicamento-
 rum; nam posito priori, debet poni posterior, sed
 hic non ponitur posterius: ergo male assignan-
 tur hæc alia post predicamenta. Minor patet
 ex eo, quia, de posteriori, ut patet nulla fit men-
 tio, quod si ponitur inter post predicamenta de eo fieret men-
 tio expressa, quemadmodum fit de priori suo correlatiuo. Ma-
 ior vero constat ex se, & educi potest ex Henrico quodl. 3.
 q. 1. ubi ad aliud propositum loquens de perfectione partium

Luc.

successiuarum, probat non esse prius sine posteriori, sed inuicem se habere. *Quæ consistit in distinctione secundum prius, & posterius, &c.* Secundo contra *Prioritatem temporis*; quæ est magis sensibilis. Prioritas secundum tempus, siue secundum durationem, arguit aliquid prius habere esse, quam aliud, ut ex ipsis terminis patet. Sed Deus licet habeat prius esse, quam Angeli, non tamen dicitur prior illis duratione, vel tempore: ergo talis prioritas male ponitur. Minor, in qua est difficultas est Henrici quodlibet. 1. q. 2. 3. *Positum impossibile est dicere Deum esse prius Angelis, &c.*

Textio arguitur contra *Simul*. Nam quot modi assignantur prioritatis, tot debent assignari etiam simultatis, sed *Simul* ponitur habere solum tres modos: ergo male ponitur. Minor patet ex textu. Maior verò probatur, quia *Simul* respondet tanquam aliquod relatiuum ipsi prioritati, saltem secundum priuationem, quæ enim priora non sunt, neque posteriora, necessario habent esse simul, & de speciebus videtur dici posse, quod de principijs ait Henricus art. 2. 5. q. 2. *Priuationo potest habere causam suam esse in subiecto, sed non oportet, quod aliam ab illa, quæ est causa, vel nata est esse causa habitus sibi oppositi, &c.* Quemadmodum: ergo potest simultas habere eandem causam cum prioritate, ita, & debet habere eandem essendi modum.

Quarto contra *species motus*. *Generatio enim, & corruptio non sunt motus*; ergo male numerantur inter species motus. Consequentia patet, nam differentia constituitur speciebus debent desumi ex conuenientibus in ipso motu generis. Non efficit enim homo species animalis nisi esset per rationem, quæ quasi contra sum animal. Antecedens verò probatur. *Corruptio* necessario est successiuus, ut patet ex eius definitione. *Generatio* autem, & corruptio sunt in instanti. Henricus quodlibet. 1. q. 15. dixit ad substantiam non esse motum, sed in a p

tione.

sione. *Non erit motus in ipsum, sed mutatio tantum.* Generatio autem, & corruptio est quantum ad substantiam, &c.

Quinto contra Habere. Quod enim directè est species alicuius prædicamenti, frustra ponitur iterum in post prædicamenti; sed habitus iam est positus propria qualitatis species secundum Henricum etiam quodl. 5. q. 16. *Habitus est qualitas, qua quis, habilis est, ut consimiles actiones eliciat: ergo frustra iterum de eo hic fit mentio.*

Notatur primo. Prioritatem temporis esse; quando aliquid est alio vetustius; quemadmodum solent suis filiis priores dici qui eos genuerunt; cum generatio debeat fieri à præexistenti aliquo. Dicitur vero natura prius illud, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, scilicet quando ab existentia unius potest argui existentia alterius, & non è conuerso, de qua bene loquitur Henricus art. 52. q. 3. *Quamuis aliqua sint similia, & eoque eua duratione secundum quod sunt aliquid in rerum natura, & secundum quos respectum habent ad inuicem secundum rationem principij, & principiat; nihilominus tamen unum illorum secundum id, quod est in essentia sua dependet ab alio, & non è conuerso, &c.*

Prius ordine dicitur, quod præcedit aliud doctrinâ, sive cognitione, & sic principia scientiæ sunt priora secundum ordinem ipsa scientia. Sicut habet Henricus art. 36. q. 7. *Intelligunt tamen media in principijs suis intellectus, & in utrisque prius intellectus conclusiones, &c.* Dignitate autem prius dicitur, quod est perfectius alio, & sic dicitur species prior genere, quia illo est perfectior, vnde Henricus art. 26. q. 2. vocauit Genus partem speciei. *Genus etiam est aliquo modo pars speciei, &c.* Prius denique causalitate coincidit cum priore secundum naturam, & ponitur, quatenus oratio est vera, vel falsa secundum, quod res per ipsam significata dicitur esse huiusmodi, & sic dicitur prioritas causalitatis conuenire rei, quia ratione ipsius conuenit etiam orationi, & sic etiam omne ab-

solu-

solum dici potest esse prius relativo, quatenus hoc in illo fundatur, & ab illo realitatem trahit, ita Henricus art. 57. q. 3. *Semper prior est ratio absoluta, quam comparati, ut si homo humanitate est risibilis, & similis; prior secundum rationem habet esse in eo ratio risibilis, quam similis; Simul autem importat prioritatis, & posterioritatis negationem, quatenus ea quæ simul esse dicuntur, non habent inter se rationem prioris, aut posterioris, cum vnum alterum non præcedat, & licet pluribus modis aliqua simul esse possint, attamen Aristoteles tres tantum modos tanquam principales enumerat secundum tempus primum, secundum conuertentiam secundum, & tertium, secundum diuisionem, quatenus simul sunt differentiæ genus aliquod diuidentes: quæ patent ex ijs, quæ de priori dicta sunt.*

Notatur secundo, Circa species motus assignatas, illas sumi indifferentes, quatenus motus se extendit ad instantaneum, & successiuum; latius enim sumptus motus, etiam ipsam mutationem importat, in quo sensu sæpius loquitur Henricus, & præcipue cum ex Commentatore dicit quodl. 4. q. 15. *Motus nihil aliud est, quam generatio partis post aliam, &c.* Vbi licet sumat motum secundum successionem aliquam; abstractum tamen à rigoro ipsius acceptione, quæ est secundum continuitatem, & videtur nomine generationis latius. Hic itaque motus sumitur pro quacumque subiecti variatione, secundum quam subiectum aliter se habet, siue fiat variatio in instanti, siue successiue, de eo autem rigoro sumpto agit Physicus, inter species motus ponuntur generatio, & corruptio, quæ sunt mutationes instantaneæ, si considerentur non pro dispositionibus præuis, sed pro ipsius formæ introductione. Generatio est progressio de non esse substantiali, & ad esse substantiale, & corruptio ab esse substantiali ad non esse substantiale, & semper isti duo motus se consequuntur, ut ait Henricus quodl. 10. q. 5. *Quod enim facit maiorem priori formæ in compositibilem, facit*

facis etiam necessitatem suscipiendi formam posteriorem, & sic semper unius forme generatio est alterius corruptio. Quatenus scilicet per corruptionem deperditur illud esse formæ, quod erat prius in materia. Augmentatio autem est quædam additio ad qualitatem præexistentem facta. Sicut etiam è contra diminutio, est ablatio illius. De Augmentatione dicebat Henricus quodl. 4. q. 36. *Augmentum enim est secundum magnitudinem, & idem de opposito eius, scilicet diminutione dici potest.* Alteratio vero, quæ est quinta motus species, est mutatio subiecti à qualitate contraria ad qualitatem contrariam, vel mediam, ut si albus paries fiat niger, vel rubeus per denigrationem, siue inductionem rubei coloris, Denigratio illa, siue inductione rubei coloris dicitur alteratio, de cuius alterationis subiecto loquens Henricus ait quodl. 5. q. 16. *Cum primo mouetur ab uno extremo, non statim mouetur in alterum extremum; sed in medium, ut ex albo in fuscum non in nigrum.* Motus denique localis est acquisitio noui loci, siue noui Vbi. De qua dicit Henricus quodl. 4. q. 17. *Motus localis non debetur nisi existenti in loco.* Quia ut subiungit paulo post. *Non mouetur de loco ad locum aliquid, nisi secundum, quod habet esse in loco.*

Quoad vltimum Post prædicamentum, quod est habere, illius dicuntur esse octo modi quorum primus est, habere aliquid per modum qualitatis, ut dicitur quis habere virtutem, & hoc est aliud habere, quam esse dispositum secundum primam qualitatis speciem, aut esse vestitum, quod est vltimum prædicamentum secundum quod accipitur ordo, siue respectus ipsius vestis continentis ad contentum. Secundus est habere aliquid secundum quantitatem, ut si dicatur, hoc esse triplum. Tertius, habere aliquid adiacens toti corpori, ut iridumentum. Quartus, habere adiacens parti, ut galerum. Quintus, habere aliquid per modum partis, ut dicitur homo esse capiratus. Sextus ad modum vasis, ut dicitur amphora vinum

habere. Septimus est habere possessionem, ut si dicatur quis habere domum, vel agrum. Ultimus, ut habere uxorem, qui tamen modus dicitur minus proprius, vel quia, ut ait Aristoteles non deferuit cognitioni alicuius prædicamenti, vel quia habere uxorem est potius haberi, quam habere; Habere autem propriissimum intelligo habere possidendo, de quo habere loquitur ad aliud propositum Henricus art. 62. q. 10. ad primum. *Qui habet alicuius rei possessionem, sed non proprietatem, &c.*

Conclusio. *Modi aliorum quatuor Postprædicamentorum sunt optime assignati.*

Explicatur. Aristoteles optime assignavit modos quatuor prioritatis, tres simulatis, sex motus, & octo ipsius habere.

Est Henrici quoad prioritatem art. 7. q. 7. *Dicendum ad hoc, quod multi sunt modi prioris, & posterioris secundum Philosophum in libro Prædicamentorum, & quinto Metaph. inter quos quatuor ad præsens sufficiunt, quorum primus est tempore, & antiquitate, &c.* Quoad motum, elici potest eius mens ex quodl. 10. q. 5. quodl. 4. q. 30. quodl. 5. q. 16, & quodl. 4. q. 17. citatis in secundo notabili præcedente. Quoad habere autem passim ex ipsius modo loquendi colligitur nihil enim frequentius invenitur quam habere hoc, vel illud tali, vel tali modo, ut habere possessionem dicitur art. 62. q. 10.

Probatur. Conclusio sufficienter ex declaratione habituum singulorum.

Ad primam obiectionem quod. *Si ponitur postprædicamentum Prioris debuit etiam poni posterioris.* Dicendum hoc implicite factum, ex eo enim, quod se murno appellant prius, & posterius, ubi agitur de vno, & de altero agere certum est, eum eadem sint proprietates utriusque, & invicem se respiciant.

Non.

Non erat cur multiplicaretur, sine necessitate pertractatio. Et hoc esse ita probat Henricus ex loco citato art. 7. q. 7. Vbi ponit modos prioris esse modos prioris, & posterioris. *Multi sunt modi Prioris, & posterioris secundum Philosophum in libro Prædicamentorum.* Ad formam itaque argumenti negatur maior.

Ad secundam quod. *Deus non potest dici prior tempore, uquam Angelus.* Dicendum. Prioritatem debere attendi secundum bonam, & rectam comparisonem, quam semper faciendam esse inter vniuoca clamat Henricus vt art. 41. q. 2. & art. 69. q. 3. ad primum, & alibi, Effet enim maximæ dementiæ querere, an vox sit albius pariete, cum æquiuocè vox de utroque dicatur, & sic seruata hac regulâ bene ponit Henricus citato quodl. 5. q. 13. Deum non dicit positiuè Angelo priorem, & antiquiorem, quia Angelus non conuenit cum Deo in mensura æternitatis illius. Dicitur tamen Deus antiquior negatiue, quatenus existit Angelo non existente, vnde subdit Henricus. *Solum negatiuè debes dici Deum esse Angelo non existente, & Angelum non fuisse Deo existente.* Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad tertiam quod. *Simul, debes dici tps modis, quot dicitur prius, cum sit illius præuatio.* Dicendum. Vtique hoc ita esse, & si benè consideretur simultas eodem modo dicitur esse, quo prioritas. Immodò pluribus modis, quam illa; sunt enim aliqua simul consortio, vt amici simul autoritate, vt Rectores alicuius Ciuitatis, & ad hoc spectat, quod ait Henricus art. 62. q. 1. de habitudine diuersa conformitatis. *Quicumque habent communionem in eadem mercatura, dicuntur socij: in voluntate concordia, dicuntur amici: in cobabitando eundem locum de propinquo, dicuntur vicini, &c.* Sed tamen Aristoteles trestantur modos numerauit, quibus potissimum, & magis in usu sumitur Simul, & sunt modi magis conducentes ad cognitionem prædicamentorum. Ad formam distinguitur maior.

Ad quartam quod. *Generatio, & corruptio non sunt motus.* Dicendum. Motus rigorosè sumptum secum successiōnem, & esse solum ad aliqua prædicamenta accidentium, At si sumatur latius pro variatione subiecti, qua scilicet subiectum aliter se habere potest nunc, quam prius, siue successiue hoc fiat, siue instantaneè, sic habet pro suis speciebus etiam mutationes. Hinc fit, vt non semper in suo rigore sumatur motus ab Henrico, sed simul ponatur cum mutatione, quod fuit, vt ab hac subtilitate, & rigorositate se liberaret; ita ar. 5. q. 1. ad secundum. *Generare, & generari, & vniuersaliter agere, & pati siue actio, & passio sunt motus, aut mutatio,* loquitur autem de ipsis; vt in Creaturis, Ad formam distinguitur antecedens.

Ad quintam quod. *Habitus est prima species qualitatis, & non debuit iterum hic poni.* Dicendum nomen Habitus varias pati acceptiones. Primo sumitur pro affectione ad operandum, & sic est prima species qualitatis. Secundo pro respectu, & habitudine vestis ad vestitum, & sic est decimum prædicamentum, vel sumitur secundum quod Habere significat possidere, & sic est post prædicamentum, & habet sub se plures modos, quibus aliquid habere dicitur aliud, vt satis est explicatum.

Ad formam itaque argumen-
ti distinguitur
maior.



ARTICVLVS XIV.

Circa decimum quartum Articulum Quærebantur quatuor scilicet . Veritatis , & Falsitatis operatio ; Vocum Significatio ; Nominis , & Verbi Definitio , & contingentium futurorum cognitio : Erat autem

QVAESTIO I.

Verum veritas , & falsitas sit in sola intellectus componentis , vel diuidentis operatione



PRO parte negatiua Arguitur primo. Obiectum intellectus est ens reale , sed verum est obiectum intellectus : ergo verum est ens reale : Minor patet , quia nihil præter verum , intellectus intelligit , immò per cognitam veritatem cogitur ad ipsi assentiendum ex Henrico quodl. 10. q. 11. *Veritas enim cognita cogit intellectum ad sibi assentiendum*. Quod vtiq; non potest intelligi , nisi quatenus verum est obiectum ipsius intellectus . Maior etiam constat , quia obiectum debet præcedere potentiam , cum ipsa moueatur ab illo , vnde dicebat Henricus art. 45. q. 2. *Secundum rationem formalem obiectorum determinantur , & distinguuntur ipsa potentia* . Quod vtiq; habere nequit , nisi per verum determinetur intellectus .

Secundo. Verum , & ens conuertuntur , sed hoc non consistit in opere intellectus : ergo neque illud . Minor patet , quemadmodum

admodum, & Major est manifesta. Quia tamen negari potest paritas, hæc probatur sic. De transcendentibus, & ijs, quæ invicem convertuntur, quemadmodum eadem est ratio convertibilitatis, ita & entitatis esse debet. Ex quo principio fortasse motus Henricus quodl. 1. q. 1. docuit non esse in divinis admittendam bonitatem personalem, sed solum essentialem dicens in responsione ad secundum. *Concipiendo igitur bonitatem personam, non concipimus aliam, quam bonitatem essentialis inclusa in persona.* Quia scilicet eodem modo censet philosophandum de essentia, & bonitate, quæ sunt ad invicem convertibiles.

Tertio. Si veritas consisteret in opere intellectus componentis, sequeretur, primo quod non daretur veritas respectu intellectus divini, qui non est componens, ut habet Henricus art. 36. q. 6. *Et sic absolute dicendum est, quod Dei intellectus non est compositivus, aut divisivus, sed solummodo est simplicium intelligentia, &c.* Sequeretur secundo, quod cælum v. g. non esset verum cælum, nisi intellectu hoc cogitante, & tamen si nullus esset intellectus, adhuc esset verum cælum, unde Henricus art. 2. q. 6. ex com. in 2. Metaph. *Quanto res qualibet magis fuerit perfecta in esse, tanto magis erit perfecta in veritate.* Sequeretur tertio, quod omnes homines æque certitudinaliter omnia scirent, quia omnes habeant intellectum componentem, & tamen oppositum docet Henricus art. 2. q. 4. *Ex parte dispositionis acquisita causa est, quia unus magis exercitatus est circa inspectionem veritatis rei scita, quam alter, &c.*

Notatur primo. Veritatem rei posse dupliciter attendi. primo fundamentaliter, quatenus res ipsa apta est sic cognoscenda quocumque intellectu cognoscatur, & hæc est veritas consequens rei entitatem, in quo sensu asserit Henricus art. 2. q. 4. *Vnumquodque sicut se habet ad esse sic se habet ad veritatem.* secundo formaliter, quatenus actu per intellectum componentem sic prædicatio, ut cum actu dicitur, homo est animal, &

de

de hac veritate intelligitur Henricus art. 2. q. 4. ad secundum. *Veritas ipsa est adæquatio intellectus, & rei intellectæ in qualibet intelligente, & de hac formali veritate, quæ est de complexis, est sermo in præsentibus.*

Notatur secundo. Compositivum intellectum dici eum, qui præcedenti simplicium intelligentia, & cognitione, quod quid est rei, intelligit, deinde quid sit illi conveniens, vel discrepans percipiendo vnum post aliud. Vnde egregie Henricus de intellectu componente ad percipiendam rei veritatem ait art. 36. q. 6. ad secundum. *Homo numquam sciet de pictura Herculis, quod sit vera eius imago; nisi videndo ex adverso Herculem, & ipsam imaginem, ipsos inesse conferendo, & sic conformitatem, & correspondentiam imaginis ad imaginatum, concipiendo.* Nomine itaque compositionis optime intelligitur propositio affirmativa, & nomine divisionis negativa.

Conclusio. *Veritas, vel falsitas non est nisi in intellectu componente, vel dividente.*

Explicatur. Ad percipiendam formalem rei veritatem debet intellectus compositionem facere, componendo rem ad suum conceptum, ita ut in propositione sit veritas, vel falsitas secundum quod res est huiusmodi, vel non est.

Est Henrici ubicumque de veritate agit, ut art. 7. quæst. 20. *Quando termini cognoscuntur in definitiva ratione intelligitur veritas, & quidditas rerum, &c.* Vbi notanda venit particula in definitiva ratione, id est enunciatiua art. 2. q. 4. ad secundum. *Veritas ipsa est adæquatio intellectus, & rei intellectæ, &c.* art. 36. q. 6. ad secundum. *Veritas rerum ab ipso intellectu creato in sola compositione consistit,* art. 45. q. 2. *Veritas perfectius rationem veritatis habet in cogitatione, quam in rebus,* art. 34. q. 3. *Verum nihil aliud sit, quam ens assimilativum, vel*

æqua-

*æquatum, vel declaratiuum eius, quod est apud intellectum
& hoc vel actu, vel habitu, &c. art. 74. q. 1. Prædicatio autem
non nisi diuersorum quocumque modo fuerit, qua non concipiuntur
nisi per intellectum componentem, & diuidentem simplicia,
qua primo intelliguntur, in qua necessario est veritas, aut falsitas,
&c. & ibidem. Intellecta primò existerunt diuisa in intellectu,
deinde composuit ea. Si igitur composuit secundum ens,
Verum, si non, falsum, &c.*

Probatur Conclusio. Veritas formalis habetur per enunciationem affirmatiuam: ergo per opus intellectus componentis; cum compositio sit per constitutionem enunciationis, &c.

Ad primam obiectionem quod. *Verum est obiectum intellectus, & debet illum præcedere.* Dicendum utique veritatem esse obiectum ipsius intellectus. Nam hoc expressè admittit Henricus art. 1. q. 12. ad tertium. *Omnis veritas est per se obiectum intellectus, dicendum, quod verum est, &c.* Sed ex hoc non concluditur, nisi quod fundamentaliter consideretur ipsa veritas, scilicet quatenus est ipsa rei entitas, & in rebus reperitur, que madmodum habere rationem veri imperfecti vult Henricus art. 34. q. 5. *Res quæcumque considerata in se secundum esse naturale, aut quidditatiuum, nullum omnino respectum dicit ad intellectum, in quantum huiusmodi, sed solum ex hoc, quod habet in se rationem intelligibilis, hoc aut, quod sit manifestabile intellectui, & hoc passiuè, sed ex hoc primo habet rationem veri, quod est sui manifestatiuum apud intellectum, &c.* Est itaque res cognoscibilis in se fundamentaliter, & sic veritas illa, siue aptitudinalis ad æquatio rei ad intellectum, bene potest vocari obiectum intellectus. Ad formam argumenti distinguitur minor. Dici potest (quod mihi magis probatur) veritatem improprie vocari obiectum intellectus, cum potius ipsa sit ratio cognoscendi, quam obiectum cognitum, & hoc expressè docet Henricus art. 34. q. 2. ad quartum. *Esse in cognoscense potest esse dupliciter: ut ratio cognoscendi, sic habet veri-*

tas esse in cognoscente, quia quicquid intellectuatur cognoscitur sub ratione veritatis cognoscitur. Vel ut obiectum cognoscitur, quod est terminus intellectualis operationis hoc modo verbum est in cognoscente, ut terminans actum intelligendi. Ad formam itaque argumenri negatur minor.

Ad secundam quod. Veritas est convertibilis cum ente, & sic non dependet ab intellectu. Dicendum veritatem cum ente convertibilem non esse, nisi illam, quæ materialiter, & fundamentaliter sumitur. Quod satis hactenus explicatū habetur ex Henrico art. 36. q. 6. ad secundum. In creaturis ratio veri non consistit, nisi in quadam adæquatione rei ad rem, quæ non consistit in ipsis rebus, nisi quasi materialiter, &c. Et sic ad formam argumenti distinguitur maior, & explicatur paritas de veritate fundamentali.

Ad tertiam quod. Multa darentur inconuenientia. Dicendum nullum inconueniens sequi. Ad primum, quod diuinus intellectus non est compositiuus, & tamen respectu illius est veritas; Dicendum, Philosophi mentem esse de veritate respectu intellectus creati, & finiti, nam alio modo dicendum est de veritate respectu intellectus nostri. Ita Henricus citato art. 36. q. 6. Nunc autem ita est, quod intellectus Dei simplici intellectu comprehendendo suam essentiam sub ratione infinite simplicitatis, etiam simul indistincte, & immutabiliter cointelligit quicquid conueniens est, &c. Et ponens Henricus rationem, qua dici possit, esse veritas in Deo respectu intellectus diuini ait art. 34. q. 3. Illam esse solum ex respectu ad intellectum diuinum, ut absolute comprehendentem id, quod est in natura, & essentia sua secundum rationem veritatis, &c. Ad secundum Inconueniens, quod nullo existente intellectu cælum non esset verum cælum. Dicendum adhuc fore verum cælum, sed veritate fundamentaliter sumpta. In quo sensu interpretatur Augustinum Henricus loco proxime citato ad secundum. Cum enim Augustinus dixerit. Verum est, quicquid est,

illam limitat Henricus; Augustini propositio, *est materialis per id, circa quod habet esse verum, non formalis per id, quod formaliter est de ratione veri*. Effet itaque solum fundamentaliter verum celum; &c. Ad tertium Inconueniens, quod in omnibus esset intellectus componens, & sic oranes æqualiter scirent, Dicendum in æqualitatem sciendi non desumi penes rem intellectam præcisè, sed etiam penes diuersas dispositiones scientis, vt bene patet per locum Henrici adductum. in argumento, neque enim sufficit habere intellectum compositiuium; sed vt dentur æquales intelligentes, requiruntur vltius dispositiones, siue exercitij, siue acuminis, aut alterius huiusmodi, penes quarum diuersitatem diuersitas sciendi oritur, vt bene Henricus citato art. 2. q. 4. *Sicut ergo alterum altero contingit vnam, & eandem rem certius videre ocula mentis, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur sequela multiplex adducta; &c.

ARTICVLVS XIV.

QUÆSTIO II.

Vtrum voces sint significatiuæ & conceptuum.



VOD non. Arguitur primo. Voces sunt significatiuæ rerum: ergo non conceptuum. Consequentia patet, nam aliud est esse rei, & aliud esse conceptus. Antecedens vero est Henrici art. 73. q. 6. *Verba vocalia immediate sunt signa rerum, &c.*

Secundo. Si voces essent significatiuæ conceptuum, non possent contraria ipsis conceptibus representare, sed voces sæpè representant oppositum conceptui: ergo non sunt repræsen-

sententiæ illius. Sequela maioris patet, neque enim conceptus ex. g. affirmatiuus potest per vocem negatiuam repræsentari. Nam certum est, quod quemadmodum *contraria*, vt habet Henricus quodl. 12. q. 11. *Quando sunt excellentia reducuntur ad contradictoria*. Ita nequeunt per eandem vocem explicari. Minor vero probatur ex proferente mendacium, aliud enim habet in corde, & aliud in lingua, quod posse contingere, exploratum est apud omnes, & præcipue (licet obiter) apud Henricum quodl. 12. q. 20. Si quæretur ab aliquo. *An diligenter audieris logicam, & mentiatur, dicendo, quod sic, cum tamen valde negligenter eam audieris, &c.* In hoc patet aliud sonare vocem, & aliud importari per conceptum.

Tertio. Vel significarent naturaliter, vel ad placitum, at neutrum potest dici: ergo nullo modo voces sunt significatiuæ conceptuum. Maior tenet ex sufficienti diuisione. Minor probatur, quia non naturaliter, cum non sint eadem apud omnes propter linguarum diuersitatem, naturalia autem debent esse communia, in quo sensu philosophatur Henricus art. 4. q. 4. *naturale ex parte formæ, & speciei esse commune omnibus. Cum ipsa, idest species sit uniformiter in omnibus indiuiduis, &c.* Neque possunt dici significare ad placitum, quia nomina sequuntur rerum naturas, ita ex Aristotele 7. Metaph. dixit Henricus art. 73. q. 1. *Nomina imposita communia sunt omnibus rebus, &c.*

Notandum primo. Per voces significari res, siue conceptus, posse dupliciter intelligi, scilicet vel naturaliter, vel ad placitum. vox naturaliter significatiua est illa, quæ quicquid vni repræsentat, cuiuslibet alteri hoc idem nata est repræsentare, etiam si talis vocis impositio facta non esset. Vox vero significatiua ad placitum est illa, quæ ex impositione quam actu habet, significat rem, siue conceptum. Hanc distinctionem latè explicat Henricus art. 73. q. 1. *Talis autem origo verborum duplex consueuit assignari, quadam naturalis, quadam volun-*

aria, & fuit opinio Stoicorum, quod nominum impositio esset naturalis; Peripatetici autem fatentur, illam esse ad placitum, siue voluntariam. A Stoicis recedendo, ad Aristotelem accedit Henricus ibidem concludens rationem vocis impositionem esse ad placitum. Propter quod omne nomen ab homine ad placitum est impositum, &c.

Notandum secundo. Conceptum per vocem significari, & exprimi cadere sub distinctione illa vltimatissima de significatione mediata, & immediata, & de significatione vltima, & non vltimata. Certum quidem, est omnes conceptus ad res ordinari, & consequenter mediatis conceptibus intelligimus res, vnde res habent sic mediatè significari, conceptus verò immediatè. Quia vero sistimus in ipsius rei existentis, siue existere potentis cognitione, diximus, conceptum significari per voces non vltimate, sicuti dicimus de rebus ipsis; Hoc tantum innuit Henricus eodem art. 73. q. 6. *Quia igitur conceptus necessario sunt mediè inquerendo verba vocalia inter res, & verba illas significantia, &c.*

Conclusio. Voces sunt significatiuæ conceptuum.

Explicatur. Voces ad placitum impositæ significant animi passiones immediatè, sed non vltimatè; significant autem res ipsas mediatè, & vltimatè.

Est Henrici art. 73. q. 6. *Secundum Philosophum autem in libro Perhiermentias voces sunt nota intellectuum, & earum passionum, quæ de rebus sunt in anima, quæ sunt conceptus, &c.*

Probat. Voces sunt significatiuæ rerum prout sunt ab homine impositæ rebus ipsis significandis. Sed talis impositio facta est secundum modum conceptus de ipsis: ergo significant etiam ipsos conceptus, per quos res sortitæ sunt voces diuersas.

Ad primam objectionem quod. *Verba vocalia significant.*
im-

immediatè res ex Henrico. Dicendum Henrici mentem loco citato optimè colligi ex progressu ipsius discursus, unde subdit. *Necessariò igitur secundum modum conceptuum formatorum de rebus habent verba in sua institutione formari, ut modus verborum respondeat modo conceptuum, &c.* Attendenda vero est duplex immediationis ratio ex Henrico ibidem. *Verba vocalia immediatè sunt signa rerum quando proferuntur ad docendum ea, quæ sunt in rebus nos latentia sicut immediatè sunt signa conceptuum, quando proferuntur ad indicandum conceptum loquentis occulta, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad secundam quod. *Mendaces per verba aliud significant, & aliud cogitant, & sic verba videntur significare oppositum conceptui, quod est inconueniens.* Dicendum, semper verba absolutè accepta esse significatiua conceptus directi, non autem indirecti, vel reflexi. Mendax licet reflexè habeat voluntatem decipiendi per mendacium prolatum auditores, directè tamen hoc per voces significat, quod actu explicat; Hinc est, quod bene possunt dicere mendacem dicere oppositum suo conceptui, & rei existenti, non quantum est ex parte modi significandi ipsarum vocum, sed potius penes suam voluntatem siuè rei existentiam. Pro qua doctrina facit, quod docet Henricus eodè art. 73. q. 7. ad secundum. *Est aduertendum, quod differunt modus essendi, & modus significandi, quia modus significandi est ex parte nominis significantis, modus autem essendi est ex parte rei significata, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.

Ad tertiam quod. *Vel significarent naturaliter, vel ad placitum.* Respondetur, quod ad placitum, & cum dicitur. Nomina sequi res ipsas. Dicendum nomina ad placitum imposita ex imponentis sapientia sequi ipsas res, quatenus res durior duriori nomine significatur, sicut Artaxerxes apertè sonat hominem fortissimum. Unde optime Henricus art. 73. q. 1.

Talis.

Ad quartam quod. *Generatio, & corruptio non sunt motus.*
 Dicendum. Motum rigorosè sumptum secum ferre successio-
 nem, & esse solum ad aliqua prædicamenta accidentium; Ac
 si sumatur latius pro variatione subiecti, qua scilicet subiectum
 aliter se habere potest nunc, quam prius, siue successivè hoc
 fiat, siue instantaneè, sic habet pro suis speciebus etiam muta-
 tiones. Hinc fit, ut non semper in suo rigore sumatur motus ab
 Henrico, sed simul ponatur cum mutatione, quod fuit, ut ab
 hac subtilitate, & rigorositate se liberaret; ita ar. 5 & q. 1. ad se-
 cundum. *Generare, & generari, & uniuersaliter agere, & pati*
siue actio, & passio sunt motus, aut mutatio, loquitur autem de
ipsis; ut in Creaturis, Ad formam distinguitur antecedens.

Ad quintam quod. *Habitus est prima species qualitatis,*
 & non debuit iterum hic poni. Dicendum nomen Habitus va-
 rias patitur acceptiones. Primo sumitur pro affectione ad operan-
 dum; & sic est prima species qualitatis. Secundo pro respectu,
 & habitudine vestis ad vestitum, & sic est decimum prædica-
 mentum, vel sumitur secundum quod Habere significat
 possidere; & sic est post prædicamentum, & habet
 sub se plures modos, quibus aliquid habere
 dicitur aliud, ut satis est explicatum.

Ad formam itaque argumen-
 ti distinguitur

maior.



ARTICVLVS XIV.

Circa decimum quartum Articulum Quærebantur quatuor scilicet. Veritatis, & Falsitatis operatio; Vocum Significatio; Nominis, & Verbi Definitio, & contingentium futurorum cognitio. Erat autem

QVÆSTIO I.

Virum veritas, & falsitas sit in sola intellectus componentis, vel diuidentis operatione



PRO parte negatiua Arguitur primo. Obiectum intellectus est ens reale, sed verum est obiectum intellectus: ergo verum est ens reale: Minor patet, quia nihil præter verum, intellectus intelligit, immò per cognitam veritatem cogitur ad ipsi assentiendum ex Henrico quodl. 10. q. 1. r. *Veritas enim cognita cogit intellectum ad sibi assentiendum.* Quod vtiq; non potest intelligi, nisi quatenus verum est obiectum ipsius intellectus. Maior etiam constat, quia obiectum debet præcedere potentiam, cum ipsa moueatur ab illo, vnde dicebat Henricus art. 45. q. 2. *Secundum rationem formalem obiectorum determinantur, & distinguuntur ipsa potentia.* Quod vtiq; habere nequit, nisi per verum determinetur intellectus.

Secundo. Verum, & ens conuertuntur, sed hoc non consistit in opere intellectus: ergo neque illud. Minor patet, quemadmodum

admodum, & Maior est manifesta. Quia tamen negari potest paritas, hæc probatur sic. De transcendentibus, & ijs, quæ invicem conuertuntur, quemadmodum eadem est ratio conuertibilitatis, ita & entitatis esse debet. Ex quo principio fortasse motus Henricus quodl. 1. q. 1. docuit non esse in diuinis admittendam bonitatem personalem, sed solum essentialem dicens in responsione ad secundum. *Concipiendo igitur bonitatem personam, non concipimus aliam, quam bonitatem essentia inclusa in persona.* Quia scilicet eodem modo censet philosophandum de essentia, & bonitate, quæ sunt ad invicem conuertibiles.

Tertio. Si veritas consisteret in opere intellectus componentis, sequeretur, primo quod non daretur veritas respectu intellectus diuini, qui non est componens, vt habet Henricus art. 36. q. 6. *Et sic absolute dicendum est, quod Dei intellectus non est compositiuis, aut diuisiuis, sed solummodo est simplicium intelligentia, &c.* Sequeretur secundo, quod cælum v. g. non esset verum cælum; nisi intellectu hoc cogitante, & tamen si nullus esset intellectus, adhuc esset verum cælum, vnde Henricus art. 2. q. 6. ex com. in 2. Metaph. *Quanto res qualibet magis fuerit perfecta in esse, tanto magis erit perfecta in veritate.* Sequeretur tertio, quod omnes homines æque certitudinaliter omnia scirent, quia omnes habent intellectum componentem, & tamen oppositū docet Henricus art. 2. q. 4. *Ex parte dispositionis acquisita causa est, quia vnus magis exercitatus est circa inspectionem veritatis rei scita, quam alter, &c.*

Notatur primo. Veritatem rei posse dupliciter attendi. primo fundamentaliter, quatenus res ipsa apta est sic cognoscenda quocumque intellectu cognoscatur, & hæc est veritas consequens rei entitatem, in quo sensu asserit Henricus art. 2. q. 6. *Vnumquodque sicut se habet ad esse sic se habet ad veritatem.* secundo formaliter, quatenus actu per intellectum componentem fit prædicatio, vt cum actu dicitur, homo est animal, &

de

de hac veritate intelligitur Henricus art. 2. q. 4. ad secundum. *Veritas ipsa est adaequatio intellectus, & rei intellecta in qualibet intelligente, & de hac formali veritate, quæ est de complexis, est sermo in præsentibus.*

Notatur secundo. Compositiuum intellectum dici eum, qui præcedenti simplicium intelligentia, & cognitione, quod quid est rei, intelligit, deinde quid sit illi conueniens, vel discrepans percipiendo vnum post aliud. Vnde egregie Henricus de intellectu componente ad percipiendam rei veritatem ait art. 36. q. 6. ad secundum. *Homo numquam sciet de pictura Herculis, quod sit vera eius imago, nisi videndo ex aduerso Herculem, & ipsam imaginem, ipsos inesse conferendo, & sic conformitatem, & correspondensiam imaginis ad imaginatum, concipienda.* Nomine itaque compositionis optimè intelligitur propositio affirmatiua, & nomine diuisionis negatiua.

Conclusio. *Veritas, vel falsitas non est nisi in intellectu componente, vel diuidente.*

Explicatur. Ad percipiendam formalem rei veritatem debet intellectus compositionem facere, componendo rem ad suum conceptum, ita ut in propositione sit veritas, vel falsitas secundum quod res est huiusmodi, vel non est.

Est Henrici ubicumque de veritate agit, vt art. 1. quest. 12. *Quando termini cognoscuntur in definitiuaratione intelligitur veritas, & quiditas rerum, &c.* Vbi notanda venit particula in definitiuaratione, id est enunciatiua art. 2. q. 4. ad secundum. *Veritas ipsa est adaequatio intellectus, & rei intellecta, &c.* art. 36. q. 6. ad secundum. *Veritas rerum ab ipso intellectu creato in sola compositione consistit, art. 45. q. 2. Veritas perfectius rationem veritatis habet in cogitatione, quam in rebus, art. 34. q. 3. Vs verum nihil aliud sit, quam ens assimilatum, vel*
equa-

agratum, vel declaratum eius, quod est apud intellectum; & hoc vel actu, vel habitu, &c. art. 74. q. 1. Prædicatio autem non nisi diuersorum quocumque modo fuerit, quæ non concipiuntur nisi per intellectum componentem, & diuidentem simplicia, quæ primo intelliguntur, in qua necessario est veritas, aut falsitas, &c. & ibidem. Intellecta primò existerunt diuisa in intellectu, deinde composuit ea. Si igitur composuit secundum ens, Verum, si non, falsum, &c.

Probatur Conclusio. Veritas formalis habetur per enunciationem affirmatiuam: ergo per opus intellectus componentis; cum compositio sit per constitutionem enunciationis, &c.

Ad primam obiectionem quod. *Verum est obiectum intellectus, & debet illum præcedere.* Dicendum utique veritatem esse obiectum ipsius intellectus. Nam hoc expressè admittit Henricus art. 1. q. 12. ad tertium. *Omnis veritas est per se obiectum intellectus, dicendum, quod verum est, &c.* Sed ex hoc non concluditur, nisi quod fundamentaliter consideretur ipsa veritas, scilicet quatenus est ipsa rei entitas, & in rebus reperitur, quemadmodum habere rationem veri imperfecti vult Henricus art. 34. q. 5. *Res quæcumque considerata in se secundum esse naturale, aut quidditatum, nullum omnino respectum dicit ad intellectum, in quantum huiusmodi, sed solum ex hoc, quod habet in se rationem intelligibilem, hoc est, quod sit manifestabile intellectui, & hoc passiuè, sed ex hoc primo habet rationem veri, quod est sui manifestatum apud intellectum, &c.* Est itaque res cognoscibilis in se fundamentaliter, & sic veritas illa, siue aptitudinalis adæquatio rei ad intellectum, bene potest vocari obiectum intellectus. Ad formam argumenti distinguitur minor. Dicitur potest (quod mihi magis probatur) veritatem improprie vocari obiectum intellectus, cum potius ipsa sit ratio cognoscendi, quam obiectum cognitum, & hoc expressè docet Henricus art. 34. q. 2. ad quartum. *Esse in cognoscense potest esse dupliciter: ut ratio cognoscendi, in habet veri-*

tas esse in cognoscente, quia quicquid intellectualiter cognoscitur sub ratione veritatis cognoscitur. Vel ut obiectum cognisum, quod est terminus intellectualis operationis hoc modo verbum, est in cognoscente, ut terminans actum intelligendi. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad secundam quod. Veritas est convertibilis cum ente, & sic non dependet ab intellectu. Dicendum veritatem cum ente convertibilem non esse, nisi illam, quæ materialiter, & fundamentaliter sumitur. Quod satis hactenus explicatū habetur ex Henrico art. 36. q. 6. ad secundum. In creaturis ratio veri non consistit, nisi in quadam adæquatione rei ad rem, quæ non consistit in ipsis rebus, nisi quasi materialiter, &c. Et sic ad formam argumenti distinguitur maior, & explicatur paritas de veritate fundamentali.

Ad tertiam quod. Multa darentur inconuenientia. Dicendum nullum inconueniens sequi. Ad primum, quod diuinus intellectus non est compositiuus, & tamen respectu illius est veritas; Dicendum, Philosophi mentem esse de veritate respectu intellectus creati, & finiti, nam alio modo dicendum est de veritate respectu intellectus nostri. Ita Henricus citato art. 36. q. 6. Nunc autem ita est, quod intellectus Dei simplici intellectu comprehendendo suam essentiam sub ratione infinita simplicitatis, statim simul indistincte, & immutabiliter intelligit quicquid conueniens est, &c. Et ponens Henricus rationem, qua dici possit, esse veritas in Deo respectu intellectus diuini ait art. 34. q. 3. Illam esse solum ex respectu ad intellectum diuinum, ut absolute comprehendentem id, quod est in natura, & essentia sua secundum rationem veritatis, &c. Ad secundum Inconueniens, quod nullo existente intellectu cælum non esset verum cælum. Dicendum adhuc fore verum cælum, sed veritate fundamentaliter sumpta. In quo sensu interpretatur Augustinum Henricus loco proxime citato ad secundum. Cum enim Augustinus dixerit. Verum est, quicquid est,

illam limitat Henricus; Augustini propositio, *est materialis per id, circa quod habet esse verum, non formalis per id, quod formaliter est de ratione veri.* Eset itaque solum fundamentaliter verum celum, &c. Ad tertium Inconueniens, quod in omnibus esset intellectus componens, & sic oranes æqualiter scirent, Dicendum in æqualitatem sciendi non desumi penes rem intellectam præcisè, sed etiam penes diuersas dispositiones scientis, vt bene patet per locum Henrici adductum. in argumento, neque enim sufficit habere intellectum compositiuium; sed vt dentur æquales intelligentes, requiruntur vltterius dispositiones, siue exercitij, siue acuminis, aut alterius huiusmodi, penes quarum diuersitatem diuersitas sciendi oritur, vt bene Henricus citato art. 2. q. 4. *Sicut ergo alterum altero contingit vnam, & eandem rem certius videre ocula mentis, &c.* Ad formam itaque argumenti negatur sequela multiplex adducta; &c.

ARTICVLVS XIV.

QUAESTIO II.

Vtrum voces sint significatiuæ conceptuum.



VOD non. Arguitur primo. Voces sunt significatiuæ rerum: ergo non conceptuum. Consequentia patet, nam aliud est esse rei; & aliud esse conceptus. Antecedens vero est Henrici art. 73. q. 6. *Verba vocalia immediate sunt signa rerum, &c.*

Secundo. Si voces essent significatiuæ conceptuum, non possent contraria ipsis conceptibus representare, sed voces sæpè representant oppositum conceptui: ergo non sunt repræsen-

sententiæ illius Sequela maioris patet, neque enim conceptus ex. g. affirmatiuus potest per vocem negatiuam repræsentari. Nam certum est, quod quemadmodum *contraria*, vt habet Henricus quodl. 12. q. 11. *Quando sunt excellentia reducuntur ad contradictoria*. Ita nequeunt per eandem vocem explicari. Minor vero probatur ex proferente mendacium, aliud enim habet in corde, & aliud in lingua, quod posse contingere, exploratum est apud omnes, & præcipue (licet obiter) apud Henricum quodl. 12. q. 20. Si quærat ab aliquo. *Audiligerit audierit logicam, & mensiatur, dicendo, quod sic, cum tamen valde negligenter eam audierit, &c.* In hoc patet aliud sonare vocem, & aliud importari per conceptum.

Tertio. Vel significant naturaliter, vel ad placitum, at neutrum potest dici: ergo nullo modo voces sunt significatiuæ conceptuum. Maior tenet ex sufficienti diuisione. Minor probatur, quia non naturaliter, cum non sint eadem apud omnes propter linguarum diuersitatem, naturalia autem debent esse communia, in quo sensu philosophatur Henricus art. 4. q. 4. *naturale ex parte formæ, & speciei esse commune omnibus. Cum ipsa, id est species sit uniformiter in omnibus indiuiduis, &c.* Neque possunt dici significare ad placitum, quia nomina sequuntur rerum naturas; ita ex Aristotele 7. Metaph. dixit Henricus art. 73. q. 1. *Nomina imposta communia sunt omnibus rebus, &c.*

Notandum primo. Per voces significari res, siue conceptus, posse dupliciter intelligi, scilicet vel naturaliter, vel ad placitum. vox naturaliter significatiua est illa, quæ quicquid vni repræsentat, cuilibet alteri hoc idem nata est repræsentare, etiam si talis vocis impositio facta non esset. Vox vero significatiua ad placitum est illa, quæ ex impositione quam actu habet, significat rem, siue conceptum. Hanc distinctionem late explicat Henricus art. 73. q. 1. *Talis autem origo verborum duplex consuevit assignari, quadam naturalis, quadam volun-*

aria, & fuit opinio Stoicorum, quod nominum impositio esset naturalis; Peripatetici autem fatentur, illam esse ad placitum, siue voluntariam. A Stoicis recedendo, ad Aristotelem accedit Henricus ibidem concludens rationem vocis impositionem esse ad placitum. Propter quod omne nomen ab homine ad placitum est impositum, &c.

Notandum secundo. Conceptum per vocem significari, & exprimi cadere sub distinctione illa vltimatissima de significatione mediata, & immediata, & de significatione vltima, & non vltimata. Certum quidem, est omnes conceptus ad res ordinari, & consequenter mediatis conceptibus intelligimus res, vnde res habent sic mediatè significari, conceptus verò immediatè. Quia vero sistimus in ipsius rei existentis, siue existere potentis cognitione, diximus, conceptum significari per voces non vltimate, sicuti dicimus de rebus ipsis; Hoc tantum innuit Henricus eodem art. 73. q. 6. *Quia igitur conceptus necessario sunt mediè inquerendo verba vocalia inter res, & verba illas significantia, &c.*

Conclusio. Voces sunt significatiuæ conceptuum.

Explicatur. Voces ad placitum impositæ significant animi passiones immediatè, sed non vltimatè; significant autem res ipsas mediatè, & vltimatè.

Est Henrici art. 73. q. 6. *Secundam Philosophum autem in libro Perhiermenias voces sunt nota intellectuum, & earum passionum, quæ de rebus sunt in anima, quæ sunt conceptus, &c.*

Probatur. Voces sunt significatiuæ rerum prout sunt ab homine impositæ rebus ipsis significandis. Sed talis impositio facta est secundum modum conceptus de ipsis: ergo significant etiam ipsos conceptus, per quos res sortitæ sunt voces diuersas.

Ad primam objectionem quod. *Verba vocalia significant*
im-

immediatè res ex Henrico. Dicendum Henrici mentem loco citato optimè colligi ex progressu ipsius discursus, unde subdit. Necessariò igitur secundum modum conceptuum formatorum de rebus habens verba in sua institutione formari, ut modus verborum respondeat modo conceptuum, &c. Attendenda vero est duplex immediationis ratio ex Henrico ibidem. Verba vocalia immediatè sunt signa rerum quando proferuntur ad docendum ea, quæ sunt in rebus nos latentia sicut immediatè sunt signa conceptuum, quando proferuntur ad indicandum conceptum loquentis oculis, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens.

Ad secundam quod. *Mendaces per verba aliud significant, & aliud cogitant, & sic verba videntur significare oppositum conceptui, quod est inconueniens. Dicendum, semper verba absolutè accepta esse significatiua conceptus directi, non autem indirecti, vel reflexi. Mendax licet reflexè habeat voluntatem decipiendi per mendacium prolatum auditores, directè tamen hoc per voces significat, quod actu explicat; Hinc est, quod bene possimus dicere mendacem dicere oppositum suo conceptui, & rei existenti, non quantum est ex parte modi significandi ipsarum vocum, sed potius penes suam voluntatem siuè rei existentiam. Pro qua doctrina facit, quod docet Henricus eodè art. 73. q. 7. ad secundum. Est aduertendum, quod differunt modus essendi, & modus significandi, quia modus significandi est ex parte nominis significantis, modus autem essendi est ex parte rei significata, &c. Ad formam itaque argumenti distinguitur minor.*

Ad tertiam quod. *Vel significarent naturaliter, vel ad placitum. Respondetur, quod ad placitum, & cum dicitur. Nomina sequi res ipsas. Dicendum nomina ad placitum imposita ex imponentis sapientia sequi ipsas res, quatenus res durior duriori nomine significatur, sicut Artaxerxes apertè sonat hominem fortissimum. Unde optime Henricus art. 73. q. 1.*

Talis.

Talis ergo imposiſio, quia eſt ſecundum proprietatem eſſentia; & natura rei congruentem proprietati in comparatione ad vires cognitivas ſenſus, & intellectus verbi tali modo verbum, aut nomen imponere rei, non eſt niſi ſapientis, & perfectè cognoscentis naturam, & proprietatem cuiusque rei, quam Adam in ſtatu innocentia diuina ſapientia pradiſus perfectè cognoscere potuit, &c. Et in hoc ſenſu poteſt aliquoſiter concedi nomina ſignificare etiam naturaliter, quatenus eſt condu- cens ad rei naturam, & quidditatem. Nec obſtat, quod ſint diuerſa nomina ſecundum diuerſitatem linguarum, quia ad eandem naturam rei explicandam in omnibus linguis, eſt ſemper quid in ipsis bene correſpondens, vt dicebat Henricus art. 73. q. 9. *Et ſicut hoc nomen, Deus, eſt proprium in lingua latina, ſic proprium eſt θεος, in lingua græca, & ſic de cæteris in cæteris linguis, quotquot ſunt, vel eſſe poſſunt genera linguarum.* Ad formam argumenti reſpondetur negando minorem. Immo utroque modo ſi- gnificant, Ad placitum, quia impoſita ſunt nomina, & Naturaliter, quia ſecundum naturam rei ſunt impoſi-

ta.



ARTICVLVS XIV.

QVAESTIO III.

*Vtrum definitiones nominis, & verbi sint à Philo-
sopho benè assignatae.*



QUOD non Arguitur primo. De definitione nominis; Aliquod nomen non est vox: ergo mala nominis definitio. Consequentia patet, nam ponitur in definitione loco generis id, quod genus non est. Antecedens vero probatur, nam nomina mentalia sunt verè nomina, & tamen non sunt voces, vox enim debet esse sonus exterior auditum mouens, ita innuit Henricus art. 73. quæst. 1. *Imponitur vox, quæ proportionaliter nata est mouere aurem corporis siue auditum, &c.* Et quod l. 7. q. 7. de aere respirato ait, *siñe quo vocis modulatio formari non habet, nec deferri, &c.* Quod verò nomina mentalia sint verè nomina, patet, nam propositio mentalis est vera propositio, cuius partes sunt nomina mentalia, ex quibus intellectus propositiones suas mentales efficit ex Henrico art. 36. q. 6. *Nisi enim seorsum penès intellectum præcedentia, & per ordinem concepta in forma compositionis, vel diuisionis apud intellectum ordinari non possunt, quia ipsa forma compositionis, vel diuisionis, siue affirmationis, vel negationis in re non existit, &c.*

Secundo. Non est in cuiusque potestate nomina rerum mutare: ergo malè ponitur ly ad placitum. Cum, quæ ad placitum sunt, possint pro libito variari. Antecedens patet. Nam sequeretur maxima confusio, posset enim quis dicere. *Aqua est ignis,*

ignis, lux est tenebræ, & his similia; ad cuius confusionis ex-
 clusionem ait Henricus art. 73. q. 9. *Oportet nomina, & verba
 habere significationes determinatas secundum Philosophum 4.
 Metaph. & sic oportet nomina plurima singula sic imponi, &
 deputari singulis significatis, quod non sint imposta, & deputa-
 ta alteris, &c.*

Tertio. Sunt nomina, quæ cum tempore significant: ergo
 otiosa definitio. Antecedens probatur de his nominibus Dies,
 Mensis, Annus, &c. Quæ omnia quandam temporis duratio-
 nem important, quemadmodum de ævo angelico ait Henricus
 quodl. 5. q. 13. *Mensura quantitatis essendi, siue mora in essendo
 suum dicitur, &c.*

Quarto de definitione verbi. Verbum potest in propositio-
 ne subijci: ergo tunc non erit nota eorum, quæ de altero di-
 cuntur. Antecedens probatur, dicendo orare est laudabile, ly
 orare, est verbū, quod subijcitur, nec est nota ipsius prædicati,
 cum per ipsum determinetur, subiectum enim habet rationem
 materiæ prædicatum autem formæ, ut vult Henricus art. 74.
 q. 3. *Prædicatum eo, quod se habet in ratione formæ debet signi-
 ficare per modum informantis, &c.*

Notatur primo. Pro utriusque definitionis explicatione.
 Nomen dicitur *vox*, quia scilicet sub voce tanquam ge-
 nere continetur, dicitur *significatiua ad placitum*, quia signi-
 ficat ex impositione voluntaria, dicitur *sine tempore*, quia ve-
 sic non significat neque præsens, neque futurum, dicitur tan-
 dem, *cuius nulla pars est significatiua separata*, quia vel non
 erit aliqua ipsius pars significans, vel si significabit aliquid, non
 retinebit idem significatum excludit tamen Philosophus opti-
 me nomina infinita, & obliqua. Verbum vero dicitur *signifi-
 care cum tempore*, quia vel est præsens, vel præteritum, vel
 futurum, & debet subintelligi, quod Verbum est nota eorum,
 quæ prædicantur, quatenus est nota unionis prædicati cum su-
 bjecto, excluduntur autem ab hac definitione Verba infinita,

vt

vt non currit, & verba obliqua vt currebat, & vt omnis æquiuocatio tollatur, sciendum cum Henrico sæpius verbum generaliter sumi pro nomine, & vice versa nomen pro verbo, vt habetur art. 73. q. 1. vbi de argumento ait. *Et sic verbum largè accipit pro quocumque sermone incompleto, pro quo potest accipi nomen largè sumptum, vt sic idem sit nomen, & verbum.* Hic vero debet sumi Verbum, quatenus condistinguitur à nomine secundum regulas etiam grammaticales.

Notatur secundo Nomen, & Verbum posse considerari, vel primo intentionaliter, vel pro secunda intentione, cum tamen logicè sit considerare potius secundas intentiones, vt ait Henricus art. 53. q. 5. *Et hoc quoad intentiones logicas, &c.* Hinc fit, vt definitiones istæ intelligantur secundo intentionaliter acceptæ, itant sit sensus. Nomen est intentio secundæ attributa voci significatiuæ ad placitum.

Conclusio. Definitiones allatæ à Philosopho sunt optimæ.

Explicatur. Nomen, & Verbum quatenus secundo intentionaliter sumuntur, & distinguuntur ab inuicem, bene definiuntur ab Aristotele in presenti.

Est Henrici Definitiones huiusmodi approbantis per omnes suas partes. Quod enim Verbum, & nomen sint voces factis expresse probat art. 73. q. 1. *Sicut enim dicit August. Verba dicuntur, &c. Sic Nos dicere possumus, nomina dicuntur omnia, quibus loquimur, &c.* idest voces vt paulo post addit. *Nec potest significari, nisi cui vox ad significandum potest imponi.* Quod vero sint ad placitum subdit statim, *& hoc secundum beneplacitum voluntatis.* Quod tandem nomen sit sine tempore significatiuum, & Verbum cum tempore, colligi potest ex eo, quod licet ad aliud propositum ait Henricus ex August.

art. 31. q. 4. *Cum dicitur est, fuit, & eris, duo intelliguntur, & res significata, & modus significandi sub proprietate temporis, &c. Quod de nomine dici nonquit, &c.*

Probat. Conclusio ex Regulis bonæ definitionis, & explicatione allata.

Ad primam obiectionē quod. *Nomen mentale est verum nomen, & tamen non est vox, cum extrinsece non sonet.* Dicendum aliud esse dici vocem formaliter, & aliud solum fundamentaliter, quatenus voce manifestatur siue voci conuenire potest. Hinc benè Henricus art. 73. q. 1. ex August. *De Vniuersis, aut qua scimus non loquentem, qui personat foris, sed intus ipsi mensi præsentem consulimus, scilicet verbis admonsi, & hoc non nisi artificiali ordine verborum in propositione, & propositionum in argumentatione, &c.* Quatenus scilicet id, quod pronunciat extra, prouenit ab intrinseco. Ad formam itaque argumenti distinguitur antecedens, vt patet.

Ad secundam quod. *Non est in nostra potestate mutare rerum nomina, & consequenter non debent dici imposita ad placitum.* Dicendum ly ad placitum non intelligi meum, & tuum, sed ex communi hominum eiusdem linguæ acceptione, à quorum prima impositione non licet nobis resilire. Ita habet Henricus art. 73. q. 8. *Et sic per consuetudinem, quasi ex parte inter se omnium, qui sunt eiusdem linguæ talis vox talem rem significaret, &c.* Ad formam argumenti negatur consequentia.

Ad tertiam quod. *Mensis, annus, sunt nomina significantia cum tempore.* Dicendum non esse significantia cum tempore, licet significant tempus; Nam dicebamus de quando, quod significat non tempus, sed esse in tempore ex Henrico art. 32. q. 5. *Quando est in illis, quæ exceduntur à tempore, & à simili nunc dicimus de nomine mensis, quod est significatiuum temporis, sed non cum tempore, quia scilicet non connotat futuritionem, vel præsentialitatem ipsius, vt facit Verbum.*

Ad

Ad formam argumenti negatur antecedens.

Ad quartam quod. *Verbum potest subijci, & tunc non est nota eorum, quæ prædicantur.* Dicendum sæpius verba vsurpantur pro nominibus substantiuis, vt ex Grammaticis constat, & potest dici cum Henrico art. 73. q. 1. *Quamuis nec quis egeat auctoritate in re tam perspicua.* Ad formam argumenti negatur antecedens. Non enim subijcitur reduplicatiue, vt verbum.

Ex his patet quid sit dicendum ad definitionem orationis, quæ à Philosopho dicitur esse vox significatiua, cuius partium aliquid significatiuum est, diuiditur enim in dictiones, ex quibus constat. De definitione quoque enunciationis non est cur longior sermo instituat; *Est enim oratio, in qua verum, vel falsum est;* quæ omnia satis patent ex præcedentibus.

Prosequitur. Philosophus adducendo oppositionum genera, quæ sunt quatuor, scilicet contraria, contradictoria, subcontradictoria, & subalterna, & afferuntur regulæ de oppositis propositionibus, dicendo impossibile esse duas contrarias simul veras; secundo subcontrarias posse; tertio contradictorias ita se habere, vt vna sit vera & altera falsa præsertim de præterito, & de præsentis. An vero etiam de futuro examinabimus in sequenti.



ARTICVLVS XIV.

QVAESTIO IV.

*Utrum de futuris contingentibus sit determinata
veritas.*



QUOD sic Arguitur primo . Lex contradicto-
riarum est , ut si vna sit vera , altera sit falsa ;
sed de futuris contingentibus habentur hu-
iusmodi contradictoria : ergo ex ipsis vna erit
vera , & altera falsa , & sic de futuris habebi-
tur veritas , & falsitas . Maior patet , & admi-
tatur ab Henrico quodl. 6. q. 3. *Quia impossibile est , quod ipsa*
(idest contradictoria) in se inciplant simultatem ; &c. Minor
vero probatur adducendo has contradictorias scilicet ; Plato
sedebit , & Plato non sedebit .

Secundo . Si non daretur veritas de contingentibus futuris ,
ratio præcipua esset , quia non habent necessitatem ; sed futu-
rum contingens habet necessitatem : ergo de illo erit veritas .
Maior est Aristotelis , & eam admittit Henricus quodl. 8. q. 2 .
Cognoscuntur à nobis contingentia ad utrumlibet in sua causa
per accidens , non scientia infallibili , sed solum coniecturali , &c.
Minor vero probatur ex eodem Henrico ibidem de Ecclipsi-
bus , quæ sunt futuræ contingentiter , & tamen de ipsis est ne-
cessitas , & veritas . *Ita quod diceret de aliqua Ecclipsi , quod*
post tempus motus , quæ est de tali ad tale erit septentriona-
lis , &c.

Tertio . Propositio disiunctiva de contingenti futuro est ve-
ra : ergo datur veritas de ipso . Consequentia patet . Antece-
dens

dens probatur ex hac propositione. Platocras morietur, vel non morietur, quia vnusquisque illi assentiri tenetur, & inquit Henricus quodl. 10. q. 11. *Veritas cognita cogit intellectum ad sibi assentiendum, &c.*

Notatur primo. Aliud esse loqui de futuro necessario, & aliud contingenti. Necessarium est, quod procedit ex causis necessarijs, quemadmodum sunt effectus naturales, qui ex causis suis habent naturaliter procedere. Et de his futuris, si nobis cognoscantur, dici potest cum Henrico citato quodl. 8. q. 2. ex Aug. *Cum ergo videri dicuntur futura non ipsa, quæ nondum sunt, idest quæ futura sunt, sed eorum causæ, vel signa forsitan videntur, quæ iam sunt. Ideo non futura, sed presentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta, &c.* Futurum autem contingens est, quod à causa non necessaria, sed casu vel fortuna, vel ex sua libertate operante procedit, quod optimè tangit Henricus quodl. 8. q. 4. *Effectus potest ab aliquo indifferenter fieri, vel non fieri dupliciter, vel quia non est in ipso vis, qua necesse est eum fieri, vel quia non est in eo vis determinans ipsum fieri, & de hoc paulo inferius subdit. Effectus sic contingens non procedit in esse nisi præter intentionem per voluntatem agentis, vt infortunis, vel absque voluntate, vt in casualibus.* Tota ergo dubitatio procedit de futuro contingenti, siue libero, siue fortuito, vel casuali.

Notatur secundo. Futurum contingens cognosci dupliciter posse intelligi, primo itaut dicatur cognosci quoad essentiam suam, secundo itaut cognoscatur secundum differentiam futuritionis, quam habet respectu temporis, quo existentiam habiturum est. De hac doctrina fecit mentionem Henricus art. 3. q. 1. *Intellectus, quo approbenditur res extra esse in effectu semper concomitatur intellectum, quo approbenditur res simpliciter in essentia sua, vt dicit Auic. ponens exemplum tale v. g. si dixeris aliquis. Resurrectio eris, intellexisti resurrectionem.*

rectionem, quæ non est, & intellexisti, eris, quod non est, & predicasti erit de resurrectione, &c. Non est in presenti difficultas de cognitione priori, sed posteriori. Si enim dicam, Petrus cras sedebit, datur quidem cognitio de Petro, & de seditione, sed non datur veritas de hoc contingente complexo, Petrus sedebit, cum nullam habeat necessitatem; liberè enim se determinare potest Petrus ad sedendum, vel non sedendum.

Conclusio. De futuris contingentibus nulla est determinata veritas, siue falsitas.

Explicatur. Futurum contingens ex causa liberè, vel per accidens operante procedens, licet certo cognoscatur cognitione incomplexa suorum terminorum, nunquam tamen cognosci à Nobis potest secundum rationem complexi in ordine ad temporis differentiam, quo futurum est.

Est Henrici quodl. 8. q. 2. *Quemadmodum à Nobis circa inferiora in suis causis inferioribus aliqua cognoscuntur scientia necessaria in suis causis necessarijs, quemadmodum dictum est supra de Ecclipsibus secundum Auic., & contingentia ad utrumlibet in sua causa per accidens non scientia infallibili, sed solum coniecturali, &c.*

Probatur ratione sic. Illud solum habet infallibilem cognoscibilitatem; quod habet necessitatem; sed contingens futurum nullam habet necessitatem: ergo neque cognoscibilitatem.

Ad primam obiectionem quod. *Plato sedebit, & Plato non sedebit sunt contradictoria, & sic si una est vera; altera erit falsa, & è contra.* Dicendum legem illam contradictoriarum tenere in tempore præsentis, & præteriti, quando iam singulari illud contingens habuit suam existentiam ita enim cognosci

gnosci potuit, ut ait Henricus quodl. 8. q. 2. *Intellectus noster naturaliter notitiam singularium habere non potest, nisi per eorum actualem existentiam, &c.* Non tamen, quando propositiones sunt de futuro, tunc enim neutra est vera, & neutra est falsa, cum utrumque extremum possit contingere. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior.

Ad secundam quod. *Aliquod futurum est necessarium ut Eclypsis.* Dicendum per necessitatem illam tolli contingentiam, habet enim Eclypsis suas causas determinatas, & necessarias, & est de futuris necessarijs, de quibus nulla procedit dubitatio in presenti, sed solum de contingentibus, ut dictum est. In quo sensu quadrat illud Henrici ibidem. *Huiusmodi complexa non sunt scibilia quadam, sed potius opinabilia, &c.* Ad formam itaque negatur minor.

Ad tertiam quod. *Propositio illa disiunctiva est vera, Plato sedebis, vel Plato non sedebis.* Dicendum talem disiunctionem non verificari ratione determinationis alterius partis contradictionis, neque habere veritatem secundum requisitam propositionem simplicem; sed solum per modum totius cuiusdam orationis, & enunciati à temporis differentia præscindentis. Hinc ex Aristotele dicebat Henricus ibidem. *Eadem mansens oratio, vel opinio mutatur à veritate in falsitatem si ne sui mutatione ad mutationem rei secundum dictos respectus, qui sunt esse, non esse: fuisse non fuisse; fore, & non fore, &c.* Ad formam itaque argumenti distinguitur, antecedens.

ARTICVLVS XV.

Circa decimum quintum Articulum. Quærebantur sex, scilicet Cognitionis præexistentia, Notitiæ principiorum naturalitas, Notitiæ nostræ certitudo, Disciplinæ utilitas, Conclusionis, Dependentiâ à principijs, & Definitio propositionis per se notæ. Erat autem

QVÆSTIO I.

*Virum omnis cognitio fiat ex præexistenti
cognitione.*



RO parte negatiua Arguitur primo. Eodem modo philosophari debemus de intellectu, ac de sensu; sed sensus fit in actu sentiendi, nihil omnino præsentiendo: ergo etiam intellectus potuit aliquid intelligere, nihil omnino præintelligendo; Maior apud Henricum est vtitissima, & præcipuè art. 19. q. 1. *Sicut obiectum est primum per se mouens; sensum ad actum sentiendi in cognitione sensitiva, ut color visum ad actum videndi; sic subiectum scientia cuiuscumque est primum per se mouens; intellectum ad actum sentiendi in cognitione intellectiua.* Minor verò probatur; cum enim sensus non sit potentia rationalis, vel discursiua, non habet ex vno cogito, aliud cognoscere, vt docet Hent. art. 1.

q. 10.

q. 10. ad tertium. *Quod sensus non habet facere, quia rationalis non est, nec virtus collatiua, scilicet cognoscere vnum ex altero.*

Secundo arguitur. Quod est in potentia ad sciendum, non est sciens, sed addiscens est in potentia ad sciendum: ergo non debet dici aliquid præsciens. Maior certa est, non enim sedens dicitur, qui duntaxat sedere potest; cum sit maxima inter actum primum, & actum secundum differentia, & Henr. art. 35. q. 4. ait. *Dicitur potentia actiua, cui respondeat actus secundus, qui est operatio, egrediens à forma, qua res est aliquid existens in actu primo, &c.* Minor verò probatur per ea, quæ docet Philosophus 3. de anima. *Intellectus noster ante addiscere est sicut tabula rasa, in qua nihil depictum est.* Ad quæ aliudit Henr. art. 1. q. 5. *Intellectus est sicut tabula apta scriptura, nihil habens actu scriptum in ea.*

Tertio arguitur. Vnumquodque primo addiscens venit ad scientiam, à negatione ipsius scientiæ, sed hoc est asserere, nihil ante præsciri: ergo ex nulla præexistenti cognitione habetur aliqua prima cognitio; Maior est indubitata, & Henr. illi assentitur art. 1. q. 10. *Si appellamus addiscere communiter omnem motum ab ignorantia in scientiam, siue sit ab ignorantia negationis, siue ab ignorantia dispositionis. Dicendum, quod necesse est ponere hominem addiscensem posse acquirere scientiam, nihil præsciendo.* Minor in adducta Henrici auctoritate etiam remanet manifesta.

Notandum primo. Fuisse Platoniorum opinionem, quod scire nostrum non esset nisi reminisci; ponebant enim animas ante vnionem cum corpore habere habitus virtutum, & scientiarum in quarum obliuionem incidebant, quando corporibus vniebantur, vt ex Philosopho refert Henr. art. 1. q. 4. *Antiquiores vt Platonici ponebant animas prius separatas, quam corporibus vnitas, & ibi ex impressione idearum habere habitus scientiarum, & virtutum, & secum illos deferre in*

unione sua cum corpore, sed ex corporis umbratione impediri ab usu eorum, & ea tradere obliuioni, quoad usum, & actum sciendi in particulari, retinendo tamen habitus omnes sciendi in particulari, sed usum, & actum sciendi solum in uniuersali, &c. Et post pauca, & per hunc modum posuit Plato in Menone, quod scire, vel addiscere nihil aliud erat, quam reminisci, secundum quod recitat Philosophus in 1. Posteriorum, sicut facit etiam Augustinus. Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse animas hominum, antequam corpora generarentur, & hinc esse, quod ea, quæ discuntur, reminiscantur potius cognita, quam cognoscantur noua. Ita Henr. ibidem, qui Platonis opinionem ab errore reuocare conatus ad bonum sensum illam trahit, & idè subiungit. Circa positionem autem Platonis, quia non usquequaque errabat, &c. Et rationem reddit. quare Plato errauerit dicens. Posuit animas ante corpora vixisse separatas, & unione corporum obumbratas; re vera ex corporis cognitione animæ nostræ sunt obnubilata non obnubilatione occultante aliquam noticiam latentem in eis, ut posuit Plato, sed impediēte receptionem illustrationis diuinæ, & notitiæ veritatis sinceræ, quam ab initio impedit omnino. Est autem Aristotelis positio, quod ea, quæ à nobis primò intelliguntur partim sunt in anima naturaliter, & partim per actionem extrinsecam, ut ibidem refert Henr. Est opinio media Aristotelis, quæ ponit omnes formas huiusmodi esse in materia, & subiecto, habere partim ab intrinseca à natura, & partim ab extrinseca actione, partim ab intra ponebat Aristoteles omnes huiusmodi formas præexistere in subiecto scilicet in potentia, & partim ab extra scilicet per agens subiectū transformans, ut forma, quæ in ipso prius erat in potentia, fiat in actu.

Notandū secundo. Illum, qui propriè dicitur addiscere, debere semper præscire prima scientiarum principia, ex quibus scientificè conclusiones deducat. Vnde Henr. art. 1. q. 10. Ait oportet discētem præscire prima scientiarum principia, secundum quod

quod dicit Philosophus 4. *Metaphysicorum* oportet addiscensẽ aliquid primum scire ista, & non querere ea, cura quaretur ab eo de eis, & idẽ horum principiorum notitiam comparauit, 2. *Metaphysicorum* loco Ianua in Domo, quam nullus ignorat, qui ad intrandum Domum tendit, quia per illam ingreditur homo ad cognoscendum secretiora Domus, quæ ignorat; vt verò doceat Henr. quænam sint illa, quæ debet vnusquisque addiscens præscire, vt ex ipsorum præcognitione deueniat ad cognitionem occultorum adducit ea summarie, quæ fusius per Philosophum traduntur. *Quæ autem Discipulus circa principia* debeat præcognoscere, nec querere ea cum addiscit, Philosophus, determinat primo post: de dignitate enim debet supponere, quia est, id est certam inherentiã prædicati ad subiectum, & sumit ibi dignitatem pro quolibet principio complexo, quod non est conclusio in scientia. De conclusione autem, cuius scientiam querit, debet habere duplicem notitiam, vnã quoad partes, quæ sunt incomplexa, scilicet subiectum, & passio, alterã quoad inherentiã passionis in subiecto. De subiecto autem oportet præcognoscere quid est, quod dicitur per nomen, & similiter si est non inexistentiã actuali exterius, sed sit res, & natura aliqua alicuius prædicamenti. De passione autem oportet præcognoscere quid est, quod per nomen dicitur tantum, non si est, quia hoc est, quod queritur scire de ea, &c.

Conclusio. *Omnis nostra cognitio fit ex præexistenti cognitione.*

Explicatur. Omnis primo addiscens aliquid, debet illud prius habere in potentia, & debet præcognoscere scientiarum principia, & habere præcognitas dignitates, subiectum, passionem, & aliquo modo conclusionem.

Est Henr. art. 1. q. 10. *Philosophus attendens motum Discipuli in scientiam per Doctorem dicit in principio posteriorum*

*omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua fit ex præxi-
senti cognitione.*

Probatur ratione sic. Nihil mouetur ad aliquid, nisi ha-
beat aliquid de eo, ad quod mouetur, Discens mouetur ad
scientiam: ergo habet aliquid scientiæ.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Sensum sentire nihil
præsentando: ergo intellectus debet intelligere nihil præintelli-
gendo.* Dicendum sensum, & intellectum, quoad aliqua omni-
no assimilari, quemadmodum quantum ad primam obiecti
perceptionem, tunc enim non solum intellectus sensui confor-
matur; sed etiam ab ipso dependet, & illius sequitur opera-
tionem, & sic ait Henr. art. 1. q. 2. *In prima cognitione intel-
lectus noster omnino sequitur sensum, nec est aliquid conceptum
in intellectu, quod non erat prius in sensu.* Pura tamen sunt,
in quibus intellectus à sensu discrepat; nam sensus apprehen-
dit quidem, quod verum est in re; sed non apprehendit veri-
tatem iudicando, hoc esse verum, vt ibidem subiungit Henr.
*Sensus enim etiam in Brutis apprehendit dæmon, quod verum est
in ea, vt verum hominem, verum lignum: sed tamen nullus rei
veritatem apprehendit, suæ cognoscit; propter quod de nullo
potest iudicare quod sit in rei veritate.* Sed intellectus è con-
uerso non solum cognoscit verum, sed etiam veritatem, com-
ponendo, & diuidendo, vt ibidem habet Henr. *Intellectus
veritatem non concipit simplici intelligentia, sed solum compo-
sitione, & diuisione, quod nullo pacto potest sensui conueni-
re.* In proposito non est comparandus sensui intellectus, si con-
sideretur intellectus ante habitum. Henr. art. 1. q. 10. ad ter-
tium ait. *Si comparatur intellectus ante habitum ad sensum.
non valet comparatio, nisi quoad simplicem apprehensionem,
& conceptum rei per suam speciem, hoc enim intellectui adue-
nit naturaliter, prima cognitio simplicis apprehensio
& sensui, sed in hoc non est intellectus contentus, se-
d ad cognoscendum id, quod latet in appre-*

comprehendendum veritatem rei apprehensa, & ea, qua in ipsa latens, ut sunt proprietates, accidentia contingencia, quod sensus non habet facere. In hoc non potest convenire intellectus cum sensu, sensus enim non habet necessariam precognitionem, qua indiget intellectus, qui est rationalis, & ideo subiungit Henricus. Hoc est nobilitatis, quam habet intellectus supra sensum, & ad hoc eget aliquo principio scientiali ad intelligendum veritatem in re, quali non indiget sensus ad solummodo comprehendendum id, quod est superficies tenus sensibile in re. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior concedendo illam in aliquibus, non in omnibus, ut neque in proposito.

Ad secundam cum dicitur. Quod est in potentia ad sciendum, non est sciens. Dicendum. Potentiam non esse carentiam omnis actus, sed solum illius, ad quem ordinatur, quam obrem dicit Henr. art. 1. q. 11. Materia propter potentiam, quam habet ad formas, non dicitur habere formam aliquam, neque esse ullo modo formata. Et tamen talis potentia non excludit actum entitativum, quem in materia recognoscit Henr. quodl. 4. q. 16. Dicendum, quod licet materia de se non habeat actum forma, habet tamen actum sue essentia, & existentia, in quantum est effectus Dei. Et ad talem actum non dicitur materia esse in potentia. Verum est, quod addiscens est in potentia ad scientiam conclusionum acquirendam, sed habet aliquid precognitum, respectu cuius in potentia esse non dicitur, & ita ait Henr. art. 1. q. 10. Sciens autem in potentia, qui cum vult vadit ad actum considerandi, non dicitur addiscens, & paulo post. Proprie sciens in potentia, qui est sciens in potentia, actui scilicet contraria, quando vadit ad scientiam, ex potentia alteratur in actum per se. Ad formam itaque argumenti. Distinguitur concedendo illam de scientia conclusionum, negando de nobilitate, & principijs. Potentiam cum addiscens venire ex nobilitate

gatione scientiæ. Dicendum benè ex Henr. adducto in argumento, dici in eo sensu hominem addiscentem, nihil præscire; sed subiungit alium modum de discente propriè sumpto, & tunc ait eodem art. 1. q. 10. *Dicendū igitur quod addiscere propriè sumptum oportet, quod sit motus, non ab ignorantia negationis ad scientiam, sed ab ignorantia dispositionis; Talis autem ignorantia ponit aliquid scientiæ, & ideo oportet omnem propriè addiscentem scire aliquid.* Ad formam itaque argumenti negatur maior.

A R T I C V L V S X V.

QVAESTIO II.

Utrum cognitio Principiorum sit naturalis.



PRO parte negativa Arguitur primo. *Cognitio terminorum inest nobis non à natura, sed est acquisita, at secundum Philosophum principia non cognoscuntur nisi in quantum cognoscimus terminos: ergo cognitio principiorum non est nobis naturalis. Minor est certa, nam intellectus prius concipit incompleta ex Henr. art. 1. q. 5. Mens primo naturaliter cognoscit terminos. Maior etiam est evidens; nam termini cognoscuntur per species à rebus acceptas; Vnde intellectus dicitur phantasmata speculari, & à sensu suam trahere cognitionem ex Henr. art. 1. q. 1. ad tertium. Signa, quæ sunt propria sensibilia alicuius sensus, id quod sunt ostendunt sensui proprio non decepto, nec impedito, & ad determinatam notitiam veritatis rei possunt intellectum inducere.*

Secundo arguitur. Quod à nobis habetur per experientiam, hoc non est à natura, sed prima principia habentur per experien-

rientiam: ergo non à natura. Maior patet, quia experientia est opus rationis non naturæ, supponit enim vim memoratiuam, quæ intellectualis est, & patet ex Henr. art. 1. quæst. 12. *Confusa notitia principiorum inquantum huiusmodi habetur primo via sensus memorie, & experientia.* Ex quo dicto remanet etiam probata minor.

Tertio arguitur. Si notitia primorum principiorum esset à natura, esset in omnibus æqualis, at hoc esse nequit: ergo nullo modo est à natura. Maior patet, nam quæ à natura sunt eodem modo sunt omnibus conuenientia, vt rationalitas in omnibus est æqualis, ex Henr. art. 2. q. 5. ad primum. *Non potest rationale suscipere magis, vel minus, quia species secundum se vna est, & æqualis omnibus indiuiduis.* Minor verò probatur, nam datur propositio per se nota omnibus, & per se nota sapientibus ex Henr. art. 1. q. 12. *Illa propositio est omnibus per se nota, cuius omnes terminos cognoscunt; Illa vero solum sapientibus, cuius terminos soli sapientes cognoscunt.* Quia scilicet eadem principia non æqualiter ab omnibus sunt cognoscibilia.

Notandum primo. Omnia, quæ in nobis acquiruntur alia esse innata, alia verò rationaliter acquisita secundum Henrici distinctionem art. 1. q. 11. *Aliquid, quod non est innatum, sed superueniens, & acquisitum dupliciter potest acquiri, vno modo naturaliter, alio modo rationaliter. Primo modo acquiris homo notitiam primorum principiorum tam in speculatiuis, quam in actiuis.* Sed talis acquisitio est minus propriè dicta, vt ibidem affirmat Henr. *Habitus autem principiorum similiter acquisitus est, sed naturaliter, &c.* Nam illa est vera, & propria acquisitio, quæ per industriam propriam habetur, & ideo per rationem, siue rationales potentias dicitur homo peruenire ad proprium acquisitum habitum scientificum. *Tali autem (subdit Henr.) notitia principiorum supposita, ex acquisitione tali, homo via inuestigationis rationalis totaliter per potentiam*

tiam naturalem rationis, ut est ratio, discurrendo acquiris sibi ex notitia illorum principiorum notitiam Conclusionum, & per hoc etiam habitum earum; quo de facili potest se homo cum vult conuertere super eas intelligendas, qui habitus dicitur scientia, & dicitur propriè habitus acquisitus, quia per rationis inuestigationem, & industriam aduenit. Habitus autem principiorum similiter acquisitus est, sed naturaliter. Nam si dicitur acquiri, dicitur solum ratione potentæ, in qua est intellectus ad ipsum recipiendam, de qua Henr. ibidem dixerat. Hæc igitur notitia in potentia sola nobis innata est. Appellando ergo acquisitum omne superueniens ei, quod innatum est, omnis notitia in habitu, & omnis notitia in actu acquisita est; &c. Quamobrem cum quæritur an prima principia sint nobis naturaliter nota, sic est intelligendum; vt non accipiatur ly naturaliter, vt contradistinguitur à quocumque acquisito, sed ab acquisito propriè sumpto; quatenus per rationalem vim aliquid naturæ superadditur, nimirum habitus rationali inuestigatione comparatus.

Notandum secundo. Circa primorum principiorum cognitionem diuersimode sese habere virtutes intellectiuas; nam Deus benedictus sine omni discursu, vnico simplici intuitu omnia intelligit vt Henr. affirmat art. 1. q. 12. *Deus scientiam & notitiam omnem de se, & rebus alijs habet absque omni acquisitione à rebus scitis, & absque omni conuersione super eas, & absque omni discursu ab vno in aliud; sed vno simplici intuitu in se ipso eque primo, & simul omnia cognoscit.* Alia vero intellectiualia tanto simplicius intelligunt, quanto sunt primo intellectiuo viciniora, & ideo Angeli cognoscunt quidem hoc post hoc, non tamen vnum ex altero, quod arguit discursum, ita fatetur ibidem Henr. *Angeli singula aequè primo intelligunt, non tamen vno simul intuitu simplici singula intelligendo, sicut Deus facit, sed vnum post alterum, secundum quod super res se conuertunt.* Sed homines habent per discursum intel-

intelligere Conclusiones ex principijs, cum intelligent vnum ex altero. *Homo autem cum sit in ultimo ordine intelligentiarum post primum, qui non habet aliquam notitiam sibi innatam, nisi in potentia solum, primo sibi naturaliter acquirit notitiam principiorum incomplexorum sub esse incompletissimo, & confuso magis. Et ratio huius est, quia semper debet procedere à magis notis nobis ad ea, quæ sunt secundum naturam notiora, & in intelligendis etiam primis principijs vnus homo magis altero (sine tamen discursu) dicitur ea penetrare, quatenus est vnus plus alio ingenij subtilitate præditus, ita Henr. testatur. Secundum quod homo magis est dispositus in lumine naturalis intellectus, & ingenij subtilitate, tanto perfectius prima principia tam complexa, quam incomplexa ab initio concipit, omnes tamen generaliter ab initio, ea sub esse confuso concipiunt, licet vnus magis distinctè, & minus confusè quam alter; Illud tamen maximè censeo notatu dignum, talem maiorem, vel minorem principiorum notitiam, non solum ex parte ipsorum intelligentium esse desumendam, sed etiam ex parte ipsorum principiorum, quorum vnus est magis altero cognoscibile. Ita docet Henr. art. 2. q. 6. *Patet discurrendo per singula, qualiter non omnia æquè certitudinaliter nata sunt sciri, sed quadam certius, quadam minus certè. Exemplificat autem de materia, & materialibus, quæ sunt minus certe cognoscibilia, quam abstracta à materia. Demonstrationis mathematica sunt in primo ordine certitudinis, & demonstrationes naturales sequuntur eas, & iterum inter mathematica tanto maiori certitudine nata sunt sciri, quanto magis sunt abstracta.**

Conclusio. Principiorum notitia est in nobis à natura.

Explicatur. Homo habet à natura inditam potentiam cognitiuam

gnitiam primorum principiorum, ex quibus cognitis habet, sibi habitum scientiæ comparare, deducendo scilicet rationali indagacione Conclusiones.

Est Henrici art. 1. q. 1. ad primum. *Principia per se primo, & immediatè cognoscuntur non per alia, quia non habent notiora se*, art. 1. q. 4. ad tertium. *Intellectus operatur ut natura circa propria obiecta, intelligendo scilicet prima principia tam in speculatiuis, quam in actiuis simplici intuitu. Statim cum ei offeritur obiectum, sinè omni discursu, & inuestigatione*, art. 1. q. 5. *Mens primo naturaliter cognoscit terminos, ex quorum collectione ad inuicem per intellectum componentem, & diuidentem consimiliter concipit naturaliter, sinè omni discursu primas conceptiones intelligibilium complexorum, ut quod totum est maius sua parte, si ab equalibus equalia demas, quæ relinquuntur remanent equalia. De quolibet affirmatio, vel negatio, & non simul de eodem*, art. 1. q. 10. *Sunt prima cognita habita naturaliter in quolibet genere entium. Et ex professo art. 1. q. 11. Dicendum ad questionem, quod notitia procedens scientiam, acquisitam per inuestigationem, quantum ad notitiam in potentia, principij scientialis est notitia naturalis innata, nullo modo acquisita.*

Probatur ratione sic. Desiderium sciendi fundatur in aliqua notitia naturali; sed hæc non est nisi in potentia circa prima principia; ergo cum homo naturaliter desideret scire, talem naturalem principiorum notitiam potentialem habet.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Principia cognoscuntur post cognitionem terminorum; termini autem cognoscuntur per naturalem indagacionem.* Dicendum utique principia præsupponere terminorum suorum notitiam, ita tamen, ut non sit terminorum notitiæ, nisi per simplicem apprehensionem; quamobrem Henr. illam vocat cognitionem etiam naturalem innatam, quemadmodum est ipsa notitia principiorum, ita art. 1. q. 11. ad secundum. Henr. *In nobis non est aliqua notitia*

pra.

præcedens notitiam principiorum, neque secundum actum, neque secundum habitum; sed ipsa naturaliter est acquisita, & eam solum præcedit notitia potentialis innata. Cognitio terminorum, licet ex parte intelligentis dicatur ad cognitionem principiorum præsupponi; attamen secundum se non est differens à principiorum notitia in nobis innata. Ad formam itaque argumenti negatur maior de terminis principiorum, & de acquisitione propriè dicta.

Ad secundam cum dicitur. *Principia cognoscibilia esse per experientiam: ergo per indagationem naturalem.* Dicendum, non dici circa principia scientiarum prima, dari experientiam, cum experientia non sit nisi circa singularia, ut Henr. art. 1. q. 12. fatetur. *Experientia, quæ consistit in singularibus, in quorum notitia non consistit ars, aut scientia, Artifex enim uniuersale, & causam cognoscit, Expertus autem nescit singulare tantum, & causam ignorat.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam cum dicitur. *Notitia principiorum non est æqualis in omnibus: ergo non est à natura.* Dicendum, Rationale posse considerari, vel ratione speciei, ut offertur in argumento, ex Henr. art. 2. q. 5. ad primum, & sic bene dicitur non suscipere magis, & minus, si verò ratione. *Individui* (ait Henr. ibidem) *cum se teneat ex parte corporis, & materiae hoc modo in individuo rationale bene potest suscipere magis, & minus, secundum quod vnus homo ex parte organorum sensitiuorum magis est aptus ad intelligendum, & ratiocinandum, quam alter.* Adde etiam inter ipsa intelligibilia aliqua esse magis, vel minus talia, ut in notabili di-

ctum est.

∴

unionem suam cum corpore, sed ex corporis umbratione impediri ab usu eorum, & ea tradere obliuioni, quoad usum, & actum sciendi in particulari, retinendo tamen habitus omnes sciendi in particulari, sed usum, & actum sciendi solum in uniuersali, &c. Et post pauca, & per hunc modum posuit Plato in Menone, quod scire, vel addiscere nihil aliud erat, quam reminisci, secundum quod recitat Philosophus in 1. Posteriorum, sicut facit etiam Augustinus. Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est uixisse animas hominum, antequam corpora generarentur, & hinc esse, quod ea, quæ discuntur, reminiscantur potius cognita, quam cognoscantur noua. Ita Henr. ibidem, qui Platonis opinionem ab errore reuocare conatus ad bonum sensum illam trahit, & idè subiungit. Circa positionem autem Platonis, quia non usquequaque errabat, &c. Et rationem reddit. quare Plato errauerit dicens. Posuit animas ante corpora uixisse separatas, & unionem corporum obumbratas; re uera ex corporis cognitione animæ nostræ sunt obnubilata non obnubilatione occultante aliquam noticiam latentem in eis, ut posuit Plato, sed impediente receptionem illustrationis diuinæ, & notitiæ ueritatis sinceræ, quam ab initio impedit omnino. Est autem Aristotelis positio, quod ea, quæ à nobis priuò intelliguntur partim sunt in anima naturaliter, & partim per actionem extrinsecam, ut ibidem refert Henr. Est opinio media Aristotelis, quæ ponit omnes formas huiusmodi esse in materia, & subiecto, habere partim ab intrâ à natura, & partim ab extrinseca actione, partim ab intra ponebat Aristoteles omnes huiusmodi formas præexistere in subiecto scilicet in potentia, & partim ab extra scilicet per agens subiectum transformans, ut forma, quæ in ipso prius erat in potentia, fiat in actu.

Notandū secundo. Illum, qui propriè dicitur addiscere, debere semper præscire prima scientiarum principia, ex quibus scientificè conclusiones deducat. Vnde Henr. art. 1. q. 10. *Ait oportet discipulum præscire prima scientiarum principia, secundum quod*

quod dicit Philosophus 4. *Metaphysicorum oportet addiscentem aliquid primum scire ista, & non querere ea, cum quaeretur ab eo de eis, & ideo horum principiorum notitiam comparauit, z. Metaphysicorum loco Ianua in Domo, quam nullus ignorat, qui ad intrandum Domum tendit, quia per illam ingreditur homo ad cognoscendum secretiora Domus, quae ignorat; ut verò doceat Henr. quænam sint illa, quæ debet vnusquisque addiscens præscire, ut ex ipsorum præcognitione deueniat ad cognitionem occultorum adducit ea summarie, quæ fusius per Philosophum traduntur. Quæ autem Discipulus circa principia debeat præcognoscere, nec querere ea cum addiscit, Philosophus, determinat primo post: de dignitate enim debet supponere, quia est, id est certam inherensiam predicati ad subiectum, & sumit ibi dignitatem pro quolibet principio complexo, quod non est conclusio in scientia. De conclusione autem, cuius scientiam querit, debet habere duplicem notitiam, vnã quoad partes, quæ sunt incomplexa, scilicet subiectum, & passio, alteram quoad inherensiam passionis in subiecto. De subiecto autem oportet præcognoscere quid est, quod dicitur per nomen, & similiter si est non in existentiã actuali exterius, sed sit res, & natura aliqua alicuius predicamenti. De passione autem oportet præcognoscere quid est, quod per nomen dicitur tantum, non si est, quia hoc est, quod queritur scire de ea, &c.*

Conclusio. *Omnis nostra cognitio fit ex præexistenti cognitione.*

Explicatur. Omnis primo addiscens aliquid, debet illud prius habere in potentia, & debet præcognoscere scientiarum principia, & habere præcognitas dignitates, subiectum, passionem, & aliquo modo conclusionem.

Est Henr. art. 1. q. 10. *Philosophus attendens mosum Discipuli in scientiam per Doctorem dicit in principio posteriorum,*

*omnis doctrina, & omnis disciplina intellectuiva fit ex præxi-
flenti cognitione.*

Probatur ratione sic. Nihil mouetur ad aliquid, nisi ha-
beat aliquid de eo, ad quod mouetur, Discens mouetur ad
scientiam: ergo habet aliquid scientiæ.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Sensum sentire nihil
præsentiendo: ergo intellectus debet intelligere nihil præintelli-
gendo.* Dicendum sensum, & intellectum, quoad aliqua omni-
no assimilari, quemadmodum quantum ad primam obiecti
perceptionem, tunc enim non solum intellectus sensui confor-
matur; sed etiam ab ipso dependet, & illius sequitur opera-
tionem, & sic ait Henr. art. 1. q. 2. *In prima cognitione intel-
lectus noster omnino sequitur sensum, nec est aliquid conceptum
in intellectu, quod non erat prius in sensu.* Plura tamen sunt,
in quibus intellectus à sensu discrepat; nam sensus apprehen-
dit quidem, quod verum est in re; sed non apprehendit veri-
tatem iudicando, hoc esse verum, ut ibidem subiungit Henr.
*Sensus enim etiam in Brutiis apprehendit id, quod verum est
in ea, et verum hominem, verum lignum; sed tamen nullius rei
veritatem apprehendit, siue cognoscit; propter quod de nullo
potest iudicare quod sit in rei veritate.* Sed intellectus è con-
uerſo non solum cognoscit verum, sed etiam veritatem, com-
ponendo, & diuidendo, ut ibidem habet Henr. *Intellectus
veritatem non concipit simplici intelligentia, sed solum compo-
sitione; & diuisione;* quod nullo pacto potest sensui conueni-
re. In proposito non est comparandus sensui intellectus, si con-
sideretur intellectus ante habitum. Henr. art. 1. q. 10. ad ter-
tium ait. *Si comparatur intellectus ante habitum ad sensum.
non valet comparatio, nisi quoad simplicem apprehensionem,
& conceptum rei per suam speciem, hoc enim intellectui adue-
nit naturaliter, prima cognitio simplicis apprehensionis sicut,
& sensui, sed in hoc non est intellectus contentus, sed ulterius va-
dit ad cognoscendum id, quod latet in apprehenso, scilicet ad*

com-

comprehendendum veritatem rei apprehensa, & ea, qua in ipsa latent, ut sunt proprietates, accidentia contingentia, quod sensus non habet facere. In hoc non potest convenire intellectus cum sensu, sensus enim non habet necessariam præcognitionem, qua indiget intellectus, qui est rationalis, & ideo subiungit Henricus. Hoc est nobilitatis, quam habet intellectus supra sensum, & ad hoc eget aliquo principio scientiali ad intelligendum veritatem in re, quali non indiget sensus ad solummodo comprehendendum id, quod est superficialiter sensibile in re. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior concedendo illam in aliquibus, non in omnibus, ut neque in proposito.

Ad secundam cum dicitur. *Quod est in potentia ad sciendum, non est sciens.* Dicendum. Potentiam non esse carentiam omnis actus, sed solum illius, ad quem ordinatur, quam obrem dicit Henr. art. 1. q. 11. *Materia propter potentiam, quam habet ad formas, non dicitur habere formam aliquam, neque esse ullo modo formata.* Et tamen talis potentia non excludit actum entitativum, quem in materia recognoscit Henr. quodl. 4. q. 16. *Dicendum, quod licet materia de se non habeat actum formam, habet tamen actum suæ essentia, & existentia, in quantum est effectus Dei.* Et ad talem actum non dicitur materia esse in potentia. Verum est, quod addiscens est in potentia ad scientiam conclusionum acquirendam, sed habet aliquid præcognitum, respectu cuius in potentia esse non dicitur, & ita ait Henr. art. 1. q. 10. *Sciens autem in potentia, qui cum vult vadit ad actum considerandi, non dicitur addiscens, & paulo post. Proprie sciens in potentia, qui est sciens in potentia, actui scilicet contraria, quando vadit ad scientiam, ex potentia alteratur in actum per doctrinam.* Ad formam itaque argumenti. Distinguitur maior, concedendo illam de scientia conclusionum, negando de præcognitis, & principijs.

Ad tertiam cum dicitur. *Omni addiscens venire ex negatione.*

gatione scientiæ. Dicendum benè ex Henr. adducto in argumento, dici in eo sensu hominem addiscentem, nihil præscire; sed subiungit alium modum de discente propriè sumpto, & tunc ait eodem art. 1. q. 10. *Dicendū igitur quod addiscere propriè sumptum oportet, quod fit motus, non ab ignorantia negationis ad scientiam, sed ab ignorantia dispositionis; Talis autem ignorantia ponit aliquid scientiæ, & ideo oportet omnem propriè addiscentem scire aliquid.* Ad formam itaque argumenti negatur maior.

A R T I C V L V S X V.

QVAESTIO II.

Utrum cognitio Principiorum sit naturalis.



PR O parte negativa Arguitur primo. *Cognitio terminorum inest nobis non à natura, sed est acquisita, ac secundum Philosophum principia non cognoscuntur nisi in quantum cognoscimus terminos: ergo cognitio principiorum non est nobis naturalis.* Minor est certa, nam intellectus prius concipit incomplexa ex Henr. art. 1. q. 5. *Mens primo naturaliter cognoscit terminos.* Maior etiam est evidens; nam terminū cognoscuntur per species à rebus acceptas; Vnde intellectus dicitur phantasmata speculari, & à sensu suam trahere cognitionem ex Henr. art. 1. q. 1. ad tertium. *Signa, quæ sunt propria sensibilia alicuius sensus, id quod sunt ostendunt sensui proprio non decepto, nec impedito, & ad determinatam notitiam veritatis rei possunt intellectum inducere.*

Secundo arguitur. Quod à nobis habetur per experientiam, hoc non est à natura, sed prima principia habentur per experien-

rientiam: ergo non à natura. Maior patet, quia experientia est opus rationis non naturæ, supponit enim vini memoratiuam; quæ intellectuualis est, & patet ex Henr. art. 1. quæst. 12. *Confusa notitia principiorum in quantum huiusmodi habetur primo via sensus memoria, & experientia.* Ex quo dicto remanet etiam probata minor.

Tertio arguitur. Si notitia primorum principiorum esset à natura, esset in omnibus æqualis, at hoc esse nequit: ergo nullo modo est à natura. Maior patet, nam quæ à natura sunt eodem modo sunt omnibus conuenientia, vt rationalitas in omnibus est æqualis, ex Henr. art. 2. q. 5. ad primum. *Non potest rationale suscipere magis, vel minus, quia species secundum se vna est, & æqualis omnibus indiuiduis.* Minor verò probatur, nam datur propositio per se nota omnibus, & per se nota sapientibus ex Henr. art. 1. q. 12. *Illā propositio est omnibus per se nota, cuius omnes terminos cognoscunt; Illā vero solum sapientibus, cuius terminos solum sapientes cognoscunt.* Quia scilicet eadem principia non æqualiter ab omnibus sunt cognoscibilia.

Notandum primo. Omnia, quæ in nobis acquiruntur alia esse innata, alia verò rationaliter acquisita secundum Henrici distinctionem art. 1. q. 11. *Aliquid, quod non est innatum, sed superueniens, & acquisitum dupliciter potest acquiri, vno modo naturaliter, alio modo rationaliter. Primo modo acquirit homo notitiam primorum principiorum tam in speculatiuis, quam in actiuis.* Sed talis acquisitio est minus propriè dicta, vt ibidem affirmat Henr. *Habitus autem principiorum similiter acquisitus est, sed naturaliter, &c.* Nam illa est vera, & propria acquisitio, quæ per industriam propriam habetur, & ideo per rationem, siue rationales potentias dicitur homo peruenire ad proprium acquisitum habitum scientificum. *Talis autem (subdit Henr.) notitia principiorum supposita, ex acquisitione tali, homo via inuestigationis rationalis totaliter per potentiam.*

tiam naturalem rationis, ut est ratio, discurrendo acquirit sibi ex notitia illorum principiorum notitiam Conclusionum, & per hos etiam habitum earum; quo de facili potest se homo cum vult conuertere super eas intelligendas, qui habitus dicitur scientia, & dicitur propriè habitus acquisitus, quia per rationis inuestigationem, & industriam aduenit. *Habitus autem principiorum similiter acquisitus est, sed naturaliter.* Nam si dicitur acquiri, dicitur solum ratione potentæ, in qua est intellectus ad ipsum recipiendam, de qua Henr. ibidem dixerat. *Hæc igitur notitia in potentia sola nobis innata est. Appellando ergo acquisitum omne superueniens ei, quod innatum est, omnis notitia in habitu, & omnis notitia in actu acquisita est; &c.* Quamobrem cum quæritur an prima principia sint nobis naturaliter nota, sic est intelligendum, ut non accipiatur ly naturaliter, ut contradistinguitur à quocumque acquisito, sed ab acquisito propriè sumpto; quatenus per rationalem vim aliquid naturæ superadditur, nimirum habitus rationali inuestigatione comparatus.

Notandum secundo. Circa primorum principiorum cognitionem diuersimode sese habere virtutes intellectiuas; nam Deus benedictus sine omni discursu, vnicò simplici intuitu omnia intelligit ut Henr. affirmat art. 1. q. 12. *Deus scientiam & notitiam omnem de se, & rebus alijs habet absque omni acquisitione à rebus scitis, & absque omni conuersione super eas, & absque omni discursu ab vno in aliud, sed vno simplici intuitu in se ipso æque primo, & simul omnia cognoscit.* Alia vero intellectualia tanto simplicius intelligunt, quanto sunt primo intellectu viciniora, & ideo Angeli cognoscunt quidem hoc post hoc, non tamen vnum ex altero, quod arguit discursum, ita faterur ibidem Henr. *Angeli singula æque primo intelligunt, non tamen vnos simul intuitu simplici singula intelligendo, sicut Deus facit, sed vnum post alterum, secundum quod super res se conuertunt.* Sed homines habent per discursum intel-

intelligere Conclusiones ex principijs, cum intelligent vnum ex altero. *Homo autem cum sit in ultimo ordine intelligentiarum post primum, qui non habet aliquam notitiam sibi innatam, nisi in potentia solum, primo sibi naturaliter acquirit notitiam principiorum incomplexorum sub esse incompletissimo, & confuso magis. Et ratio huius est, quia semper debet procedere à magis notis nobis ad ea, quæ sunt secundum naturam notiora, & in intelligendis etiam primis principijs vnus homo magis altero (sine tamen discursu) dicitur ea penetrare, quatenus est vnus plus alio ingenij subtilitate præditus, ita Henr. testatur. Secundum quod homo magis est dispositus in lumine naturalis intellectus, & ingenij subtilitate, tanto perfectius prima principia tam complexa, quam incomplexa ab initio concipit, omnes tamen generaliter ab initio, ea sub esse confuso concipiunt, licet vnus magis distinctè, & minus confuse quam alter; Illud tamen maximè censeo notatu dignum, talem maiorem, vel minorem principiorum notitiam, non solum ex parte ipsorum intelligentium esse desumendam, sed etiam ex parte ipsorum principiorum, quorum vnum est magis altero cognoscibile. Ita docet Henr. art. 2. q. 6. *Patescitur discurrendo per singula, qualiter non omnia æquè certitudinaliter nata sunt sciri, sed quaedam certius, quaedam minus certè. Exemplificat autem de materia, & materialibus, quæ sunt minus certe cognoscibilia, quam abstracta à materia. Demonstrationis mathematicæ sunt in primo ordine certitudinis, & demonstrationes naturales sequuntur eas, & iterum inter mathematica tanto maiori certitudine nata sunt sciri, quanto magis sunt abstracta.**

Conclusio. *Principiorum notitia est in nobis à natura.*

Explicatur. Homo habet à natura inditam potentiam cognitiuam

A a a

gnitiuam

gnitiuam primorum principiorum, ex quibus cognitio habet, sibi habitum scientiæ comparare, deducendo scilicet rationali indagacione Conclusiones.

Est Henrici art. 1. q. 1. ad primum. *Principia per se primo, & immediatè cognoscuntur non per alia, quia non habent notiora se*, art. 1. q. 4. ad tertium. *Intellectus operatur ut natura circa propria obiecta, intelligendo scilicet prima principia tam in speculatiuis, quam in actiuis simplici intuitu. Statim cum ei offertur obiectum, sinè omni discursu, & inuestigatione*, art. 1. q. 5. *Mens primo naturaliter cognoscit terminos, ex quorum collectione ad inuicem per intellectum componentem, & diuidentem consimiliter concipit naturaliter, sinè omni discursu primas conceptiones intelligibilium complexorum, ut quod totum est maius sua parte, si ab equalibus equalia demas, qua relinquuntur remanent equalia. De quolibet affirmatio, vel negatio, & non simul de eodem*, art. 1. q. 10. *Sunt prima cognita habita naturaliter in quolibet genere entium. Et ex professo art. 1. q. 11. Dicendum ad quæstionem, quod notitia procedens scientiam, acquisitam per inuestigationem, quantum ad notitiam in potentia, principij scientialis est notitia naturalis innata, nullo modo acquisita.*

Probatum ratione sic. Desiderium sciendi fundatur in aliqua notitia naturali; sed hæc non est nisi in potentia circa prima principia: ergo cum homo naturaliter desideret scire, talem naturalem principiorum notitiam potentialem habet.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Principia cognoscuntur post cognitionem terminorum; termini autem cognoscuntur per naturalem indagacionem.* Dicendum utique principia præsupponere terminorum suorum notitiam, ita tamen, ut non sit terminorum notitia, nisi per simplicem apprehensionem; quamobrem Henr. illam vocat cognitionem etiam naturalem innatam, quemadmodum est ipsa notitia principiorum, ita art. 1. q. 11. ad secundum. Henr. *In nobis non est aliqua notitia*
præ.

præcedens notitiam principiorum, neque secundum actum, neque secundum habitum; sed ipsa naturaliter est acquisita, & eam solum præcedit notitia potentialis innata. Cognitio terminorum, licet ex parte intelligentis dicatur ad cognitionem principiorum præsupponi; attamen secundum se non est differens à principiorum notitia in nobis innata. Ad formam itaque argumenti negatur maior de terminis principiorum, & de acquisitione propriè dicta.

Ad secundam cum dicitur. Principia cognoscibilia esse per experientiam: ergo per indagacionem naturalem. Dicendum, non dici circa principia scientiarum prima, dari experientiam, cum experientia non sit nisi circa singularia, ut Henr. art. 1. q. 12. fatetur. Experientia, quæ consistit in singularibus, in quorum notitia non consistit ars, aut scientia, Artifex enim uniuersale, & causam cognoscit, Expertus autem nescit singulare tantum, & causam ignorat. Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam cum dicitur. Notitia principiorum non est æqualis in omnibus: ergo non est à natura. Dicendum, Rationale posse considerari, vel ratione speciei, ut affectur in argumento, ex Henr. art. 2. q. 5. ad primum, & sic benè dicitur non suscipere magis, & minus, si verò ratione. Individui (ait Henr. ibidem) cum se teneat ex parte corporis, & materia hoc modo in individuo rationale bene potest suscipere magis, & minus, secundum quod, unus homo ex parte organorum sensitivorum magis est aptus ad intelligendum, & ratiocinandum, quam alter. Adde etiam inter ipsa intelligibilia aliqua esse magis, vel minus talia, ut in notabili dictum est.

ARTICVLVS XV.

QVAESTIO III.

Vtrum detur in nobis notitia certa :



RO parte negatiua Arguitur primo. Omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, sed sensus non est certus: ergo cognitio nostra non est certa. Maior est Philosophi 2. Posteriorum, 3. de Anima, & 1. Metaphysicorum, eamque sapius repetit Henr. quodl. 4. q. 21. *Anima rationalis indiget adminiculo sensuum intelligere.* Minor est eiusdem art. 2. q. 1. *Facillimè decipiuntur sensus.*

Secundo arguitur. Quæ certo sunt cognoscibilia debent esse permanentia, & æternæ veritatis: sed nulla Creatura est huiusmodi: ergo nulla Creatura est cognoscibilis certa, & infallibili cognitione. Maior est euidens, nam scientia debet esse de rebus, quæ aliter se habere non possint, & ideo de vniuersalibus debet esse ex Henr. art. 6. q. 1. ad secundum. *Quilibet scientia est de vniuersalibus.* Minor autem ex eo constat, quia omne creatum est in continuo fluxu, & singulare existens; vnde Henr. quodl. 5. q. 1. 1. *Quancumque Creatura habes perfectum esse à Deo, semper tamen habes potentiam ad non esse.*

Tertio. Vbi habetur obscuritas, ibi & incertitudo est ponenda, sed nostra cognitio est omnino obscura: ergo & incerta. Maior patet certitudo enim scientiæ, & cognitionis solet luci comparari, vt habet Henr. quodl. 4. q. 21. ex Commentatore. *Respectus agentis ad intellectum materiale est sicut respectus lucis ad diaphanum.* Minor vero est indubitata ex Phi-

Philosopho 2. Metaphysicorum ait. *Dispositio intellectus nostri apud illud, quod est valdè manifestum in natura, similis est dispositioni oculorum vespersionis ad lucem solis. Quod dictum affert Henr. art. 2. q. 4. Propter quod Philosophus 2. Metaphysicorum assimilavit virtutem intellectus in comprahendendo secundum certitudinem intelligibilia abstracta, quæ sunt summè intelligibilia debilissimo visui in comprahendendo maxime visibile, scilicet solem, &c.*

Notandum primo. Certitudinem ita esse de scientiæ cuiuscunque quidditate, & essentia, vt impossibile omnino sit, habitum aliquem vocari scientificum, qui certitudine careat; ita Henr. art. 2. q. 2. *Scientia ergo cuiuscunque sit, aut certa est in aliquo genere certitudinis, aut scientia non est.* Et idcirco Antiquiores illi Academici, contra quos disputat Augustinus, negabant scientiam, non quia negarent omninò notitiam aliqualem, sed quia negabant certum aliquid sciri posse, vt observabat Henr. art. 2. q. 1. *Ponendum quod contingit hominem non solum scire; quod quodammodo concedebant Academici, sed & certitudinaliter scire, quod omnino negabant, & eodem art. q. 2. deducit ex tali negatione, negationem omnimodam scientiæ in Academicis. Academici, quia omnia credebant esse incerta, & tanta errorum tenebris circumdata, vt de nullo posset homo certam notitiam habere, scientiam omnino negabant.* Distinguendum tamen est de certitudine. Quædam enim est certitudo, quæ solum expertis erroris vocari potest, quatenus scilicet certo sciens tali pacto omnis formidinis negationem habet; Alia vero est certitudo, quæ in formali veritatis visione consistit, quatenus sciens habet eius, quod cognoscit, notitiam talem, qualem habet, qui lumen solis oculo corporeo percipit. Distinctionem hanc habet Henr. eodem art. 2. quæst. 1. *Intelligendum est, quod certa notitia duplex est, secundum duas, quæ faciunt notitiam certam, quorum unum est, quod sit libera ab omni errore; Alterum, quod sit in aperta veritatis visione.*

Pri-

Primo modo certitudinis habetur certitudo humanæ scientiæ; secūdo autē non habetur, nisi aspiciēdo ad increatū exemplar, quod est causa rei; & sic habetur cognitio in futura vita non autem in præsentī, ut concludit ibidem Henr. *Secundum communem statum non contingit scire aliquid aspiciendo ad exemplar increatum, ut ad obiectum, in præsentī vita, sed solum in futura, sed primo modo habetur ex primis principijs speculabilium. Ad quem (ait Henr.) potest attingere actiōe præcisā naturalium virium Anima, aspiciendo ad solum exemplar creatum abstractum à re.*

Notandum secundo. Scientiarum certitudinem ab obiectis præcipuè esse desumendam, ex eo enim vna scientia dicitur altera certior, quia certius est obiectum vnius, quam alterius, ut veritas vnius rei est magis apta ad mouendum vnum intellectum, quam alterum, ex Henr-art. 2. q. 5. ad secundum. *Scientia de vna re potest esse certior, quam de alia in vno, & eodem, quia veritas vna magis nata est mouere intellectū, quā alia, & similiter scientia de vna, & eadem re potest esse certior in vno, quam in alio, quia veritas eadem magis nata est mouere intellectum vnius, quam alterius.* Quod fusius art. eodem q. 6. explicat, aduertens ita se habere rem ad veritatem, sicut se habet ad esse ex Philosopho. *Vnumquodque ergo sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem.* Quanto igitur res qualibet magis fuerit perfectā in esse, tanto magis erit perfectā in veritate. Et quidem bene hoc potest dici, quia in tantum aliquid est verum, in quantum est ens, ut habet Henr. ibidem. *Id quod significat essentiam cuiuslibet, hoc est finis cognitionis, & esse rei, &c.* Et idcirco ponit Henr. differentiam cognitionis scientificæ ex parte actus intelligendi, & ex parte ipsius rei intellectæ; dicendo, quod ex parte modi intelligendi vna veritas eadem potest magis, vel minus mouere eundem intellectum, & magis mouere vnum quam alium; at ex parte rei intellectæ non ita. affert differentiam hanc eodem art. 2. q. 4. ad primum.

Plus,

Plus, & minus intelligere potest determinare actum intelligendi, vel respectu rei intellectæ, sic non potest eadem res secundum plus, & minus intelligi à diuersis, quia non habet esse in se ipsa secundum plus, & minus in veritate, sicut neque in esse; quare neque in cognitione; quod enim signat essentiam cuiuslibet, hoc fuit cognitionis, & esse rei, ut dicitur 5. Metaph. Sed ex parte modi intelligendi habetur maior, vel minor certitudo extensiuè, & intensiuè, ut ibidem explicat Henr. Extensiuè hoc contingit, quando vnus particulas quidditatis, & essentia rei; quam ratio distinguit, distinctius intelligit, quam alter. Intensiuè quando vnus limpidius videt id, quod est veritatis rei, quam alter, in quantum profundius visu intellectuâli vnus eam penetrat, quam alter.

Conclusio . Datur in nobis notitia certa .

Explicatur . Notitia principiorum est maximè certa, licet ex ipsis principijs alia sint alijs certiora; & idem principium ex parte modi intelligendi possit diuersimodè intellectum mouere, Immo, & notitia eorum, quæ ex principijs deducuntur, habet suam certitudinem .

Est Henrici art 2. q. 1. *Cum hominem contingit habere notitiam primorum principiorum; qua sunt notissima in sua veritate, & certissima, ita quod in illis non contingit eum errare, & ex illis via rationalis deductionis contingit eum scire posteriora, in quibus similiter non contingit errare, postquam intellectus videt ea. reducta in principia, & talis notitia certa est, &c.*

Probatur ratione. Illa habent suæ cognoscibilitatis certitudinem, quæ secundum suam quidditatem possunt mouere intellectum, sed principia, & ex ipsis deducibilia sunt. huiusmodi ergo habent certitudinem notitiæ .

Ad primam obiectionem cum dicitur . *Sensus facile decipitur.*

cur cognitio autem nostra per sensum est. Dicendum, Intellectum cognitionem necessariò dum sumus in hoc viç statu à phantasmatis dependere; vt bene in argumento adducitur ex Henrico debeat Anima coniuncta, sensuum beneficio species à rebus accipere, & per virtutem intellectus agentis eas depurare, vt possibilis intellectus illis informatus intelligat, sed cum dicitur sensum decipi, & ad sensus deceptionem, sequi intellectum falsa concipere; sciendum est, quod vbiicumque errat sensus, solet per rationis iudicium corrigi, quare intelligit homo non per species sensibiles, sed per species intelligibiles à sensibilibus abstractas, ita respondet Henr. art. 2. q. 1. ad primum. *Certitudo aliqua veritatis ex sensibus haberi potest, non stando in sensibus, & eorum iudicio, quia facillime decipiuntur sensus, sed per intellectum intelligibilem speciem quantum possibile est; depuratum à sensibus abstrahendo; & ibi penes se iudicando.* Ad formam itaque argumenti distinguitur minor, vt plurimum enim sensus est certus, sed, vbi deficit, ab intellectu corrigitur.

Ad secundam cum dicitur. *Nulla Creatura est aterna, veritatis, cum non sit necesse suum esse.* Dicendum Henricum loco adducto dicere quidem Creaturam, quantum de se est, habere naturalem defectibilitatem, si Deus ab ipsa mantenentiam amoueat; concludere tamen etiam Creaturam habere quidem instabilitatem respectu Dei, à cuius perfectione deficit; sed tamen secundum se esse stabilem, & fixam. Ita Henr. ait quodl. 5. q. 11. *Non obstante enim, quod esse Creatura simplex sit, & simul ipsum deficit omnino à simplicitate, & similitate esse Dei, tamquam non habens esse fixum, vt stabile respectu esse Dei, immo fluidum omnino, & mutabile. Non quod semper fluat, & mutetur; sed quod esse eius fixationem, & stabilitatem suam ex se non habet, sed ab alio.* Quia tamen tangitur in probatione Minoris, existentia, quæ cum ad singularia, videatur pertinere, difficultatem facit, quatenus omnia sunt

cor-

corruptibilia, in quo sensu loquebantur Academici; Dicendum ad hoc, de singularibus non dari scientiam, ut sunt in fluxu continuo, sed ut habent esse conueniens sub vna vniuersali natura, & quidditate, & sic habetur scientiæ, cuiuscumque certitudo, ut bene Henr. art. 2. q. 2. ad primum. *Naturalia sunt in continuo fluxu. Dicendum, quod verum est in ipsis particularibus, non autem in vniuersalibus abstractis ab ipsis, quæ manent in mente, secundum quod de ipsis est certa scientia, qualitercumque particularia mutantur. Non enim est scientia, de rebus in quantum sunt extra in effectu, sed in quantum natura, & quidditas earum à mente est comprehensa, siue res sint extra, siue non.* Ad formam itaque argumenti distinguitur minor, Creaturæ enim in vniuersali sunt stabiles licet non in particulari.

Ad tertiam cum dicitur. *Intellectus noster est sicut oculus vesperilionis, & incertus.* Dicendum, In nobis esse quodammodo veritatem obscuram, quia ut inquit Henr. art. 2. q. 1. ad primum. *Veritas in nobis fit impura, quando est phantasmatis obumbrata.* Sed talis obscuritas non est omnimoda, & totalis. Conceditur intellectui nostro circa substantias abstractas, & circa ea, quæ sunt manifestissima in natura aliqua obscuritas, sed cum obscuritate huiusmodi stat cognitio certa, non perfecta, qualis erit in contemplatione exemplaris increati, sed quatenus solum est sine erroris formidine, aspiciendo ad creatum exemplar. Cognitio huiusmodi obumbrata, sed suam habens certitudinem habetur ab Henrico art. 2. q. 2. ad tertium. *Homo pro eo tantillo, quod notitiam habet de eis (idest substantijs separatis) bene potest habere notitiam certam sine omni scrupulo erroris, non enim est solum certitudo notitiæ, quia clara, sed quia ab errore libera.* Vnde Vespertilio certa potest esse de sole, quia lucet, licet hunc clarè videre non possit. Ad formam itaque argumenti negatur maior.

ARTICVLVS XV.

QVÆSTIO IV.

Utrum contingat hominem ab alio addiscere.



PRO parte negatiua Arguitur primo. Cognitio intellectualis fit per speciem intelligibilem, sed homo nequit in alio homine speciem intelligibilem producere: ergo nequit illum docere. Maior est certa; nam potentia intellectiua debet per speciem informari, & determinari ad tale obiectum intelligendum, vt affirmat Henr. quodl. 4. q. 7. *Verum est, quod potentiam intellectus oportet determinari ad intelligibile, ad hoc vt ipsum intelligat, & quod hoc sit semper per speciem intelligibilem informantem intellectum.* Minor vero patet, nam homo non potest attingere nisi sensibilia, ex eodem Henr. art. 1. q. 6. ad primum; signa, sub esse particulari quo proponuntur à Doctore non excedunt sensum, &c.

Secundo arguitur. Homo docens deberet per scientiam assimilare sibi addiscentem; sed scientia non est qualitas actiua, per quam possit hoc facere: ergo nullo pacto. Homo potest hominem docere. Maior est euidens, nam omne agens sibi effectum suum assimilare studet ex Henr. art. 27. quæst. 2. *Omne agens quantumcumque contrarium agit in finem, in quantum simile: agens autem in quantum simile non producit nisi simile.* Minor etiam conceditur ab Henr. eodem art. 1. q. 6. ad septimum. *Nec intendimus, quod Doctor per modum agens naturalis per scientiam suam generet scientiam in discipulo.*

Ter-

Tertio arguitur. Signa, quæ à Doctore proponuntur, vel sunt scita prius, vel ignorata, sed neutro modo ad docendum conferunt: ergo non potest homo hominem docere. Maior ex sufficienti diuisione est euidens. Minor verò probatur, nam si iam sunt scita ea, quæ per talia signa demonstrantur, non dicitur Discipulus scientiam acquirere, cum omnis acquisitio, & appetitus præsupponat priuationem eius, quod acquiritur ex Henr. quodl. 9. q. 16. *Amota priuatione tollitur omnis appetitus materiæ, & omnis aptitudo eius ad aliam formam quam illa, qua est informata.* Si vero sunt ignota iam sunt inutilia, nam appetitus sciendi oritur ex effectu cognito, vt eius causam inquiramus, vt habet Henr. art. 4. q. 5. *Semper enim effectus cognitus incitat appetitum ad cognoscendam causam ignotam.*

Notandum primo Duplicem esse causam assignabilem acquisitionis scientiæ in discipulo Doctorem audiente; quarum prima est interior conceptuum coordinatio, & hæc dicitur causa per se ipsius scientiæ; alia verò est ipse Doctor, qui exterius per signa Discipulum admonet, & ista dicitur causa per accidens. Ita expressè habet Henr. art. 1. q. 6. *Ille ordo conceptuum interius sic formatorum, est per se causa doctrina, & proxima. Vocum autem ordinatio exterior non est nisi signum admonituum, & directiuum rationis in conceptus suos ordinando, Ideo Doctor exterior non est causa acquirendi scientiam in Discipulo, nisi per accidens, ordinando scilicet signa exteriora.* Et affert exemplum de eo, qui cum astrum aliquod contempletur, nec ob luminis tenuitatem illud videat, eget aliquo, qui digito extenso illud sibi ostendat, in quo casu digitus ostendentis dicitur omnino signum, & causa per accidens visionis astri. *Sicut si quis esses intentus ad aspiciendum astrum Iouis in Cælo, & quia minutum est astrum illud, conferens oculum circumquaque, non posset aciem visus in ipso sistere, & si-gere determinatè; & alter assistat, qui astrum illud videat, &*

digito suo dirigat aciem visus illius, quousque ad directam positionem illius astri cum perduxerit, & tunc ibi sistat, & digitum immotum teneat, ut sit visus sistendo ad quietem digiti in astrum dictum aciem aspectus figere admoneatur, & hoc facto statim astrum videat, & aduertat; Ille digitus astrum videre non facit per se, quia visui eius nihil imprimis, sed claritas astri facit per se videre.

Notandum secundo. Notitiam nostram bene posse motui comparari, quatenus à Magistro, & docente tendit in addiscentem, non quidem ita ut scientia illa, quæ est in Magistro, eadem secundum numerum ad Discipulum perueniat, sed quatenus aliquo modo scientia, quæ in Magistro est, sit causa scientiæ similis in addiscente, hoc tangebatur Henr. art. 1. q. 10. *Dicitur motus ille, ut est in Discipulo, Disciplina, ut procedit à Magistro dicitur doctrina.* Hoc est doctrina ita extrinsecè Magistro homini alliganda, ut dicatur huiusmodi Magister humanus esse simpliciter necessarius; Certum est enim posse ex naturali propria industria hominem esse tanto ingenij acumine præditum, ut ex sola suæ mentis acie, quæ potest ab alio percipere, penetrare dicatur, ut expressè asserit, & probat Henr. art. 1. q. 5. *De tali homine dico, quod per se, & sine omni Doctore exteriori potest dicto modo sibi perfectam scientiam acquirere.* Potest etiam homo ab Angelo edoceri, quatenus Angelus disponit phantasmata, ut ex ipsis species intelligibiles congruè repræsententur intellectui possibili; quemmodum, alijs relictis, ut probabiliorè amplectitur Henr. art. 1. q. 8. *Angelus dicitur docere hominem, agendo circa imagines in phantasmate à sensu receptas, ut ordinatè præsententur, & proponantur intellectui: cum intentus est ad intelligendum, & ex hoc ordine, quo nata sunt mouere intellectum, ad ordinatè recipiendum species intelligibiles, per quas formentur ordinati conceptus in intellectu, secundum ordinatum discursum à primis scibilibus ad scibilia posteriora.* Immo potest homo etiam,
& mul-

& multo melius à Deo doceri, cum ab ipso, tanquam primo exemplari omnis sincera veritas habeatur, vt ait Henr. art. 1. q. 7. *Veritas igitur cuiuscumq. rei intellectui ostendi non potest, nisi ostendendo ei conformitatem ad suum exemplar primum, à quo est transformata. Quare cum illud exemplar primum, & principalissimum non sit nisi veritas prima, solum ille docere, & maxime potest, qui intellectui potest ostendere conformitatem rei ad suum exemplar primum; Hoc autem solus Deus potest; & ideo absolutè concedendum est, quod solus Deus, & maxime potest docere, &c.* Deus itaque, & Angelus multo perfectiori modo docere possunt hominem, quam faciat homo, qui solis utitur verbis, quæ symbolum dicuntur eorum conceptuum, quorum ordinatio in Discipuli percipientis mente formatur; vt concludit Henr. art. 1. q. 6. *Et ideo dicit Philosophus, libro de sensu, & sensili; secundum accidens ad scientiam auditus multum confert; sermo enim existens audibilis causa est discipline non per se, sed per accidens, ex nominibus enim constat; nominum autem vnum quodque symbolum est.*

Conclusio. Contingit hominem ab homine scientiam acquirere.

Explicatur. Homo potest non solum à Deo, ab Angeio, immò, & à naturali suo ipsius acumine habere scientiam; sed etiam ab alio homine per verba, & signa conceptus ordinabilis expressiua.

Est Henr. art. 1. q. 6. *Alio modo scientia acquiritur ab homine à principio extra, vt à Didascalo, & hoc contingit in eo, qui addiscendo sibi scientiam acquirit ad monitus à Didascalo.*

Probatnr ratione sic. Per illum acquiritur alteri scientia; qui facit vt alter sciat, quod prius ignorauit, sed hoc facit homo per verba: ergo homo est hominem docens, & per
Do.

Doctorem acquiritur scientia alteri .

Ad primam obiectionem cum dicitur . *Hominem non posse speciem intelligibilem in alio homine producere: ergo neque scientiam* . Dicendum , Agens quodcumque operationem suam exercere circa singularia , & sensibilia , vt bene in argumento deducitur ; sed ea , quæ spectant immediatè , nõquit naturale agens attingere , cum talis attingentia sit opus solius agentis intellectus , phantasmata depurantis : Negari tamen non potest operatio mediata ; Nam agens , siuè docens , licet sensibilia duntaxat attingat immediata operatione per signa , eleuat tamen Discipulum ad efformandas intelligibiles species ex huiusmodi sensibilibus ; & sic adest mediata docentis operatio circa species . Ita obiectioni in terminis respondet Henr. art. 1. q. 6. ad primum . *Dicendum, quod signa licet subesse particulari, quo proponuntur à Doctore, non excedant sensum, ex sensu tamen mediante phantasia per lumen agentis, ipsa signa particularia sensibilia facta vna intelligentia mouent intellectum, & admonent ipsum, vt formet conceptus, ad modum, quo signa eorum exterius proponit Doctore, & sic ducit ad scientiam.* Ad formam itaque argumenti distinguitur Minor, concedendo ipsam de productione immediata, negando de mediata, quæ habetur in proposito.

Ad secundam cum dicitur . *Scientia non est qualitas actiua, & per ipsam non potest Doctore sibi Discipulum assimilare* . Dicendum , Non poni assimilationem Discipuli ad Magistrum tamquam prouenientem ab actione aliqua realis transmutationis, tunc enim qualitas tamquam principium, quo, requiritur ad operandum, vt patet de igne , qui medio calore , qui qualitas actiua est, agit in lignum , idque sibi tandem simile reddere conatur , sed solum ponitur assimilatio , secundum quod scientia generatur in Discipulo ex sola signorum propositione habita per Magistrum . Henr. ibidem in solutione ad septimum argumentum . Quod scientia non sit qualitas actiua .

Verum

Verum est, nec intendimus, quod Doct̃or per modum agentis naturalis, per scientiam suam generet scientiam in Discipulo, sicut obijcitur, sed quod ex sua doctrina proponat signa ordinata, ad quæ ratio in Discipulo consimiles debet formare suos conceptus; & per hoc acquirere scientiam directus à Doct̃ore admotus, sed actione propria interiori, propter quod agens interior verius dicitur Doct̃or, quam exterior. Et est modus iste per Doct̃orem acquirendi scientiam multò facilior, quam modus acquirendi illam per propriam inuentionem, ut fatetur Henr. art. 1. q. 5. ad primum. Facilius, citius, & perfectius homo scientiam per Magistr̃am acquirit, quam per se. Ad formam itaque argumenti distinguitur maior, quæ conceditur de assimilatione non ad modum naturalis agentis, sed ad modum meditatae operationis, quæ, causæ per accidens dicitur conuenire.

Ad tertiam cum dicitur. Signa neque ut scita, neque ut ignorata possunt prodesse addiscenti. Dicendum, Optimè concludi, si ea, quæ per signa Discipulo demonstrantur, & sunt manifesta, essent omnino ab ipso ignorata; sed non ita debet intelligi sunt namque signa significatiua aliquorum, quæ partim cognosci, & partim dicuntur ignorari, cognoscuntur quidem multa in potentia, quæ deinde ad cognitionis actum deueniunt, & multa habentur in cognitione confusa actuali, quæ per signa à Magistro proposita fiunt distincta. Henr. ita huiusmodi obiectionem resoluit art. 1. q. 6. ad quintum, & sextum argumentum. Ille qui addiscit signa, nouit sciendo res in generali, nec ad aliud ordinantur nomina, quam ad confusum intellectū rerum exprimendū. Notitia enim distincta, ut in particulari exprimenda est per definitionē, quæ nominis est expositiua. Ad formam itaque argumenti. Negatur maior, ut manca, neque enim est sufficiens diuisio assignata, cum dicitur vel sunt scita, vel sunt ignorata, cum desit aliud, scilicet vel sunt partim scita, id est cōfusa, & partim ignorata, quoad distinctam cognitionē.

AR.

ARTICVLVS XV.

QVAESTIO V.

*Virum assensus præmissarum effectiuè concurrat
ad conclusionis assensum.*



RO parte negativa Arguitur primo. Si assensus præmissarum causaret effectiuè assensum conclusionis, essent duo distincti realiter assensus, sed in intellectu non est diuersus assensus præmissarum ab assensu conclusionis; ergo talis causalitas effectiua non est astruenda. Maior est certa, quia nihil potest se ipsum causare, & efficere, vt probat Henr. art. 7. q. 9. *Idem ergo non potest esse discens, & docens ipsum.* Minor vero probatur à simili de voluntate, quæ fertur vnicò actu in media, & finem, vt de appetitu ipso in Brutis air Henr. quodl. 10. q. 14. *Canis leporarius; non appetit odoratum, vel visum, vel auditum leporis, nisi vt per talem sensum medium dirigatur ad ipsum capiendum, vt eum comedat, & ex hoc esse suum conseruet.*

Secundo arguitur. Imperfectum non se habet vt causa effectiua ad perfectum, ad quod tendit, sed cognitio principiorum, & præmissarum est imperfecta respectu cognitionis conclusionum: ergo non potest ad hanc concurrere effectiuè. Maior patet de partibus, quæ sunt imperfectæ secundum se, & fiunt perfectæ in composito, vt vult Henr. art. 39. q. 3. *Semper pars aliquid imperfectum, & in potentia est respectu totius, & tamen non dicuntur effectiuè totum causare, vnde ibidem subiungit Henr. Agens omne, in quantum agens est, aliquid perfectum in actu*

aeternus existens. Minor vero probatur nam actus est potentia perfectius, cognitio autem conclusionum est in actu, & cognitio principiorum solum in potentia conclusiones ipsas includens, ut docet Henr. art. 1. q. 5. Vt intellectus ea in actu sciatur, & in particulari, quae in principiis sciuntur in potentia, & in uniuersali, & per hunc modum generatur in anima scientia habitus perfectus, reponendo in habitu memoriae, quod prius lucebat in consideratione intelligentiae.

Tertio arguitur. Media non concurrunt effectiue, sed cognitio praemissarum est medium ad cognoscendam conclusionem: ergo non concurrunt ad illam producendam effectiue. Maior est euidens in medio motus localis, quod nemo dixerit esse talis motus effectiuum, cum ratione suae ordinabilitatis ad terminum, sit potius dicendum, esse in potentia passiuam, ut de quocumque ordinabili ad aliud dicebat Henr. art. 35. q. 2. Illud est in potentia passiuam. *Quod est susceptiuum alicuius actus, ad quem se habet ut perfectibile.* Minor vero per iam dicta videtur esse clara, nam per cognitionem praemissarum, tamquam per medium ad conclusionem deuenimus ex Henr. art. 1. q. 6. *Ex primis principiis eliceret conclusiones proximas, & ex illis conclusionibus, quae iam sunt principia conclusionum posteriorum eliceret conclusiones ulteriores, & sic usque ad conclusiones ultimas.*

Notandum primo. Difficultatis huius enodationem maxime dependere a cognitione modi, quo ad intelligendum se habet intellectus noster, non solum quo ad rationem potentiae passivae, secundum quam habet recipere species intelligibiles, & sic per illas ab obiecto determinari, in quo sensu illum omnino passiuè se habere dicit Henr. art. 36. q. 3. *In quantum intellectus stat in illa actione simplicis intelligentiae, potentia passiuam est, sicut sensus, & intelligere pati quoddam, sicut sentire.* Sed etiam quatenus est potentia actiua, postquam enim tales recepit species, habet deinde circa illas actiuitatè, componendo,

& diuidendo intellecta, & discurrendo circa ipsa, vt benè subiungit Henr. ibidem. *Sed in hoc non stat operatio intellectus, sicut sensus, quoniam intellectus, postquam informatus est intelligentia simplici, & obiecto, & per hoc factus est in actu, statim conuertit se super suum obiectum, discurrendo per ea, quæ pertinent ad naturam eius, & essentiam quocumque modo hoc fuerit.* Et concludit ex huiusmodi operationibus, intellectum esse omninò actiuum, secundum quod. *Extendit se ulterius negotiando circa obiectum, non est passiuus, sed simpliciter actiuus, & est intellectus potentia actiua, non passiuus.* Et idè affert Henr. Ethimologiam verbi *Intelligere*, & ait art. 1. q. 10. ad tertium. *Dicitur intelligere, quasi intus, id est sub ipso, quod primo apprehenditur legere, ad ulteriora cognoscenda.* Et in hac intus lectione tota eius consistit actiuitas, quæ tamen passionem in recipiendo primam simplicem principiorum notitiam, præsupponit.

Notandum secundo. Omnia illa, quæ se tenent ex parte alicuius agentis aliqualem habere actiuitatem, quatenus agens illis vtitur ad operandum, non solum vt instrumentis, de quibus constat, quod in virtute agentis dicuntur operari ex Henr. quodl. 3. q. 14. *Forma accidentales alterando ad generationem, agunt in virtute formæ substantialis, vt instrumenta.* Sed etiam vt habitibus, ita vt intellectus ex habitu primorum principiorum dicatur agere circa deductionem conclusionum, vt docet Henr. quodl. 5. q. 18. *In habitibus intellectualibus, habitus non est nisi illustratio quadam in intellectu monstrans ei principium complexum, quod est verum. Quod postquam motum fuerit ab intelligibili existente in phantasmate, format in se ipso per actum suum intelligendi collatiuum, & per hoc naturaliter unico actu intelligendi naturaliter generat in se habitum principiorum, non ex aliqua rationis deductione; sed habito principio, rationis deductione actibus intellectualibus ratiocinando concipit verum complexum conclusionum.* Vbi expressè ponit

ponit Habitum principiorum tamquam id, quo intellectus conclusiones intelligit, & in eo actiuitatem recognoscit, & hoc clarius ex professo concludit art. 37. q. 1. *Habitus, ratione, qua habitus est semper promptitudinem, & expeditionem ponit in eliciendo actum.* Immo ponendum habitum, secundum id, quod perfectionis dicit, in Deo asserit ibidem responsione ad tertium. *In Deo prior est ratio scientia, quam scire, quia scire eo, quod habet rationem actus secundi, ut agere se habet per modum elicitum, & ita respicit secundum modum intelligendi, ut precedens id, à quo elicitur, quod habet secundum rationem potentie, in quantum significatur ut principium eliciendi principale, & rationem habitus, in quantum significatur ut dispositio in illo ad expedite eliciendum.* Quicquid vero de Habitu principiorum, idem dicendum erit omnino de assensu præmissarum, qui est ipsius Habitus veluti effectus.

Conclusio: Assensus præmissarum effectiue concurrat ad assensum conclusionis.

Explicatur. Habitus principiorum, qui naturaliter habetur, & assensus præmissarum, qui est veluti talis habitus effectus, se habent ad eliciendam conclusionem in genere cause efficientis.

Est Henrici vbiicumque dicit ex principijs conclusiones elici art. 1. q. 5. ad sextum argumentum. *Acquirat secundum actum ex notitia principiorum precedente, in qua latet secundum potentiam.* Et eodem art. 1. q. 4. ad primum. *Respectu sui actus, maxime illius, qui est scire ea, quæ post principia, non est proprie potentia naturalis, sed rationalis, quia scire, conclusiones non contingit homini, nisi via rationalis inquisitionis, & inuestigationis, quæ valet ad opposita.* Et ibidem ad tertium. *In quantum verò in-*

Intellectiva potentia operatur, ut est ratio ipsa non operatur nisi inquirendo, & inuestigando illa, que sunt post principia, ductu rationis, & hac est sua operatio prima, quam statim facis cognitis principijs per intellectum, art. 1. q. 10. ad tertium. Intellectus habens habitum scientia, statim potest procedere in actum considerationis per intelligibilia, que sunt intra. Et post pauca. Intellectus eget aliquo principio scientiali superposito ad sciendum, & intelligendum veritatem in re, & q. 11. Ratio discurrendo acquirit sibi ex notitia principiorum notitiam conclusionum, & per hoc etiam habitum eorum, quo de facili potest se homo, cum vult, conuertere super eas intelligendas, & q. 12. ad quartum Anima humana. In principijs in potentia habet habitus conclusionum.

Probatur ratione sic. Quæ se tenent ex parte potentia acti-
uæ in-operando, actiuè concurrunt, sed assensus, siuè habitus
primorum principiorum se tenent ex parte ipsius potentia intel-
lectualis discursiua; ergo actiuè concurrunt ad effectum co-
gnitionis conclusionum.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Assensus præmissa-
rum, & assensus conclusionis, est idem numero assensus.* Dicen-
dum. Non bene affirmari potest, esse vnicum assensum, potest
enim concipi assensus principiorum, ut præcise ad ipsa prin-
cipia terminatus, & sic non est idem numero assensus, ut
dicitur in argumento, sed duplex; vnus quidem, qui
est respectu principiorum, alius verò respectu conclusio-
num, & sic dicebat Henr. art. 1. quæst. 10. ad primum.
*Addiscens proprie dictus debet habere aliquid de notitia,
quod verum est, quia debet habere notitiam principio-
rum, & aliam conclusionis, cuius querit notitiam.*
Et in hoc sensu dicitur assensus principiorum, & ipsorum ha-
bitus esse effectiuè concurrere ad conclusionis assensum ha-
bendum. Concedi tamen potest, quandoque esse vnicum as-
sensum; quando scilicet conclusio consideratur ex principijs
de-

dependens; qua ratione dicitur potentia visiva ferri in colores, & in lucem simul; cum tamen lux sit ratio videndi colores. Quod idem de intellectu affirmat. Henr. art. 2. q. 1. *Quando intellectus in illo uniuersali abstracto naturam, & causam rei cognoscit, & veritatem videt.* Tunc enim vnicus est actus, quo quid fertur in conclusiones, & principia, vt ad ipsam condudentia. Voluntas ipsa hoc idem habet, vt si consideretur receptu finis voluti eodem actu velit ipsum, & media; sed si consideretur in ordine ad aliquid, quod est medium, sed non appetitur in ordine ad aliud, illud non diuersificat appetitum voluntatis, vt suo loco explicandum relinquitur. Ad formam itaque argumenti negatur minor, si attendatur assensus præmissarum præcisè sumptarum modo dicto.

Ad secundam cum dicitur. *Cognitio principiorum, & assensus præmissarum est quid imperfectum, & non potest esse causa effectiua illius perfecti, ad quod tendit.* Dicendum, quod si consideretur, Notitia principiorum esse quid imperfectum, adhuc tamen non impediretur actiuitas ipsius circa conclusionis assensum, quia non est inconueniens, quod causa instrumentalis effectiue concurrat, & tamen sit suo effectui ignobilior, & imperfectior, sicut de arte ait Henr. art. 1. q. 6. *In omni actione, in qua ars communicat naturæ, non operatur ars sicut agens principale, sed solum sicut adminiculans, & conseruans naturam, vnde medius dicitur minister naturæ.* Et tamen constat artem esse respectu naturæ quid imperfectius, & ignobilius. Attamen facilius dici potest notitiam principiorum esse quid in se perfectissimum; ordinari autem per accidens ad conclusiones ab ipsis educibiles per discursiuam inuestigationem. Quod enim ordinatur ad aliud, non vt perficiatur ab illo, sed vt illud perficiat, dicendum est aliquid in se perfectum existens in potentia actiua, vt habet Henr. art. 35. q. 4. *Quanto aliquid magis perfectum est secundum formam, & essentiam in actu primo, tanto magis ei conuenit operari, &*
agere

agere in actu secundo, & esse principium actiuum. Vbi loquitur Henr. de agente principali, & primo; sed bene potest suo modo ad proximum agens extendi. Ad formam itaque argumenti neganda est minor.

Ad tertiam obiectionem cum dicitur. *Principiorum notitiam esse medium ad cognoscendas conclusiones.* Dicendum non omne medium esse actiuitate carens, & præcipuè si sermo sit de medio, quod non est ita ordinatum ad terminum, vt ab illo suum esse trahat, & accipiat. Principia, & præmissæ præcognosci debent reduplicatiuè ad conclusiones eliciendas, cum tamen secundum se iam sint in habitu naturaliter comparato, in quo principia distinctè, conclusiones verò confusè cognoscuntur, & secundum hunc modum, aliquo pacto dicitur talis notitia principiorum ad conclusionis notitiam esse medium, & bene ait Henr. att. r. quæst. 12. ad quartum.

In principijs in potentia habet habitus conclusionum. Ad formam itaque argumenti, Distinguitur maior, concedendo illam de aliquibus medijs non de omnibus.



ARTICVLVS XV.

QVAESTIO VI.

*Virum definitio propositionis per se nota, quod sit
cuius prædicatum est in ratione subie-
cti, sit bona.*



RO parte negatiua arguitur primo. Illa di-
cenda est propositio habere prædicatum in
ratione subiecti, quæ, cum sit per se nota, est
nobis naturaliter inserta; sed nulla propositio
est per se nota, nec habens prædicatū de ratio-
ne subiecti: ergo, &c. Maior est certa ex Henr.

art. 2. q. 2. *Cognitio essendi Deum, non est omnino nobis natura-
liter inserta, & secundum hoc non est omnino per se nota.* Mi-
nor vero probatur; nam secundum naturalem prædicandi
modum, debet semper magis commune prædicari de minus
communi ex Henr. art. 75. q. 2. ad nonum. *De proprietate præ-
dicationis magis commune habet prædicari de minus communi.*
Quod autem excedit, non est de ratione eius, quod exceditur,
vt patet in definitionibus, quæ, cum neque excedant, neque
excedantur à definito, dicuntur explicare ipsius quiditatem,
ex Henr. art. 24. quæst. 1. *Definitio est sermo quiditatis, &
essentia.*

Secundo arguitur. Si bene esset definita propositio per se;
tunc deberet omnibus æquè esse nota; At nulla propositio est
hominibus omnibus æquè nota: ergo neque erit bene defini-
ta. Minor patet, nam veritas non æquè certitudinaliter ab
omnibus cognoscitur, ex Henr. art. 2. q. 5. *Sicut non sunt om-
nes.*

nes homines apti æquè certitudinaliter oculo carnis videre visibile, sic nec omnes æqualiter apti sunt intellectu intelligere intelligibile. Maior vero probatur de primis dignitatibus, de quibus ait Henr. art. 22. q. 2. Apud omnes notum est perfectè ex ipsis terminis, de subiecto, & prædicatò in talibus propositionibus

Tertio arguitur. Inter propositiones per se notas, illa præcipua esset *Deus est*, sed hæc non habet prædicatum de ratione subiecti: ergo aliqua erit propositio per se nota non benè definita. Maior est communiter accepta. Minor vero est Henr. art. 22. q. 2. *Apparet, quod nullo modo, propositio illa, Deus est, potest dici per se nota.*

Notandum primo. Demonstrationem debere necessariò habere præmissas, quæ dicantur esse de omni, & per se, distinguendo de omni prioristicè, & posterioristicè. primo modo est, quando est propositio vniuersalis, quæ habet simul vniuersale ex parte subiecti, etiam si sit falsa, & impossibilis, quia prioristicè non attenditur nisi forma, posterioristicè autem, cum prædicatum conuenit subiecto omni, & semper, & de utroque debent esse propositiones in demonstratione, & ideo Henr. art. 1. q. 4. affert modum procedendi, licet non syllogisticè, vbi probat medium Hippocratem adhuc puerum naturaliter logicam sciuisse, dicens. *Ipsè naturali industria percepit, quia omne pulchrius, & delectabilius magis est eligendum, quod est maior in syllogismo, minorem indicaui ei sensus de duobus pomis, quod esset pulchrius, ex quibus oportet, quod actio concludens statim sequatur.* Quod idem ad alium propositum supra attulimus; vt verò Philosophus præmissas per se notas afferret, attulit quatuor modos dicendi per se, quorum primus est, quando prædicatum essentialiter dicitur de subiecto, vt homo est Animal, secundus quando subiectum est de definitione prædicati, vt linea est recta, aut curua; & isti duo modi vocantur ab Aristotele modi per se prædicandi, tertius modus dicitur per se existendi, vt

Pe-

Petrus dicitur in tertio modo pericitatis, quia est per se existens, quartus modus est, quando *per*, dicit causam efficientem, ut si dicatur, interfectus interiit; nam propterea, quia interfectus est, interiit, & non est accidens, quod interfectum, interiit; & licet dicatur iste modus prædicandi per accidens ratione prædicationista, men non est per accidens ratione causalitatis.

Notandum secundo. Propositionem esse per se notam distinguà propositione, quæ dicitur per se cognoscibilis, ut notat Henr. art. 22. q. 2. *Propter veritatem ergo ex parte rei nunquam propositio dicenda est per se nota, sed solum per se cognoscibilis, quantumcumque prædicatum concludatur in ratione subiecti; sed solum propter evidentem notitiam veritatis ex parte apprehendentis, id est, propter evidentiam, quam facit ipsa propositio, de se expressè, & distinctè indicando ex sola significatione evidenti terminorum, prædicatum includi in subiecto.* Quod quidem apprehendens, vel consideratur quo ad homines vulgares, vel quoad homines scientificos, quædam enim propositiones sunt omnibus omnino notæ, quia illarum termini ab omnibus cognoscuntur, & alie reperuntur, quæ solum viris Doctis, & Sapientibus dicuntur cognitæ, quæ omnia habet Henr. eodem art. 22. q. 2. *Si omnibus perfectè notum sit illo modo de subiecto, & prædicato quid sit, quod significetur per nomen, tunc illa propositio erit nota omnibus per se, & naturaliter; Si autem aliquibus hoc non sit notum, nec illa erit per se nota illis. Primus modus contingit in propositionibus maximis; ut omne totum est maius sua parte. Secundus modus contingit in propositionibus illis, in quibus non omnibus est notum de subiecto, & prædicato, & licet propositio talis ex parte sua notissima sit in veritate sua, tamen apud illos, qui ignorant, quod dicitur prædicatum, & subiectum, benè potest esse ignota; sic enim multis sunt incognita principia propria scientiarum particularium, quæ tamen sunt notissima, & certissima in sua veritate.*

¶ unicuique instructo in huiusmodi scientia, ut in Analytici-
cis, quod ex maiori negatiua, & minori particulari nihil se-
quitur.

Conclusio. *Propositio per se nota est bene definita.*

Explicatur. Propositio per se nota bene definitur, si dica-
tur, quod sit illa, cuius prædicatum est de ratione subiecti, &
hoc intelligitur in aliquo ex quatuor modis dicendi per se
sumendo ipsam non in ordine ad actualem notitiam tantum,
sed etiam secundum quod de se est cognoscibilis.

Est Henrici art. 1. q. 12. *Liget enim aliqua propositio sit per
se nota, & primo quantum est de se, ut est illa, cuius prædica-
tum includitur in subiecto, & art. 22. q. 2. Vt omnis illa propo-
sitio sit per se, & naturaliter nota, cuius prædicatum includitur
in ratione, & significatione subiecti, ut hic homo est animal,
quia animal est de ratione, & significatione hominis.*

Probatur ratione sic. Illa propositio est per se nota, quæ non
habet aliam propositionem, per quam manifestetur; sed propo-
sitiõ, in qua prædicatum est de ratione subiecti, non habet
aliam propositionem, per quam demonstretur: ergo est per se
nota, & consequenter allata definitio est optima.

Ad primam obiectionem cum dicitur. *Propositio per se nota
debet esse nobis naturaliter inserta.* Dicendum ex cognitione
terminorum nos deduci ad cognitionem ipsius propositionis
per se notæ, quæ est cognitio merè naturalis, ut satis supra
iam explicatum est, & sic debet propositio per se nota dici in
nobis naturaliter inserta. Quod tamen potest duobus modis
intelligi. Primo quidem, quatenus est inserta solum quo ad no-
tiam genericam. Secundo autem quo ad specialem. Ita Henr.
art. 22. q. 2. loquens de Deo. *Deum esse contingit intelligere du-
plexiter, uno modo in generali in quantum Deus intelligitur sub
nomine agni, vel boni absolute. Alio modo in speciali, ut signi-
ficatur*

ficatur sub hoc nomine Deus, scilicet ut natura aliqua excellentissima. Et concludit propositionem hanc *Deus est esse per se* in nobis insertam, si consideretur primo, non autem si secundo modo; quia in particulari homo deficit in eius cognitione, & ideo ait ibidem Henricus. *Solummodo de illa notitia essendi Deum in generali loquitur Damascenus, quando dicit illam nobis naturaliter insertam esse.* Doctrina tamen ista licet concludat de propositione *Deus est.* Non dixerim illam concludere vniuersaliter quantum ad omnes propositiones per se notas, de quibus alio modo res se habet, & præcipuè de propositione omnibus communi, ut ait Henr. *Ita una est communis, ut omnium sis hominum, veluti si hanc proponas, si à duobus equalibus equalia auferas, quæ relinquuntur equalia sunt, nullus enim id intelligens negat.* Ad formam itaque argumenti neganda simpliciter est minor.

Ad secundam obiectionem cum dicitur. *Deberet talis propositio omnibus esse æquè nota.* Dicendum si sermo sit de eodem principio ab omnibus cognoscibili, utique ratione suæ cognoscibilitatis esse omnibus æquè notum, & ita Henr. in argumento adductus de dignitatibus, & maximis, dicebat eas omnibus notas, quia secundum quantumque ipsarum. *Homo* (inquit Henr.) *istam probat audiam propter euidens inbrentiam prædicati in subiecto.* Ad formam itaque argumenti negatur minor.

Ad tertiam cum dicitur. *Propositionem hanc (Deus est) esse per se notam, & tamen à tali definitione excludi.* Dicendum propositionem illam, ut per se notam non admitti ab Henr. eodè ar. 22. q. 2. *Pateat quod ista propositio. Deus est, nõ est omnino per se nota.* Nisi fortasse videatur hoc durius dictum, quia sumus à crepundijs assueti audire, quod Deus est, ut innuit Henr. *Nisi fortè quatenus ex pueritia assueti sumus homines audire, consentes, Deum esse.* Et ratio est euidens, quam adducit in responsione ad tertium. *Quid enim significetur, & quomodo*

*boc nomine, Deus, & quomodo significatum prædicati se se
habet ad subiectum, non omnes statim sciunt; immò nullus,
quantum est ex puris naturalibus, sed eget magno inuestigatio-
ne. Ad formam itaque argumenti, negatur maior.*

Quanto enim magis est in se cognoscibilis,
tanto magis noster intellectus propo-
sitionem huiusmodi sibi re-
cognoscit igno-
tam.

LAVS DEO, ET B. V. M.



IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.



A



- ABSOLVTA** priora relativis. pag. 160.
Accidens habet suam existentiam. 125. Bene definitur. 126. Non est genus ad novem prædicamenta. 150.
Aequiuoca, uniuoca, analogæ quæ. 135
Angelus est in prædicamento. 179. Quomodo suscipiat contraria. 181.
Anima quomodo sit in corpore. 187. Quomodo completa, & incompleta. 93.
Assensus præmissarum diversus. 288. Effectiuè concurrat ad conclusionis assensum. 387.
Ars differt ab experientia. 371.

B

Brutorum industria naturalis. 12.

C

- Causa efficiens instrumentalis** ignobilior effectu. 389.
Certitudo duplex. 373. Scientiæ necessaria. 373. Dependet ab obiecto. 374. Danda in nobis. 375.
Cognitio per sensum. 6. Præcisura, & negatiua quæ. 37. Fit ex præexistenti cognitione. 360.

D d d 3

De-

Index

D

- Definitio, & descriptio. 71.
Deus dicitur vniuersalis in causando. 29. Non potest facere
hominem sine risibilitate, 43. Neque vniuersale. 46. Non
est in prædicamento. 166. Neque reductiuè. 175. Non di-
citur prior tempore quam Angelus. 339.
Differentia definitur. 105. Proprijsima non potest intendi,
nec remitti. 111.
Distinctio intentionis quæ. 272.

E

- Ens analogum ad substantiam, & accidens. 147.
Esse in aliquo multipliciter. 127.
Essentia neque singularis, neque vniuersalis. 35. Differt à
proprietate. 63.
Experientia circa singularia. 371.

F

- Fallacia accidentis. 36.
Forma cui priuationi contraria. 331.
Futura contingentia carent veritate. 358.

G

- Genus definitur. 79. Non potest in vnica specie conseruari. 86.

H

- Habitus actiuè concurrunt. 386.

Homo

Rerum Notabilium.

Homo perfectissimus inter animalia. 12. Necessario est risibilis. 122. Docetur ab homine. 381.

I

Ideæ Platonis. 33.

Ignorantia negationis, & dispositionis. 366.

Impossibile duplex. 122.

Individuum definitur. 101.

Instrumentum actuum. 386.

Intellectus potentia passiva, & activa. 385.

Intelligere quid sit. 486.

Intellectionis ordo. 51. Modi differentes. 49.

Intentionis distinctio 5. Et 272.

L

Logica naturalis, & artificialis. 2. Definitur. 3. Necessaria. 4. Est modus sciendi. 5. Scientia scientiarum. 6. Docens, & utrens. 15. Habet duplicem materiam. 16. Ordinatur ad scientias. 17. Speculativa magis, quam practica. 19. Habet pro obiecto secundam intentionem. 22. Magis realis, quam Grammatica. 25.

M

Magister physicè non transmutat discipulum. 382.

Materia esse potest sine forma. 41. Et esset reducibilis ad particularitatem. 42. Habet actum entitativum. 365.

Materia, & obiectum scientiæ differunt. 69.

Medium actuum, & non actorum. 390.

Mendacium quid. 349.

Modus substantialis, & accidentalis. 5.

Modi

Index

Modi oppositionis qui 329. per se. 392.
Modi prioris simul, &c. 338.
Motus reductiuè est in prædicamento sui termini. 142.

N

Natura non deficit in necessarijs. 11.
Naturale distinguitur ab acquisito. 367.
Necessitas simplex, & secundum quid. 3.
Nomen, & verbum definiuntur. 353.

O

Obiectum formale, & materiale. 20. Præcedit opus intellectus. 23. Secunda intentio. 22.
Operatio sequitur esse. 31.
Opus intellectus obiectiuè, vel subiectiuè. 21.
Oratio longa, vel breuis quomodo. 238. Definitur. 355.
Ordinabile duplex. 17.

P

Perseitas essentia substantiæ. 160.
Platonis Idææ. 33.
Plus potest facere Deus, quam homo cogitare. 43.
Potentia ad essendum, & operandum. 65. Non est carentia
omnis actus. 365.
Potentia Dei respicit possibilitatem rei. 39.
Prædicabile differt ab vniuersali. 64. Est vniuersum ad quinque prædicabilia. 74.
Prædicabilium numerus. 76.
Prædicamenta sumuntur primo, vel secundo intentionaliter.
130. Spectant ad logicum. 132. Eorum numerus. 139.
Sunt

Rerum Notabilium.

- Sunt entia realia. 140.
Prædicamentum quid sit. 131.
Prædicari substantiuè, & adiectiuè. 107.
Prædicatio Identica. 77.
Principia magis, & minus cognoscibilia. 369. Naturaliter cognoscuntur. ibidem.
Propositio de omni prioriticè, & posterioriticè. 392.
Propositio per se nota definitur. 394. Differt à per se cognoscibili 393.
Propositio *Deus est nobis naturaliter est nota in vniuersali, non in particulari.* 395.
Prius tempore, & natura. 335.
Proprium definitur. 117.

Q

- Qualitas definitur. 311.
Quantitas definitur. 197. Vniuoca ad continuam, & discretam. 198. & 221. Eius essentia. 202. Distinguitur realiter à substantia. 217. Eius proprietates. 242.

R

- Relatio definitur. 255. Eius proprietates. 303. Realis. 149. Eius terminus differt realiter à fundamento. 285. Communes differunt à proprijs. 296. Eadem potest habere plures terminos. 290. Communis fundamenta sunt tria. 262. Non potest fundari in relatione. 279. Fundatur in accidente. 280. Differt intentione à suo fundamento. 274. Differt à respectu. 256. Transcendentalis quæ. 256.
Repugnancia à parte rei attenditur. 39. & 122.

S

- Scientia specificatur per obiectum. 25. Sumitur rigorosè. 14.
Per

Index

- Per inuentionem. 9. Dicitur rationalis, non naturalis. *ibidem*.
De singularibus! non datur. 377. Motui similis. 380. Habet duplicem causam suæ acquisitionis. 379.
Sensus decipitur. 376.
Species intelligibiles sunt vniuersales in repræsentando. 55.
Species est de essentia indiuiduorum. 98. Conseruatur in vni-
co indiuiduo. 97. Definitur 97.
Subiectum scientiæ adæquatum, & inadæquatum. 69.
Substantiæ essentia. 160. A substando, & subsistendo. 153.
Eius proprietates assignantur. 186.
Syllogisticè, & per Syllogismum. 4.

T

Totum quantitatum, & potentiale. 83.

V

- Verbum, & nomen definiuntur. 353.
Veritas, & falsitas in intellectu componente, & diuidente. 345
Vniuersale fit ab intellectu agente. 53. Differt à singularibus.
ratione. 36. Fit per secundam, & tertiam operationem. 59.
Est obiectum intellectus. 52. Fundamentale, & formale. 45.
Complexum, & incomplexum. 27. Non est in Deo. 29.
Non potest separatim existere. 33. Differt à prædicabili. 64.
Est subiectum in libello Porphyrij. 70. Specificatiuè, &
reduplicatiuè. 97. Præcedit prædicabile. 66. Habet opera-
tionem in singularibus 31. Non tollit annihilationem. 30.
Includit naturam, & prædicabilitatem. 28.
Vniuocatio. 24.
Vniuoca, Aequiuoca, & Analogæ. 135.
Voces sunt significatiuæ conceptuum. 348.

F. I. N. I. S.



11762

